208

IVLII PACII
A BERIGA I. C.
ISAGOGICORVM

In Institutiones Imperiales, libri IV.
In Digesta seu Pandectas, libri L.
In Codicem, libri XII.
In Decretales, libri V.

AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM D. D.
PETRVM BOCCAVDIVM, TEIRANI ET IACONI
Dominum, Sacri Consistorij Comitem, supremæ
subsidiorum Occitanæ curiæ Principem.

OMNIA IVDICIO ECCLESIÆ SVBMISSA SVNTO.



LVGDVNI,
IN BIBLIOPOLIO VINCENTII.

cIↃ. IↃc. VI.

Cum Priuilegio Christianissimi Galliarum Regis, ad decennium.

Bibliotheque du Cercle de Droit

BIU Cujas

BIU Cujas

ILLVSTRISSIMO VIRO,

D. D. PETRO BOCCAVDIO, TEIRANI,

ET IACONI DOMINO, SACRI CONSISTORII
Comiti, Supremæ subsidiorum Occitanæ
curiæ Principi,

IVLIVS PACIVS S. D.

IVRIS ciuilis ea est difficultas & amplitudo, vt in eo sine cortice (sicut est in prouerbio) rudioribus natare minimè liceat. nam quæstionum, obiectionum, dubitationum, decisionum, distinctionum, quasi vndarum & fluctuum, procellarúmque multitudine ac varietate facilè obruerentur. Itaque non solùm vtile, sed etiam necessarium semper visum fuit, Institutiones aliquas didascalicis præceptis refertas adhiberi, quibus studiosi adolescentes imbuti, non sine fructu in prolixioribus & difficilioribus libris Iuris versari possint. Quemadmodum enim prudenter agunt, qui priùs cimbam in fluuio regentes, se exercent, quàm nauem in Oceano gubernent: ita operæ pretium faciunt, qui rudimenta Iuris ex Institutionibus addiscunt, antequàm ad legum & constitutionum multiiugem doctrinam se conferant. Quocirca veteres illos, Gaium, Vlpianum, Paulum, Florentinum, Callistratum, Marcianum imitatus Iustinianus Imperator suis Digestis & Codici Institutiones optimo consilio adiunxit, opera potissimùm vsus Triboniani, viri, vt illa ætate esse potuit, docti & eruditi, & longo rerum vsu atque experientia præstantis. Si tamen fas est in pulcherrimo & vtilissimo opere aliquid desiderare, vereor vt Tribonianus omnino scopum sit assecutus: quia non animaduertit, quid inter suas, & veterum Institutiones interesse oportebat. Nam veteres illi auctores ad Iurisprudentiam à permultis scriptoribus non vna & eadem methodo traditam instituere, & prima quasi Iuris lineamenta in studiosorum animis ducere voluerunt: Triboniani verò institutum fuit ad Pandectarum & Codicis lectionem quasi manu studiosam iuuentutem ducere. Quod igitur illi præstare non potuerunt, ipse debuit obseruare, vt eodem ordine materias easdem in Institutionibus poneret, quas in Digesta & Codicem retulerat. nunc verò sic res habet, vt qui Institutiones perlegerunt, nihilominùs pleráque in aliis libris Iuris noua eis videantur: immo ne quidem in multis titulis, vt ad S. C. Silanianum, ad municipalem, & aliis non paucis, quid rubricarum verba significent, compertum habeant. Quid ergo, inquiet aliquis, non probas Institutionum doctrinam ac methodum? Absit à me hæc arrogantia, ne dicam stultitiam. Ego ne opus improbem, in quo enarrando sæpius operam meam lubens impendi: in quem, præter varios commentarios diuersis vicibus dictatos, notas, Analysim, Epitomen, Synopsim, Tabulas, Erotemata conscripsi? libellum hunc vtilissimum & maximè necessa-

BIU Cujas

rium esse arbitror: quippe qui Romani in immersum excrescentis Iuris perquàm elegans compendium continet. Sed in eo si perfectam & numeris omnibus absolutam ad Pandectas & Codicem Isagogen inesse profitear, res ipsa facilè ne redarguet: cùm sexcenti sint in Iure tractatus, ex quibus nihil in Institutionibus reperitur. Talis igitur est hic liber inter iuridicos, qualis ars parua Galeni inter volumina medica; præterquàm quòd plenior est, nisi fallor, & magna ex parte facilior. Quare non minoris facere, nec minùs assiduè in manibus habere, quàm Galeni artem illam medici elegantes, hoc iuris breuiarium debemus: ipsúmque

Nocturna versare manu, versare diurna.

Veruntamen piis Iustiniani seu Triboniani manibus non displicebit, si aliam quoque opem ad cæteros libros Iuris intelligendos adiungamus, énarrationem inquam titulorum: quam omni tempore studiosos desiderasse, argumento est, quòd numquam defuerunt, qui in hoc puluere, quamquã alij aliter, laborarent. Quid enim aliud sunt Macentini & Azonis popularium & decessorum meorum summæ? quid Brantij expositiones? quid VVesenbecij & Cuiacij Paratitla? Horum igitur exemplo Isagogicum, quod nunc ad te, vir Illustrissime mitto, in vtrumque ius conscripsi. Nec vereor, ne actum agere videar: cùm id mihi proposuerim, quòd nemo hactenus, vt mihi quidem videtur, obseruauit. Cùm enim Iuris ciuilis duæ sint partes; altera theorica, qua distinctiones, definitiones, etymologiæ, origines, diuisiones continentur; altera practica, qua species, quæstiones, decisiones comprehenduntur: haudquaquam hæc duo coniungere, vt in Iustinianicis Institutionibus, & in Placentini atque Azonis summis, necnon in VVesenbecij Paratitlis factum est, sed sola ferè theorica, eáque si possem, pleniùs quam ab aliis sint tractata, conatus sum hoc volumine complecti. Quamobrem initiò Theoricos libros appellabam: sed postea, scopi ratione habita, Isagogicos malui nuncupare. Denique, quocumque titulo sua illi opera inscribant, ego nec notas siue obseruationes cum Cuiacio congerere, nec summulas cum Placentino, Azone, VVesenbecio conscribere sed ea tradere institui, quæ memoriter omnes studiosi scire debent, vt, quauis materia proposita, intelligere possint, quid sit id, de quo disputatur, quæque sit eius vis, natura, proprietates: vnde, æquitate quasi in societatem recepta, legitimas conclusiones facilè colligere possint. Ac ne quid in hoc opere studiosos desiderare paterer, non minùs Pontificios quam Cæsareos titulos explanaui. Malui tamen Isagogicos libros, quã Enarrationes titulorum inscribere: siue vt nihil mihi commune esset cum Brantio, homine (meo iudicio) imperitissimo: siue quia tituli non minùs præceptis practicis, quã obseruationibus theoricis declarantur: cùm ego hîc theorica collegerim, practica verò in libros sententiarum, & opinionum reiecerim. Hoc igitur opere quasi æditum in ædis vestibulo studiosos excipio, vt Iuris sacris initiatos ad summum illum sacerdotem Iustinianum in ipsum iustitiæ templum, quod Codicis & Digestorum legibus est extructum, commodè remittam. Cùm autem hortantibus amicis, quibus aliquid denegare nefas puto, in lucem id emittere constituerim: oblatam mihi occasionem existimaui, quam iampridem quæro & capto, meam erga te obseruantiam publicè testandi. Te námque non solùm propter tuam eximiam virtutem, quam omnes suspiciunt, ac summam, qua conspicuus es, dignitatem; sed etiam ob ea, quæ in me contulisti beneficia, tantum diligo & colo, quantum animus meus, à quo turpe ingrati vitium longissimè abest, capere potest. Nam etsi animaduerto me hac ratione non tam dare, quam accipere beneficium; quia tua decora & ornamenta

BIU Cujas

menta, non possunt mea commendatione fieri illustriora; quin è contrario mea scripta ex tuo Illustrissimo Nomine splendorem aliquem accipient: tamen si meos labores, quòd maxime cupio, posteritas vel eo ipso, quòd sunt meri labores, non aspernabitur: profectò ingratum eidem non erit, me tanto viro charum fuisse, cuius fauore suffultus potuerim audiente Apolline (si modò vocatus audierit) etiam de posteris bene mereri. Neque verò dum tuas laudes tuáque beneficia prædico, Nobilissimum istum, cui dignissimè præes, Senatum excludo tantum enim me isti sapientissimo & magnificentissimo Ordini deuinctum sentio, quantum vix animo complecti possum, verbis certè exprimere nequeo. Huic tam præstanti ac de me tam bene merito consessui Te non minùs humanitate & erga me beneuolentia, quàm gloria & virtute excellentem diuino & Regio beneficio datum esse moderatorem & Præsidem, stipes sim, nisi maximè gaudeam, immo omni lætitia exultem. Ergo Amplissimo Senatui gratulor, quòd Te omnibus votis exoptatissimum principem obtinuerit. Tibi non minùs gratulor, quem Curiæ non solùm auctoritate, sed etiam pietate, prudentia, iustitia supremæ, inuictissimi Regis voluntas præfecit. Mihi gaudeo, quòd tales patronos na ctus sim, quibus etiam atque etiam, Tibi in primis, commendatus esse cupio.

Deus Optimus Maximus Te supremæ subsidiorum Occitanæ Curiæ, Tibi eiusdem senatores, vos omnes Christianissimo Regi, & reipublicæ quam diutissimè conseruet. Vale. Dab. Monspelij, Nonis Nouemb. 1605.

***

† 3



Bibliothèque de l'Ecole de Droit

BIU Cujas

AD NOBILISS. ET AMPLISS. VIRVM, D. IVLIVM PACIVM A BERIGA,

Philosophum & Iurisconsultum celeberrimum.

DICAM quid Themis, & quid alma Pallas
PACI delicium eruditiorum
Tuis debeat vsque & vsque Musis?
Tu fontem Aonidum illicem, & recessus
Sacratos aperis, Themímque celso
Demissam catus exhibes olympo,
Et diâ face discutis tenebras,
Pelasgæ quibus, & quibus Latinæ
Ignotæ fuerant diu Camœnæ.
O nostri decus, ô peremne PACI
Iubar temporis inclytum, æuiternæ
Quem Astrææ chorus, & chorus Mineruæ
Ducem suspicit, inclytarum honoro
Offer tempora frondium virori,
Queîs phœbus, quibus eutheæ sorores,
Queîs Astræa tuos premit capillos.

Scripsi Lugduni, I. GRASSERVS,
Basil. M. & Poëta Cæs. ∞.LƆC.VI.

INDEX

BIU Cujas

INDEX TITVLORVM,

QVI IN HIS LIBRIS ISAGOGICIS ENARRANTVR.

Prior numerus librum, posterior titulum significat.

A

Institutionum.

Acquisitione per arrogationem. 3.10
Actionibus. 4.6
Ademptione legatorum. 2.21
Adoptionibus. 1.11
Assignatione libertorum. 3.8
Attiliano tutore, & eo qui ex lege Iulia & Titia dabatur. 1.20
Auctoritate tutorum vel curatorum. 1.21

Digestorum.

Abigeis. 47.14
Acceptilatione. 46.4
Accusationibus & inscriptionibus. 482
Acquirenda vel amittenda possessione. 41.2
Acquirenda vel omittenda hereditate. 29.2
Acquirendo rerum dominio. 41.1
Actione rerum amotarum. 25.2
Actionibus empti & venditi. 19.1
Ademptione libertatis. 4.6
Ad exhibendum. 10.4
Adgnoscendis & alendis liberis, vel parentibus, vel patronis, vel libertis. 25.3
Adimendis vel transferendis legatis vel fideicommissis. 34.4
Ad legem Aquiliam. 9.2
Ad legem Corneliam de falsis, & de S.C. Liboniano. 48.10
Ad legem Corneliam de sicariis & veneficiis. 48.8
Ad legem Falcidiam. 35.2
Ad legem Flauiam de plagiariis. 48.15
Ad legem Iuliam de adulteriis coërcendis. 48.5
Ad legem Iuliam de annona. 48.12
Ad legem Iuliam de ambitu. 48.14
Ad legem Iuliam maiestatis. 48.4
Ad legẽ Iuliã peculatus, & de sacrilegiis, & de residuis. 48.13
Ad legem Iuliam repetundarum. 48.11
Ad legem Iuliam de vi priuata. 48.7
Ad legem Iuliam de vi publica. 48.6
Ad legem Pompeiam de parricidiis. 48.9
Administratione & periculo tutorum & curatorum, qui gesserunt vel non, & de agentibus vel conueniendis vno vel pluribus. 26.7
Administratione rerum ad ciuitates pertinentium. 50.8
Ad municipalem & de incolis. 50.1
Adoptionibus & emancipationibus & aliis modis quibus potestas soluitur. 1.7
Adquirenda vel amittenda possessione. 41.2
Adquirenda vel omittenda hereditate. 29.2
Adquirendo rerum dominio. 41.1
Ad S.C. Tertyllianum & orphitianum. 38.17
Ad S.C. Trebellianum. 36.1
Ad S.C. Turpilianum, & de abolit. criminum. 48.6
Ad S.C. Velleianum. 16.1
Adsignandis libertis. 38.4
Ædilitio edicto, & redhibitione & quanti minores. 21.1
Æstimatoria. 19.2
Agnoscendis & alendis liberis, vel parentibus vel patronis, vel libertis. 25.3
Albo scribendo. 50.3
Aleatoribus. 11.5
Alienatione iudicij mutandi causâ facta. 4.7
Alimentis vel cibariis legatis. 34.1
Annuis legatis & fideicommissis. 33.1
An per alium causæ appellationum reddi possint. 49.9
Appellationibus & relationibus. 49.1
Appellationibus recipiendis, vel non. 49.5
Apud eum, à que appellatur, aliam causam agere compellendum. 49.12
Aqua quotidiana, & æstiua. 43.20
Aqua, & aquæ pluuiæ arcendæ. 39.3
A quibus appellari non licet. 48.2
Arboribus cædendis. 43.27
Arborum furtim Cæsarum. 47.7
Auctoritate & consensu tutorum & curatorum. 26.8
Auro & argento mundo, ornamentis, vnguentis, veste vel vestimentis, & statuis legatis. 34.2

Codicis.

Abigeis. 9.37
Abolitionibus. 9.42
Acceptilationibus. 8.43
Accusationibus, & inscriptionibus. 9.2
Acquirenda & retinenda possessione. 7.32
Actionibus empti, & venditi. 4.49
Actore à tutore seu curatore dando. 5.61
Ad exhibendum. 3.42
Ad legem Corneliam de falsis. 9.22
Ad legem Corneliam de sicariis. 9.16
Ad legem Falcidiam. 6.50
Ad legem Fabiam de plagiariis. 9.20
Ad legem Iuliam de adulteriis, & stupro. 9.9
Ad legem Iuliam de ambitu. 9.26
Ad legem Iuliam de vi publica, vel priuata. 9.12
Ad legem Iuliam maiestatis. 9.8
Ad legem Iuliam repetundarum. 9.27
Ad legem Visselliam. 9.21
Administratione rerum publicarum. 11.30
Administratione tutorum vel curatorum, & pecunia pupillari fœneranda, vel deponenda. 5.37
Adoptionibus. 8.47
Adquirenda & retinenda possessione. 7.32
Ad senatusconsultum Macedonianum. 4.28
Ad senatusconsultum Orficianum. 6.57
Ad senatusconsultum Tertulianum. 6.56
Ad senatusconsultum Trebellianum. 6.48
Ad senatusconsultum Turpillianum. 9.45
Ad senatusconsultum Vellcianum. 4.29
Assertione tollenda. 7.17
Adsessoribus, & domesticis, & cancellariis iudicum. 1.51
Aduocatis diuersorum iudiciorum. 2.7
Aduocatis fisci. 2.8

Ædificiis

BIU Cujas

Ædificiis priuatis. 8.10
Ædiluitiis actionibus. 4.58
Agentibus in rebus. 12.20
Agricolis & censitis. 11.47
Agricolis & mancipiis dominicis, vel fiscalibus, siue rei priuatæ. 11.67
Aleatoribus & alearum lusu. 3.43
Alendis liberis, ac parentibus. 5.25
Alexandriæ primatibus. 11.28
Alienatione iudicij mutandi causa facta. 2.54
Alimentis pupillo præstandis. 5.50
Alluuionibus, & paludibus, & pascuis ad alium statum translatis. 7.41
Annali exceptione Italici contractus tollenda, & de diuersis temporibus, & exceptionibus, & præscriptionibus, & interruptionibus earum. 7.40
Annonis ciuilibus. 11.24
Annonis & capitatione administrantium, & eorum assessorum aliorumue publicas solicitudines gerentium, vel eorum qui aliquas consecuti sunt dignitates. 1.52
Annonis & tributis. 10.16
An seruus pro suo facto post manumissionem teneatur. 4.14
Apochis publicis, & de descriptionibus, curialibus, & de distributionibus ciuilibus. 10.22
Apostatis. 1.7
Apparitoribus comitis Orientis. 12.56
Apparitoribus magistrorum militum & priuilegiis eorum. 12.54.
Apparitoribus præfecti annonæ. 12.58
Apparitoribus præfectorũ prætorio, & priuilegiis eorũ. 12.52
Apparitoribus præfecti vrbis. 12.53
Apparitoribus proconsulis & legati. 12.55
Appellationibus, & consultationibus. 7.62
Arbitrium tutelæ. 5.51
Argenti pretio, quod thesauris infertur. 10.76
Athletis. 10.53
Auro coronario. 10.74
Auri publici prosecutoribus. 10.73
Auctoritate præstanda. 5.59

Decretalium.

Accusationibus, inquisitionibus, & denunciationibus. 5.1
Adulteriis, & stupro. 5.16
Ætate & qualitate & ordine præficiendorum. 1.14
Alienatione iudicij mutandi causâ facta. 1.13
Appellationibus, recusationibus, &c. 2.23
Apostatis, & reiterantibus Baptisma. 5.9
Arbitris. 1.14
Auctoritate & vsu pallij. 1.8

B

Institutionum.

Bonorum possessionibus. 3.9

Digestorum.

Bonis damnatorum. 48.20
Bonis eorum, qui ante sententiam vel mortem sibi consciuerunt, vel accusatorem corruperunt. 48.21
Bonis libertorum.
Bonorum possessione contra tabulas. 37.4
Bonorum possessione ex testamento militis. 37.13
Bonorum possessione furioso, infanti, muto, surdo, cæco competente. 37.3
Bonorum possessione secundum tabulas. 37.11
Bonorum possessionibus. 37.1

Codicis.

Bonis auctoritate iudicis possidendis seu venundandis, & de separationibus bonorum. 7.72
Bonis eorum qui mortem sibi consciuerunt. 9.50
Bonis libertorum, & iure patronatus. 6.4
Bonis maternis, & materni generis. 6.60
Bonis proscriptorum seu damnatorum. 9.49
Bonis quæ liberis in potestate constitutis ex matrimonio vel aliàs acquiruntur, & eorum administratione. 6.61
Bonis vacantibus, & incorporatione. 10.10
Bonorum possessione contra tabulas liberti, quæ patronis liberisque eorum datur. 6.13
Bonorum possessione contra tabulas, quam prætor liberis pollicetur. 6.12
Bonorum possessione secundum tabulas. 6.11

Decretalium.

Baptismo, & eius effectu. 3.13
Bigamis non ordinandis. 1.21

C

Institutionum.

Capitis deminutione. 1.16
Codicillis. 2.25
Curatoribus. 1.23

Digestorum.

Cadaueribus punitorum. 48.24
Calumniatoribus. 3.6
Capite minutis. 4.5.
Captiuis, & de postliminio, & redemptis ab hostibus. 49.15
Carboniano edicto. 37.10
Castrensi peculio. 49.17
Censibus. 50.15
Cessione bonorum. 42.3
Clericis. 43.23
Collatione. 37.6
Collegiis, & corporibus. 47.22
Collusione detegenda. 40.16
Commodati, vel contra. 13.6
Communi diuidundo. 10.3
Communia prædiorum, tam vrbanorũ, quàm rusticorum. 8.4
Compensationibus. 16.3
Concubinis. 25.7
Concussione. 47.13
Condictione causâ data, causâ non secutâ. 12.4
Condictione ex lege. 13.2
Condictione furtiua. 13.1
Condictione indebiti. 12.6
Condictione ob turpem vel iniustam causam. 12.5
Condictione sine causa. 12.7
Condictione triticiaria. 13.3
Conditionibus, & demonstrationibus, & causis, & modis eorum quæ in testamento scribuntur. 35.1
Conditionibus institutionum. 28.7
Confessis. 42.2
Confirmando tutore, vel curatore. 26.3
Coniungendis cum emancipato liberis eius. 37.8
Constituta pecunia. 13.5
Constitutionibus principum. 1.4
Contrahenda emptione, & de pactis inter emptorem & venditorem compositis, & quæ res venire non possunt. 18.1
Contraria tutelæ, & vtili actione. 27.4
Curatore bonis dando. 42.7
Curatoribus furioso & aliis extra minores dandis. 27.10
Custodia & exhibitione reorum. 48.3

Codicis.

Caducis tollendis. 6.51
Calumniatoribus. 9.46
Canone frumentario vrbis Romæ. 11.22
Canone largitionalium titulorum. 10.23
Capiendis & distrahẽdis pignoribus tributorum causâ. 10.21

BIU Cujas

Capitatione ciuium censibus eximenda. 11.48
Carboniano edicto. 6.17
Castrensianis & ministerianis. 12.25
Castrensi omnium palatinorum peculio. 12.30
Castrensi peculio militum, & præfectianorum. 12.36
Censibus, & censitoribus, & peræquatoribus, & inspectoribus. 11.57
Classicis. 11.13
Codicillis. 6.36
Cohortalibus principib°, cornicularijs, ac primipilaribus. 12.57
Collationibus. 6.20
Collatione æris. 10.29
Collatione donatorum, vel releuatorum, aut translatorum, seu adæratorum. 10.28
Collatione fundorum fiscalium, vel rei priuatæ vel dominicæ, vel ciuitatis, vel templi. 11.73
Collatione fundorũ patrimonialiũ, & emphyteuticariorũ. 11.64.
Collusione detegenda. 7.20
Colonis Illyricianis. 11.52
Colonis Palæstinis. 11.50
Colonis Thracensibus. 11.51
Comitibus consistorianis. 12.10
Comitibus & archiatris sacri pallatij. 12.13
Comitibus, & tribunis scholarum. 12.11
Comitibus qui prouincias regunt. 12.14
Comitibus rei militaris. 12.12
Commeatu. 12.42
Commerciis, & mercatoribus. 4.63
Comminationes, Epistolas, programmata, subscriptiones, auctoritatem rei iudicatæ non habere. 7.57
Commodato. 4.23
Communia de legatis & fideicommissis. 6.43
Communia de manumissionibus. 7.15
Communia de successionibus. 6.59
Communia de vsucapionibus. 7.30
Communi diuidundo. 3.37
Communium rerum alienatione. 4.52
Communi seruo manumisso. 7.7
Communia vtriusque iudicij, tam familiæ erciscundæ, quàm communi diuidundo. 3.38
Compensationibus. 4.31
Concubinis. 5.26
Conditione ex lege, & sine causa, vt iniusta causa. 4.9
Conditione furtiua. 4.8
Conditione indebiti. 4.5
Conditione ob causam datorum. 4.6
Conditione ob turpem causam. 4.7
Conditionibus insertis tam in legatis, quàm in fideicommissis & libertatibus. 6.46
Conditis in publicis horreis. 10.26
Conductoribus, & procuratoribus, siue actoribus prædiorum fiscalium, & domus Augustæ. 11.71
Confessis. 7.59
Confirmando tutore. 5.29
Consortibus eiusdem litis. 3.40
Constituta pecunia. 4.18
Consulibus & non spargendis ab his pecuniis, & de præfectis, & magistris militum, & patricijs. 12.3
Contractibus iudicum, vel eorum qui sunt circa eos, & inhibendis donationibus in eos faciendis, & ne administrationis tẽpore proprias ædes ædificent sine sanctione pragmatica. 1.53
Contrahenda emptione & venditione. 4.34
Contrahenda & committenda stipulatione. 8.37
Contrario iudicio tutelæ. 5.58
Conueniendis fisci debitoribus. 10.2
Creditorem euictionem pignoris non debere. 8.45
Crimine expilatæ hereditatis. 9.32
Crimine peculatus. 9.28
Crimine sacrilegij. 9.29
Crimine stelionatus. 9.34
Cupressis ex luco Daphnensi, vel persicis per Ægyptum non excindendis vel vendendis. 11.77
Curatore furiosi, vel prodigi. 5.70
Curiosis, & stationarijs. 12.22
Cursu publico, & angariis, & parangariis. 12.50
Custodia reorum. 9.4

Decretalium.

Calumniatoribus. 5.2
Capellis monachorum, &c. 3.26
Causa possessionis, & proprietatis. 2.12
Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & diuinis officijs. 2.12
Censibus, exactionibus, & procurationibus. 3.39
Clandestina desponsatione. 4.3
Clericis peregrinis. 1.22
Clericis peregrinantibus. 2.29
Clericis coniugatis. 3.3
Clericis non residentibus in Ecclesia vel prebendæ. 3.4
Clericis pugnantibus in duello. 3.14
Clerico ægrotante vel debilitato. 3.6
Clerico maledico. 5.26
Clerico venatore. 5.24
Clerico percussore. 5.25
Clerico excommunicato depositio, vel interdicto ministrãte. 5.27
Clerico non ordinato ministrante. 5.28
Clerico per saltum promoto. 5.29
Cognatione spirituali. 4.11
Cognatione legali. 4.12
Cohabitatione clericorum & mulierum. 3.2
Collusione detegenda. 5.22
Commodato. 3.15
Concessione præbendæ & Ecclesiæ non vacantis. 3.8
Conditionibus appositis in desponsatione, vel in aliis contractibus. 4.5
Confessis. 2.18
Confirmatione vtili, vel inutili. 2.30
Coniugio leprosorum. 4.8
Coniugio seruorum. 4.9
Consanguinitate, & affinitate. 4.14
Consecratione Ecclesiæ, vel altaris. 3.40
Constitutionibus. 1.2
Consuetudine. 1.4
Conuersione coniugatorum. 3.22
Conuersione infidelium. 3.23
Corpore vitiatis, vel non. 1.20
Crimine falsi. 5.20
Custodia Eucharistiæ, chrismatis, & aliorum Sacramentorum. 3.44

D

Institutionum.

Diuisione stipulationum. 3.16
Donationibus. 12.7
Duobus reis stipulandi & promittendi. 3.16

Digestorum.

Damno infecto, & de suggrundis, & protectionibus. 39.2
Decretis ab ordine faciendis. 50.9
Decurionibus, & filijs eorum. 50.2
Depositi vel contra. 16.3
Distractione pignorum & hypothecarum. 20.5
Diuersis regulis iuris antiqui. 50.17
Diuersis temporalibus præscriptionibus, & de accessionibus possessionum. 44.3
Diuisione rerum, & qualitate. 1.8
Diuortiis, & repudiis. 24.2

BIU Cujas

Doli mali & metus exceptione. 24.4
Dolo malo. 4.3
Donationibus. 39.5
Donationibus inter virum & vxorem. 24.1
Dote prælegata. 33.4
Dotis collatione. 37.7
Duobus reis constituendis. 45.2

Codicis.

Debitoribus ciuitatum. 11.12
Debitorem venditionem pignoris impedire non posse. 8.28
Decanis. 12.26
Decretis decurionũ super immunitate quibusdã cõcedẽda: 10.46
Decurialibus vrbis Romæ. 11.14
Decurionibus, & filiis eorum, & qui decuriones habeantur, & quibus modis à fortuna curiæ liberentur. 10 33
Dedititia libertate tollenda. 7.5
Defensoribus ciuitatum. 1.55
Delatoribus. 10.11
Depositi, vel contrà. 4.34
Desertoribus & occultatoribus eorum. 12.45
Dignitatibus. 12.1
Dilationibus. 13.11
Discussoribus. 10.30
Distractione pignorum. 8.27
Diuersis officiis & apparitoribus iudicium, & probatoriis eorum. 12.59
Diuersis prædiis vrbanis & rusticis templorum & ciuitatum, & omni reditu ciuili. 11.69
Diuersis rescriptis & pragmaticis sanctionibus. 1.23
Diuidẽda tutela, & pro qua parte quisq; tutorũ cõueniatur. 5.52
Diuortio facto, apud quem liberi morari vel educari debeant. 5. 24
Dolo malo. 21.20
Domesticis, & protectoribus. 12.17
Donationibus. 8.53
Donationibus ante nuptias vel propter nuptias, & sponsalitiis. 5.3
Donationibus causa mortis. 8.56
Donationibus inter virum & vxorem, &c. 5.16
Donationibus, quæ sub modo, vel conditione, vel ex certo tempore conficiuntur. 8.54
Dote cauta non numerata. 5.15
Dotis promissione, & nuda pollicitatione. 5.11
Duobus reis stipulandi & promittendi. 8.39

Decretalium.

Decimis, primitiis, & oblationibus. 3.30
Delictis puerorum. 5.23
Deposito. 3.16
Desponsatione impuberum. 4.2
Digamis. 1.21
Dilationibus. 2.8
Diuortiis. 4.19
Dolo & contumacia. 2.14.
Donationibus. 3.24
Donationibus inter virum & vxorem, & de dote post diuortiũ restituenda. 4.20

E

Institutionum.

Emptione & venditione. 3.23
Eo, cui libertatis causa bona addicuntur. 3.11
Exceptionibus. 4.13
Excusationibus tutorum, vel curatorum. 1.25
Exhæredatione liberorum. 2.13

Digestorum.

Edendo. 2.13
Effractoribus, & expilatoribus. 47.18
Eo per quem factum erit quominus in iudicio sistat. 2.10
Eo qui pro tutore prõve curatore negotia gessit. 27.5
Eo quod certo loco dari oportet. 13.14
Eum qui appellauerit, in prouincia defendi. 49.11
Euictionibus & duplæ stipulatione. 21.2
Exceptionibus præscriptionibus, & præiudiciis. 44.1
Exceptione rei iudicatæ. 44.2
Exceptione rei venditæ & traditæ. 21.3
Excusationibus. 27.1
Exercitoria actione. 14.1
Expilatæ hereditatis. 47.19
Ex quibus causis maiores 25. annis in integrũ restituantur. 4.6
Ex quibus causis pignus vel hypotheca tacitè contrahitur. 20.2
Extraordinariis congnitionibus, & si iudex litem suam fecisse dicetur. 50.13
Extraordinariis criminibus. 47.11

Codicis.

Edendo. 2.1
Edicto Diui Hadriani tollendo, & quemadmodum scriptus heres in possessionem mittatur. 6.33
Emancipationibus liberorum. 8.48
Emendatione propinquorum. 9.15
Emendatione seruorum. 9.14
Eo qui pro tutore negotia gessit. 5.45
Episcopali audientia, & de diuersis capitulis quæ ad ius curámque & reuerentiam pertinent pontificalem. 1.4
Episcopis, & clericis, & orhanotrophis, & xenodochis, &c. 1.3
Equestri dignitate. 12.31
Erogatione militaris annonæ. 12.37
Errore aduocatorum, vel libellos seu preces concipientium. 2.9
Errore calculi. 2.5
Etiam ob chirographariam pecuniam pignus teneri. 8.26
Etiam per procuratorem causam in integrum restitutionis agi posse. 2.48
Euictionibus. 8.44
Eunuchis. 4.42
Exactoribus tributorum. 10.19
Exceptionibus seu præscriptionibus. 8.35
Excoctione & translatione militarium annonarum. 12.38
Excusationibus artificum. 10.64
Excusationibus munerum. 10.47
Excusationibus tutorum, & curatorum, & de temporibus earũ. 5.62
Excusatione veteranorum. 5.65
Ex delictis defunctorum in quantum heredes conueniãtur. 4.17
Executionibus, & exactoribus. 12.60
Executione rei iudicatæ. 7.53
Exhibendis, & transmittendis reis. 9.3
Expensis ludorum publicorum. 11.41
Ex quibus causis infamia irrogatur. 2.11

Decretalium.

Ecclesiis ædificandis, vel reparandis. 3.48
Electione, & electi potestate. 1.6
Emptione & venditione. 3.17
Eo qui mittitur in possessionem causâ rei seruandæ. 2.15
Eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium. 4.7
Eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ, vel sponsæ. 4.13
Eo qui ordinem furtiue suscepit. 5.30
Exceptionibus. 2.25
Excessibus prælatorum, & subditorum. 5.31

F

Institutionum.

Fideicommissariis hæreditatibus & ad S.C. Trebellianum. 2.23
Fideiussoribus. 3.20

Fiduciaria

BIU Cujas

Fiduciaria tutela. 1.18

Digestorum.

Familiæ erciscundæ. 19.2
Feriis, & dilationibus, & diuersis temporibus. 2.12
Fideicommissoria hereditatis petitione. 5.6
Fideicommissariis libertatibus. 40.5
Fide instrumentorum, & amissione eorum. 22.4
Fideiussoribus, & mandatoribus. 46.1
Fideiussoribus, & nominatoribus, & hæredibus tutorum & curatorum. 27.7
Finium regundorum. 10.1
Fluminibus ne quid in flumine publico ripâve eius fiat, quò peius nauigetur. 43.12
Fonte. 43.23
Fugitiuis. 11.14
Fundo dotali. 29.5
Furibus balneariis. 47.17
Furtis. 47.2
Furti aduersus nautas, caupones, & stabularios. 47.5

Codicis.

Fabricensibus. 11.10
Falsa causa adiecta legato vel fideicommisso. 6.44
Falsa moneta. 9.24
Familiæ erciscundæ. 3.36
Famosis libellis. 9.36
Feriis. 3.12
Fide & iure astæ fiscalis, & de adiectionibus. 10.3
Fideicommissariis libertatibus. 7.4
Fideicommissis. 6.42
Fide instrumentorum, & amissione eorum, & de apochis & antapochis faciendis, & his quæ sine scriptura fieri possunt. 4.21
Fideiussoribus, & mandatoribus. 8.40
Fideiussoribus minorum. 2.23
Fideiussoribus tutorum, vel curatorum. 5.57
Filiisfamilias, & quemadmodum pro his pater teneatur. 10.60
Filiis officialium, & militarium, qui in bello moriuntur. 12.47
Filiofamilias minore. 2.22
Finium regundorum. 3.39
Fiscalibus vsuris. 10.8
Formulis & impetrationibus actionum sublatis. 2.57
Fructibus & litium expensis. 7.51
Frumento Alexandrino. 11.23
Frumento vrbis Constantinopolitanæ. 11.23
Fugitiuis colonis patrimonialibus, saltuensibus, & emphyteuticis. 11.63
Fundo dotali. 5.23
Fundis & saltibus rei Dominicæ. 11.66
Fundis limitrophis, & terris &c. 11.59
Fundis patrimonialib. & saltuensib. &c. 11.61
Fundis rei priuatæ, & saltibus diuinæ domus. 11.65
Furtis & seruo corrupto. 6.2

Decretalium.

Feriis. 2.9
Feudis. 3.20
Fide instrumentorum. 2.22
Fideiussoribus. 3.22
Filiis presbyterorum ordinandis, vel non. 1.17
Foro competenti. 2.2
Frigidis, & maleficiatis, &c. 4.15
Furtis. 5.18

G

Institutionum.

Gradibus cognationum. 3.6

Digestorum.

Glande legenda. 43.28
Gradibus & adfinibus, & nominibus eorum. 38.2

Codicis.

Generali abolitione. 9.43
Gladiatoribus penitus tollendis. 11.43
Grege dominico. 11.75

H

Institutionum.

Heredibus instituendis. 2.14
Hereditatibus, quæ ab intestato deferuntur. 3.1
Heredum qualitate & differentia. 2.19
His per quos agere possumus. 4.10
His qui sui vel alieni iuris sunt. 1.8

Digestorum.

Heredibus instituendis. 28.5
Hereditatis petitione. 5.3
Hereditate vel actione vendita. 18.4
His quæ in testamẽto delentur, inducuntur, vel inscribũtur. 28.4
His quæ pœnæ causâ relinquuntur. 34.6
His quæ pro non scriptis habentur. 34.8
His quæ vt indignis auferuntur. 34.9
His qui effuderint, vel deiecerint. 9.3
His qui notantur infamiâ. 3.2
His qui sui vel alieni iuris sunt. 1.6
Homine libero exhibendo. 43.20

Codicis.

Hæreticis, & Manichæis, & Samaritis. 1.5
Hereditariis actionibus. 4.16
Hereditatibus decurionum, nauicul ariorum, cohortalium, militum, & fabricensium. 6.62
Heredibus instituendis, & quæ personæ heredes institui non possunt. 6.24
Heredibus tutorum vel curatorum. 5.54
Hereditate vel actione vendita. 4.39
His quæ ex publica collatione illata sunt, non vsurpandis. 10.73
His quæ pœnæ nomine in testamento vel codicillis scribuntur, vel relinquuntur. 6.41
His quæ sub modo legata seu fideicommissa relinquuntur. 6.45
His quæ vi metúsve causa gesta sunt. 2.19
His qui accusare non possunt. 9.1
His qui ad Ecclesiam confugiunt, vel ibi exclamant, & ne quis ab Ecclesia extrahatur. 1.12
His qui ad statuas confugiunt. 1.25
His qui à non domino manumissi sunt. 7.10
His qui ante apertas tabulas hereditatem transmittunt. 6.52
His qui à principe vacationem acceperunt. 10.44
His quibus vt indignis hereditates auferuntur, & ad senatusconsultum silanianum. 6.35
His, qui ex officio quod administrarunt, conueniuntur. 11.38
His qui in exilium dati, vel ab ordine moti sunt. 10.59
His qui ex publicis rationibus mutuã pecuniam acceperunt. 10.6
His qui in Ecclesiis manumittuntur. 1.3
His qui in priorum creditorum locum succedunt. 8.18
His qui latrones vel alios criminis reos occultauerint. 9.39
His qui non impletis stipendiis Sacramento soluti sunt. 10.54
His qui numero liberorum vel paupertate excusationem meruerunt. 10.51
His qui parentes vel liberos occiderunt. 9.17
His qui potentiorum nomine, titulos prædiis affigunt, vel eorum nomine in litem prætendunt. 2.14
His qui propter metum iudicis non appellauerunt. 4.67
His qui se deferunt. 10.13
His qui sibi adscribum in testamento. 9.23
His qui sponte munera publica subeunt. 10.43

BIU Cujas

His qui veniam ætatis impetrauerunt. 2.44
Honoratorum vehiculis. 11.19

Decretalium.

Hæreticis. 5.7
His quæ vi metúſve cauſa fiunt. 1.40
His quæ fiunt à prælatis ſine conſenſu capituli. 3.10
His quæ fiunt à maioriparte capituli. 3.11
His qui filios occiderunt. 5.10
Homicidio voluntario, vel caſuali. 5.12

I

Inſtitutionum.

Ingenuis. 1.4
Iniuriis. 4.4
Inofficioſo teſtamento. 2.18
Interdictis. 4.15
Inutilibus ſtipulationibus. 3.19
Iure naturali gentium & ciuili. 1.2
Iure perſonarum. 1.3
Iuſtitia & iure. 1.1

Digeſtorum.

Impenſis in res dotales factis. 25.1
Incendio, ruina, naufragio, naue, rate expugnata. 47.9
In diem addictione. 18.2
In integrum reſtitutionibus. 4.1
Iniuriis, & famoſis libellis. 47.10
Iniuſto, rupto, irrito facto teſtamento. 28.3
In ius vocando. 2.4
In ius vocati vt eant, aut ſatis vel cautum dent. 2.6
In litem iurando. 12.3
Inofficioſo teſtamento. 5.2
In quib. cauſis pignus vel hypotheca tacitè contrahitur. 20.2
In rem verſo. 15.3
Inſpiciendo ventre, cuſtodiendóque partu. 25.4
Inſtitoria actione. 14.3
Inſtructo, vel inſtrumento legato. 33.7
Interdictis, & relegatis, & deportatis. 48.22
Interdictis, ſiue extraordinariis actionib⁹ quæ his cõpetunt. 43.8
Interrogationibus in iure faciendis, & interrogatoriis actionibus. 11.1
Itinere, actúque priuato. 48.19
Iudicatum ſolui. 46.7
Iudiciis, & vbi quis agere vel conueniri debeat. 5.1
Iure aureorum annulorum. 40.10
Iure codicillorum. 29.7
Iure deliberandi. 28.8
Iure dotium. 23.3
Iure fiſci. 49.14
Iure immunitatis. 50.6
Iureiurando ſiue voluntario, ſiue neceſſario, ſiue iudiciali. 12.2
Iure patronatus. 37.14
Iuris & facti ignorantia. 22.6
Iuriſdictione. 2.1
Iuſtitia & iure. 1.1

Codicis.

Immunitate nemini concedenda. 10.25
Imponenda lucratiuis deſcriptione. 10.35
Impuberum & aliis ſubſtitutionibus. 6.26
Incertis perſonis. 6.48
Inceſtis, & inutilibus nuptiis. 5.5
Incolis, & vbi quis domicilium habere videtur, & de his qui ſtudiorum cauſâ in alia ciuitate degunt. 10.39
Indictionibus. 10.17
Indicta viduitate, & lege Iulia Miſcella tollenda. 6.40
Infamibus. 10.57
Infantib. expoſitis, liberis & ſeruis, & de his qui ſanguinolentos nutriendos acceperunt. 8.51
Infirmandis pœnis cœlibatus, & orbitatis, & de decimariis ſublatis. 8.57
Ingenuis manumiſſis. 7.14
Ingratis liberis. 8.49
In integrum reſtitutione minorum 25. annis. 2.52
In integrum reſtitutione poſtulata ne quid noui fiat. 2.49
Iniuriis. 9.35
In ius vocando. 2.2
In litem dando tutore vel curatore. 5.44
In litem iurando. 5.53
Inofficioſis donationib. 3.29
Inofficioſis dotibus. 3.30
Inofficioſo teſtamento. 3.28
In quibus caſib. tutorem vel curatorem habenti tutor vel curator dari poteſt. 5.36
In quibus cauſis ceſſat longi temporis præſcriptio. 7.34
In quib. cauſis coloni cenſiti dominos accuſare poſſint. 11.49
In quibus cauſis in integrum reſtitutio neceſſaria non eſt. 2.40
In quibus cauſis militantes fori præſcriptione vti non poſſint. 3.25
In quibus cauſis pignus tacitè contrahitur. 8.14
Inſtitoria, & exercitoria actione. 4.25
Inſtitutionib. & ſubſtitutionib. & reſtitutionib. ſub conditione factis. 6.25
Inter alios acta, aliis non nocere. 7.60
Interdictis. 8.1
Interdicto matrimonio inter pupillam & tutorem, ſeu curatorem, filióſque eorum. 5.6
Inutilibus ſtipulationibus. 8.38
Irenarchis. 10.75
Iudæis, & cœlicolis. 1.9
Iudiciis. 3.1
Iure aureorum annulorum, & de natalib. reſtituendis. 6.8
Iure deliberandi, & de adeunda vel acquirenda hæreditate. 6.30
Iure dominij impetrando. 8.33
Iure dotium. 5.12
Iure emphyteutico. 4.66
Iure fiſci. 10.1
Iureiurando propter calumniam dando. 2.58
Iure liberorum. 8.58
Iure reipublicæ. 11.29
Iuriſdictione omnium iudicum, & de foro competenti. 3.13
Iuris & facti ignorantia. 1.18

Decretalium.

Immunitate Eccleſiarum, cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium. 3.49
Infantibus & languidis expoſitis. 5.11
In integrum reſtitutione. 1.12
Iniuriis, & damno dato. 5.36
Inſtitutionibus. 3.7
Iudæis & ſarracenis, & eorum ſeruis. 5.6
Iudiciis. 2.1
Iuramento calumniæ. 2.7
Iureiurando. 2.24
Iure patronatus. 3.38

L

Inſtitutionum.

Legatis. 2.20
Lege Aquilia. 4.3
Lege Falcidia. 2.12
Lege Fuſia caninia tollenda. 1.7
Legitima adgnatorum ſucceſſione. 3.2
Legitima adgnatorum tutela. 1.15
Legitima parentum tutela. 1.18
Legitima patronorum tutela. 2.17
Libertinis. 1.5
Literarum obligationibus. 3.21

Locatione

BIU Cujas

Locatione & conductione. 3.24

Digestorum.

Legationibus. 50.6
Legatis & fideicommissis primò. 30
Legatis & fideicommissis secundò. 31
Legatis & fideicommissis tertiò. 32
Legatis præstandis, contra tabulas bonorum possessione petita. 37.5
Lege Cornelia de falsis, & de S.C. Liboniano. 48.10
Lege commissoria. 18.3
Lege Fabia de plagiariis. 48.5
Lege Iulia repetundarum. 48.11
Lege Iulia de annona. 48.12
Lege Iulia ambitus. 48.14
Lege Pompeia de parricidiis. 48.9
Lege Rhodia de iactu. 14.2
Legibus, senatusq; consultis, & longa consuetudine. 1.3
Legitimis tutoribus. 26.4
Libellis dimissoriis, qui Apostoli dicuntur. 49.6
Liberali causa. 40.12
Liberatione legata. 34.3
Liberis & postumis hæredibus instituendis, vel exheredandis. 28.2
Liberis exhibendis, item ducendis. 43.30
Libero homine exhibendo. 43.29
Libertis vniuersitatium. 38.3
Litigiosis. 44.6
Locati conducti. 19.1
Loco publico fruendo. 43.9
Locis & itineribus publicis. 43.7

Codicis.

Latina libertate tollenda, & per certos modos in ciuitatem Romanam transfusa. 7.6
Legationibus. 10.63
Legatis. 6.37
Lege Aquilia. 3.35
Lege Fusia Caninia tollenda. 7.3
Legibus, & constitutionibus principum, & edictis. 1.14
Legitimis heredibus. 6.58
Legitima tutela. 50.30
Liberali causa. 7.56
Liberis exhibendis, seu deducendis, & de libero homine exhibendo. 8.8
Liberis præteritis, vel exheredatis. 6.38
Libertinis. 10.56
Libertis, & eorum liberis. 6.7
Litigiosis. 8.36
Litis contestatione. 3.9
Litorum & itinerum custodia. 12.44
Locatione prædiorum ciuilium, vel fiscalium, siue templorum, siue rei priuatæ, vel dominicæ. 11.70
Locato & conducto. 4.65
Longi temporis præscriptione, & quæ pro libertate & non aduersus libertatem opponitur. 7.22
Luitione pignoris. 8.30
Lucris aduocatorum, & concussionibus officiorum siue apparitorum. 12.61
Lustralis auri collatione. 11.1

Decretalium.

Libelli oblatione. 2.3
Litis contestatione. 2.5
Locato & conducto. 3.18

M

Institutionum.

Mandato. 3.26
Militari testamento. 2.11

Digestorum.

Magistratibus conueniendis. 27.8
Mandati, vel contrà. 17.1
Manumissis testamento. 40.4
Manumissis vindicta. 40.2
Manumissionibus. 40.1
Manumissionibus, quæ seruis ad vniuersitatem pertinentibus imponuntur. 40.3
Migrando. 43.32
Militari testamento. 29.1
Mortis causa donationibus, & capionibus. 19.6
Mortuo inferendo, & sepulchro ædificando. 11.8
Muneribus, & honoribus. 50.4

Codicis.

Magistratibus conueniendis. 5.75
Magistratibus municipalibus. 1.56
Magistris sacrorum scriniorum. 12.9
Maiuma. 1.45
Maleficis, & mathematicis, & ceteris similib. 9.18
Mancipiis, & colonis patrimonialium saltuensium, emphyteuticorum fundorum. 11.62
Mandatis principum. 1.15
Mandati, vel contrà. 4.35
Mendicantibus validis. 12.25
Mensoribus. 12.27
Metallariis, & metallis, & procuratorib. metallorum. 11.7
Metatis, & epidemeticis. 11.40
Metropoli Beryto. 11.21
Militari veste. 12.39
Modo multarum, quæ à iudicibus infliguntur. 1.54
Monopoliis, & conuentu negotiatorũ illicito, vel artificũ, ergolaborumq;, necnon balneatorum prohibitis illicitisq; pactionibus. 4.59
Mortis causa donationibus. 8.56
Mulierib. in quo loco munera sexui congruentia vel honores adgnoscant. 10.62
Mulieribus, quæ se propriis seruis iunxerunt. 9.11
Muneribus & honoribus non continuandis inter patrem & filium, & de interuallis. 10.40
Muneribus patrimoniorum. 10.41
Municipibus originariis. 10.38
Murilegulis, & gynæciariis, & procuratoribus gynæcij, & de monetariis, & bastagariis. 11.8
Mutatione nominis. 9.25

Decretalium.

Magistris: & ne aliquid exigatur pro licentia docendi. 5.5
Maioritate, & obedientia. 1.33
Maledicis. 5.26
Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ. 3.16
Mutuis petitionibus. 2.4

N

Institutionum.

Noxalibus actionibus. 4.9
Nuptiis. 1.2

Digestorum.

Natalibus restituendis. 40.11
Nautæ, caupones, stabularij recepta restituant. 4.9
Nautico fœnore. 22.2
Ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur. 40.15
Negotiis gestis. 3.35
Ne quid in flumine publico fiat, quò aliter aqua fluat, atque vti priore æstate fluxerit. 43.3
Ne quid in loco sacro fiat. 43.6
Ne quid in loco publico vel itinere fiat. 43.8
Ne quis eum qui in ius vocabitur, vi eximat. 2.7

BIU Cujas

Nihil innouari appellatione interposita. 49.7
Ne vis fiat ei qui in possessionem missus erit. 43.4
Nouationibus, & delegationibus. 46.2
Noui operis nunciatione. 39.1
Noxalibus actionibus. 9.4
Nundinis. 50.11

Codicis.

Naturalibus liberis, & matrib. eorum, & ex quibus causis iusti efficiantur. 5.27
Naufragiis. 11.6
Nauibus non excusandis. 11.4
Nauicularijs seu naucleris publicas species transportantibus. 11.2
Nautico fœnore. 4.31
Nautis Tiberinis. 11.26
Necessarijs seruis hæredibus instituendis, vel substituendis. 6.27
Ne Christianum mancipium hæreticus, vel Iudæus, vel paganus habeat, vel possideat, vel circumcidat. 1.10
Ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur. 7.21
Ne fideiussores vel mandatores dotium dentur. 5.20
Ne filius pro patre, vel pater pro filio emancipato, vel libertus pro patrono, vel seruus pro domino conueniatur. 4.13
Ne fiscus rem, quam vendidit, euincat. 10.5
Ne fiscus vel respublica procurationem alicui patrocinij causa in lite præstet. 2.17
Negotiatores ne militent. 12.34
Negotiis gestis. 2.18
Ne liceat in una eademque causa tertiò prouocare, vel post duas sententias iudicum, quas definitio præfectorum roborauerit, eas retractare. 7.70
Ne liceat potentioribus patrocinium litigantibus præstare, vel actiones in se transferre. 2.13
Nemini licere signum Saluatoris Christi humi vel in silice vel in marmore aut sculpere, aut pingere. 1.8
Ne pro dote mulieris bona quondam mariti addicantur, id est, in solutum dentur. 5.22
Ne operæ a collatoribus exigantur. 10.24
Ne quid oneri publico imponatur. 11.5
Ne quis in sua causa iudicet, vel ius sibi dicat. 3.5
Ne quis liber inuitus actum reipub. gerere cogatur. 11.36
Ne rei dominicæ vel templorum vendicatio temporis præscriptione summoueatur. 7.38
Ne rei militaris comitib. vel tribunis lauacra præstentur. 1.47
Ne rusticani ad vllum obsequium denocentur. 11.54
Ne sanctum baptisma iteretur. 1.6
Ne sine iussu principis certis iudicibus liceat confiscare. 9.48
Ne tutor vel curator vectigalia conducat. 5.41
Ne vxor pro marito, vel maritus pro vxore, vel mater pro filio conueniatur. 4.12
Nili aggeribus non rumpendis. 9.38
Non licere habitatorib. metrocomiæ loca sua ad extraneũ transferre. 11.55
Non numerata pecunia. 4.30
Nouationibus, & delegationibus. 8.41
Noui operis nunciatione. 8.11
Noxalibus actionibus. 3.41
Nudo iure Quiritium tollendo. 7.25
Nulli licere in frænis equestribus, sellis, & in baltheis margaritas & smaragdos & hyacinthos aptare, & de artificibus palatinis. 11.12
Numerarijs, actuarijs, & chartularijs, & adiutoribus, & scriniarijs, & exceptoribus sedis excelsæ, ceterorúmque iudicum tam militarium quàm ciuilium. 12.49
Nundinis, & mercatibus. 4.60
Nuptiis. 5.4.

Decretalium.

Natis ex libero ventre. 4.10
Ne clerici vel monachi secularibus negotiis se immisceant. 3.50
Ne prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant. 5.4
Ne sede vacante aliquid innouetur. 3.9
Noui operis nunciatione. 5.32

O

Institutionum.

Obligationibus. 3.13
Obligationibus ex consensu. 3.22
Obligationibus, quæ quasi ex contractu nascuntur. 3.27
Obligationibus, quæ ex delicto nascuntur. 4.5
Obligationibus, quæ quasi ex delicto nascuntur. 4.5
Officio iudicis. 4.17

Digestorum.

Obligationibus & actionibus. 44.7
Obsequijs parentibus & patronis præstandis. 37.15
Officio âssessorum. 1.22
Officio consulis. 1.10
Officio eius cui mandata est iurisdictio. 1.21
Officio iuridici. 1.20
Officio præfecti Augustalis. 1.17
Officio præfecti prætorio. 1.11
Officio præfecti vigilum. 1.15
Officio præfecti vrbi. 1.12
Officio præsidis. 1.18
Officio prætorum. 1.14
Officio proconsulis, & legati. 1.16
Officio procuratoris Cæsaris, vel rationalis. 1.19
Officio quæstoris. 1.13
Operis libertorum. 31.10
Operis noui nunciatione. 39.1
Operis seruorum. 7.7
Operibus publicis. 50.10
Optione & electione legata. 33.5
Origine iuris, & omnium magistratuum, & successione prudentium. 1.2

Codicis.

Oblatione votorum. 12.48
Obligationibus, & actionibus. 4.10
Obsequijs patrono præstandis. 6.6
Officio ciuilium iudicum. 1.44
Officio comitis Orientis. 1.36
Officio comitis rerum priuatarum. 1.33
Officio comitis sacrarum largitionum. 1.32
Officio comitis sacri patrimonij. 1.34
Officio diuersorum iudicum. 1.48
Officio eius qui vicem alicuius iudicis vel præsidis obtinet. 1.50
Officio iuridici Alexandriæ. 1.57
Officio magistri militum. 1.29
Officio magistri officiorum. 1.31
Officio militarium iudicum. 1.45
Officio præfecti annonæ. 1.43
Officio præfecti Augustalis. 1.37
Officio præfecti prætorio Africæ, & de omni eiusdem diœceseos statu. 1.27
Officio præfecti prætoriorum Orientis, & Illyrici. 1.26
Officio præfecti vigilum. 1.42
Officio præfecti vrbi. 1.28
Officio Prætorum. 1.39
Officio proconsulis, & legati. 1.35
Officio quæstoris. 1.19
Officio rectoris prouinciæ. 1.40
Officio tribuni, & comitis rei militaris. 1.46
Officio vicarij. 1.38
Omni agro deserto, & quãdo steriles fertilibus imponuntur. 11.58

BIU Cujas

Operis libertorum. 6.3
Operibus publicis. 8.11
Ordine cognitionum. 7.19
Ordine iudiciorum. 3.8

Decretalium.

Obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non. 1.19
Obseruatione ieiuniorum. 3.46
Officio archidiaconi. 1.23
Officio archipresbyteri. 1.24
Officio primicerij. 1.25
Officio sacristæ. 1.26
Officio custodis. 1.27
Officio vicarij. 1.28
Officio, & potestate iudicis delegati. 1.29
Officio iudicis. 1.32
Officio iudicis ordinarij. 1.31
Officio legati. 1.30
Ordinatis ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui. 1.33
Ordine cognitionum. 2.10

P

Institutionum.

Patria potestate. 1.9
Perpetuis & temporalibus actionibus, & quæ ad heredes, & in heredes transeunt. 4.12
Per quas personas nobis acquiritur. 2.9
Per quas personas nobis obligatio acquiritur. 3.28
Pœna temere litigantium. 4.16
Publicis iudiciis. 4.18
Pupillari substitutione. 2.16

Digestorum.

Pactis. 2.14
Pactis dotalibus. 23.4
Peculio. 15.1
Peculio legato. 33.8
Pecunia constituta. 13.5
Penu legata. 33.9
Periculo & commodo rei venditæ. 18.6
Petitione hereditatis. 5.3
Pigneratitia actione, vel contrà. 13.7
Pignoribus & hypothecis, & qualiter ea contrahantur, & de pactis eorum. 20.1
Pœnis. 48.19
Pollicitationibus. 50.12
Popularibus actionibus. 47.23
Possessoria hereditatis petitione. 5.5
Postulando. 3.1
Præscriptis verbis, & in factum actionibus. 19.5
Prætoriis stipulationibus. 46.5
Præuaricatione. 47.15
Precario. 43.26
Priuatis delictis. 47.1
Probationibus, & præsumptionibus. 22.3
Procuratoribus, & defensoribus. 3.3
Pro derelicto. 41.7
Pro donato. 41.6
Pro dote. 41.9
Pro emptore. 41.4
Pro herede, vel pro possessore. 41.5
Pro legato. 41.8
Pro socio. 17.2
Pro suo. 41.10
Proxeneticis. 50.14
Publiciana in rem actione. 6.2
Publicis iudicis. 48.1

Codicis.

Pactis. 2.3
Pactis conuentis tam super dote, quàm super donatione ante nuptias, & paraphernis. 5.14
Pactis inter emptorem & venditorem compositis. 4.54
Pactis pignorum, & de lege commissoria in pignoribus rescindenda. 8.34
Paganis, & sacrificiis, & templis. 1.11
Palatijs & domib. dominicis. 1.70
Palatinis sacrarum largitionum, & rerum priuatarum. 12.23
Partu pignoris, & omni causa. 8.24
Pascuis publicis, vel priuatis. 11.60
Patria potestate. 8.46
Patribus qui filios suos distraxerunt. 4.43
Peculio eius, qui libertatem meruit. 7.23
Pedaneis iudicibus. 3.3
Perfectissimatus dignitate. 12.32
Periculo eorum, qui pro magistratib. interuenerunt. 11.34
Periculo & commodo rei venditæ. 4.48
Periculo nominatorum. 11.33
Periculo successorum parentis. 10.61
Periculo tutorum & curatorum. 5.38
Per quas personas nobis acquiritur. 4.27
Petitionibus bonorum sublatis. 10.12
Petitione hereditatis. 3.31
Pigneratitia actione. 4.24
Pignoribus & hypothecis. 8.13
Pistoribus. 11.16
Plus petitionibus. 3.10
Plus valere quod agitur, quàm quod simulè concipitur. 4.22
Pœnis. 9.47
Pœnis fiscalibus creditores præferri. 10.7
Pœna iudicis qui malè iudicauit, vel eius qui iudicẽ vel aduersarium corrumpere curauit. 7.49
Ponderatoribus, & auri illatione. 10.71
Postliminio reuersis, & redemptis ab hostibus. 8.50
Postumis heredibus instituendis, vel exheredandis, vel præteritis. 6.29
Postulando. 2.6
Potioribus ad munera nominandis. 10.65
Præbendo salario. 10.36
Prædiis decurionum sine decreto non alienandis. 10.33
Prædiis & aliis rebus minorũ sine decreto nõ alienãdis, & c. 5.71
Prædus & omnibus rebus nauicul ariorum. 11.3
Prædiis tamiacis, & de his qui ex colonis dominicis, aliisque liberæ conditionis procreantur. 11.68
Præfectis prætorio, siue vrbi, & magistris militum in dignitatibus exæquandis. 11.4
Præpositis laborum. 12.18
Præpositis sacri cubiculi, & de omnibus cubicul ariis, & priuilegiis eorum. 12.5
Præscriptione longi temporis decem vel viginti annorum. 7.33
Præscriptione triginta vel quadraginta annorum. 7.39
Prætoribus, & honore prætura, & collatione, & gleba, & folli, & septem solidorum functione sublata. 12.2
Prætorio pignore, & vt in actionibus debitorum missio prætorij pignoris procedat. 8.21
Precario, & Saluiano interdicto. 8.9
Precibus imperatori offerendis, & de quibus rebus supplicare liceat vel non. 1.19
Primicerio, & secundicerio, & notariis. 12.7
Primipilo. 12.62
Principibus agentium in rebus. 12.21
Priuatis carceribus inhibendis. 9.5
Priuilegijs corporatorum vrbis Romæ. 11.15
Priuilegijs domus Augustæ, vel rei priuatæ, & quarum collationum excusationem habent. 11.74
Priuilegio dotis. 7.74
Priuilegijs eorum, qui in sacro palatio militant. 12.28
Priuilegio fisci. 7.73

BIU Cujas

Priuilegiis scholarum. 12.29
Priuilegiis vrbis Constantinopolitanæ. 11.20
Probationibus. 4.19
Procuratoribus. 2.12
Professoribus & medicis. 10.52
Professoribus, qui in vrbe Constantinopolitana docentes, ex lege meruerunt comitiuam. 12.15
Prohibita sequestratione pecuniæ. 4.4
Pro quibus causis serui pro præmio libertatem accipiunt. 7.13
Pro socio. 4.37
Proximis sacrorum scriniorum, cæterisque qui in sacris scriniis militant. 12.19
Publicæ lætitiæ, vel consulum nunciatores, vel insinuatores constitutionum, & aliarum sacrarum vel iudicialium literarum, ex descriptione, vel ab inuitis ne quid accipiant immodicum. 12.63.

Decretalium.

Pactis. 1.35
Paræciis & alienis parœcianis. 3.29
Peculio clericorum. 3.25
Pœnis. 5.37
Pœnitentis & remissionis. 5.38
Pignoribus, & aliis cautionibus. 3.21
Plus petitionibus. 2.11
Postulando. 1.37
Postulatione prælatorum. 1.5
Præbendis, & dignitatibus. 3.5
Precariis. 3.14
Presbytero non baptizato. 3.43
Præscriptionibus. 2.26
Præsumptionibus. 2.23
Priuilegiis, & excessibus priuilegiatorum. 5.33
Probationibus. 2.19
Procuratoribus. 1.38
Purgatione canonica. 5.34
Purgatione vulgari. 5.33
Purificatione post partum. 3.47

Q

Instıtutionum.

Quibus alienare licet, vel non. 2.8
Qui, & ex quibus causis manumittere non possunt. 1.6
Quibus modis ius patriæ potestatis soluitur. 1.12
Quibus modis re contrahitur obligatio. 3.14
Quibus modis testamenta infirmentur. 2.17
Quibus modis tollitur obligatio. 3.29
Quibus modis tutela finitur. 1.22
Quibus non est permissum facere testamentum. 2.12
Qui testamento tutores dari possunt. 1.14
Quod cum eo qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur. 4.7

Digestorum.

Quæ in fraudem creditorum facta sunt, vt restituantur. 42.8
Quæ res pignori vel hypothecæ datæ, obligari non possunt. 20.3
Quæstionibus. 48.18
Quæ sententiæ sine appellatione rescindantur. 49.8
Quando appellandum sit, & intra quæ tempora. 49.4
Quando de peculio actio annalis est. 15.2
Quando dies legatorum vel fideicommissorum cedat. 36.2
Quando ex facto tutoris vel curatoris minores agere vel conueniri possunt. 26.1
Quarum rerum actio non datur. 44.5
Quemadmodum seruitutes amittuntur. 8.6
Quibus ad libertatem proclamare non licet. 40.13
Quibus ex causis in possessionem eatur. 42.4
Quibus modis pignus vel hypotheca soluitur. 20.6
Quibus modis vsusfructus vel vsus amittitur. 7.4
Quibus non competit bonorum possessio. 36.3
Quibus rebus ad eundem iudicem eatur. 11.2
Qui, & à quibus manumissi, liberi non fiunt, & ad legẽ Æliam Sentiam. 40.9
Qui petant tutores vel curatores, & vbi petantur. 26.6
Qui potiores in pignore vel hypotheca habeantur, & de his, qui in priorum creditorum locum succedunt. 2.4
Qui satisdare cogantur, vel iurato promittat, vel suæ promissioni committantur. 2.8
Qui sine manumissione ad libertatem perueniunt. 40.8
Qui testamenta facere possunt, & quemadmodum testamenta fiant. 28.1
Quis à quo appelletur. 49.3
Quis ordo in possessionibus seruetur. 38.15
Quod cuiusque vniuersitatis nomine, vel contra eam agatur. 3.4
Quod cum eo qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur. 14.5
Quod falso tutore auctore gestum esse dicetur. 27.6
Quod iussu. 15.4
Quod legatorum. 43.3
Quod metus causa gestum erit. 4.2
Quod quisque iuris in alterum statuerit, vt ipse eodem iure vtatur. 2.2
Quod vi aut clam. 43.24
Quorum bonorum. 43.2

Codicis.

Quadriennij præscriptione. 7.37
Quæ res exportari non debeant. 4.41
Quæ res pignori obligari possunt, vel non, & qualiter pignus cõtrahatur. 8.16
Quæ res venire non possunt, & qui emere vel vendere vetantur. 4.40
Quæ sit longa consuetudo. 8.52
Quæstionibus. 9.41
Quæstoribus, & magistris officiorum, & comitibus sacrarum largitionum, & rei priuatæ. 12.6
Quando ciuilis actio criminali præiudicet, & an vtraque ab eodem exerceri possit. 9.31
Quando decreto opus non est. 5.72
Quando dies legati vel fideicommissi cedit. 6.53
Quando, & quibus quarta pars debetur ex bonis decurionum, & de modo distributionis eorum 10.34
Quando ex facto tutoris vel curatoris minores agere vel conueniri possunt. 5.39
Quando fiscus vel priuatus debitoris sui debitores exigere possit, vel debeat. 4.15
Quando Imperator inter pupillos vel viduas, vel alias miserabiles personas cognoscat, & ne exhibeantur. 3.14
Quando libellus principi datus litis contestationem faciat. 1.20
Quando liceat ab emptione discedere. 4.45
Quando liceat vnicuique sine iudice se vindicare, vel publicam deuotionem. 3.27
Quando mulier tutelæ officio fungi potest. 5.30
Quando non petentium partes petentibus accrescant. 6.10
Quando prouocare non est necesse. 7.64
Quando tutores vel curatores esse desinant. 5.60
Quemadmodum ciuilia munera indicuntur. 10.42
Quemadmodum testamenta aperiantur, inspiciantur, & describantur. 6.32
Qui admitti ad bonorum possessionem possunt, & intra quod tempus. 6.9
Qui ætate. 5.68
Qui ætate vel professione se excusant. 10.49
Qui bonis cedere possunt. 7.71
Quibus ad conductionem prædiorum fiscalium accedere non licet. 11.72
Quibus ad libertatem proclamare non licet, & de rebus eorum qui ad

BIU Cujas

quæ libertatem proclamare non prohibentur. 7.18
Quibus ex causis maiores in integrum restituantur. 2.53
Quibus munerib. excusentur ij qui post impletam militiam vel advocationem per prouincias suis commodis vacãtes commorantur, & de privilegijs eorum, & de conductoribus vectigalium fisci. 10.56
Quibus muneribus vel præstationibus nemini liceat se excusare. 10.48
Quibus non objicitur longi temporis præscriptio. 7.35
Quibus res iudicata non nocet. 7.56
Qui dari tutores vel curatores possunt, & qui dari non possunt. 5.34
Qui & adversus quos in integrum restitui non possunt. 2.41
Qui legitimam personam standi in iudicijs habeant, vel non. 3.6
Qui manumittere non possunt, & ne in fraudẽ creditorum manumittatur. 7.11
Qui militare possunt, vel non possunt, & de seruis ad militiam vel dignitatem aspirantibus, & vt nemo duplici militia vel dignitate & militia simul vtatur. 12.33
Qui morbo. 5.67
Qui morbo se excusant. 10.50
Qui non possunt ad libertatem peruenire. 7.12
Qui numero liberorum se excusant. 5.66
Qui numero tutelarum. 5.69
Qui petant tutores vel curatores. 5.31
Qui potiores in pignore habeantur. 8.17
Qui pro sua iurisdictione iudices dare darive possunt. 3.4
Qui testamenta facere possunt, vel non. 6.22
Quod cum eo qui in aliena potestate est negotium gestum esse dicetur, vel de peculio, siue quod iussu, aut de in rem verso. 4.26
Quomodo & quando iudex sententiam proferre debeat, præsentibus partibus, vel vna parte absente. 7.43
Quo quisque ordine conueniatur. 11.35
Quorum appellationes non recipiuntur. 7.65
Quod legatorum. 8.3
Quorum bonorum. 8.2

Decretalium.

Qui clerici, vel vouentes, matrimonium contrahere possunt. 4.6
Qui matrimoniũ accusare possunt, vel cõtra illud testificari. 3.18
Qui filij sint legitimi. 4.17

R

Institutionum.

Rebus corporalibus, & incorporalibus. 2.2
Replicationibus. 4.14
Rerum diuisione, (& acquirendo ipsarum dominio.) 2.1

Digestorum.

Ratam rem haberi, & de rati habitione. 46.8
Rebus auctoritate iudicis possidendis, vel vendendis. 42.5
Rebus creditis, si certum petetur, & de condictione. 12.1
Rebus dubijs. 34.5
Rebus eorum qui sub tutela vel cura sunt, sine decreto non alienandis, vel supponendis. 27.9
Receptatoribus. 47.16
Receptis, qui arbitrium receperunt, vt sententiam dicant. 4.8
Regula Catoniana. 34.7
Rei vindicatione. 6.1
Re iudicata, & de effectu sententiarum, & de interlocutionib. 49.1
Re militari. 49.16
Religiosis, & sumptibus funerum, & vt funus ducere liceat. 11.7
Remissionibus. 43.25
Rem pupilli vel adolescentis saluam fore. 46.6
Requirendis vel absentibus damnandis. 48.17
Rerum amotarum. 25.2
Rerum permutatione. 19.4
Rescindeda vẽditione, & quãdo licet ab emptione discedere. 18.5
Ripa munienda. 43.15
Ritu nuptiarum. 23.2
Riuis. 43.21

Codicis.

Raptu virginum, seu viduarum, nec non sanctimonialium. 9.13
Ratiociniys operum publicorum, & de patribus ciuitatum. 8.12
Rebus alienis non alienandis, & de prohibita rerum alienatione, vel hypotheca. 4.51
Rebus creditis, & iureiurando. 4.1
Receptis arbitris. 2.55
Reis postulatis. 10.58
Re iudicata. 7.52
Rei vindicatione. 3.32
Rei vxoriæ actione in ex stipulatu actionem transfusa, & de natura dotibus præstita. 5.13
Relationibus. 7.61
Religiosis & sumptibus funerum. 3.44
Rem alienã gerentibus nõ interdici rerũ suarũ alienatione. 4.53
Re militari. 12.35
Remissione pignoris. 8.25
Repudianda bonorum possessione. 6.19
Repudianda, vel abstinenda hereditate. 6.31
Repudijs, & iudicio de moribus sublato. 5.17
Reputationibus, quæ fiant in iudicio in integrũ restitutionis. 2.47
Requirendis reis. 9.40
Rerum amotarum. 5.21
Rerum permutatione, & præscriptis verbis. 4.64
Rescindenda venditione. 4.44
Res inter alios acta, vel iudicata, alijs non nocere. 7.60
Restitutionibus militum, & eorũ qui reipub. causa absunt. 2.50
Reuocandis donationibus. 8.55
Reuocandis his quæ in fraudem creditorum alienata sunt. 7.75

Decretalium.

Raptoribus, incendiarijs, & violatoribus ecclesiarum. 5.17
Rebus ecclesiæ alienandis, vel non. 3.13
Regularibus, & transeuntibus ad religionem. 3.31
Regulis iuris. 5.41
Religiosis domibus, vt episcopis sint subiectæ. 3.36
Reliquijs, & veneratione sanctorum. 3.45
Renunciatione. 1.9
Rerum permutatione. 3.19
Rescriptis. 1.3
Restitutione spoliatorum. 2.13

S

Institutionum.

Satisdatione tutorum, vel curatorum. 1.24
Satisdationibus. 4.11
Senatusconsulto Orficiano. 3.4
Senatusconsulto Tertulliano. 3.3
Seruitutibus prædiorum. 2.3
Singulis rebus per fideicommissum relictis. 2.24
Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. 4.9
Societate. 3.25
Stipulatione seruorum. 3.17
Successione cognatorum. 3.5
Successione libertorum. 3.7
Successionibus sublatis, quæ fiebant per bonorum venditiones, & ex Senatusconsulto Claudiano. 3.13
Suspectis tutoribus vel curatoribus. 1.26

Digestorum.

Saluiano interdicto. 43.33
Senatoribus. 1.9
Senatusconsulto Macedoniano. 14.6
Senatusconsulto Silaniano, & Claudiano, quorum testamenta ne aperiantur. 29.5
Sententiam passis, & restitutis. 48.23
Separationibus. 42.6

BIU Cujas

Sepulchro violato. 47.12
Seruis exportandis, vel si ita mancipium venierit vt manumittatur, vel contrà. 18.7
Seruitute legata. 33.3
Seruitutibus. 8.1
Seruitutibus prædiorum rusticorum. 8.3
Seruitutibus prædiorum vrbanorum. 8.2
Seruo corrupto. 11.3
Si à parente quis manumissus sit. 37.12
Si ager vectigalis id est, emphyteuticarius petatur. 6.3
Si certum petetur, de reb. creditis, & de condictione. 12.1
Si cui plus, quàm per legem Falcidiam licuerit, legatum esse dicetur. 35.3
Si ex noxali causa agatur, quemadmodum caueatur. 2.9
Si familia furtum fecisse dicetur. 47.6
Si ingenuus esse dicetur. 4.14
Si is qui testamento liber esse iussus erit post mortem domini ante aditam hereditatem subripuisse aut corrupisse quid dicatur. 47.4
Si mensor falsum modum dixerit. 11.6
Si mulier ventris nomine in possessione, calumniæ causâ, esse dicetur. 25.6
Si pars hereditatis petatur. 5.4
Si pendente appellatione mors interuenerit. 49.13
Si quadrupes pauperiem fecisse dicetur. 9.1
Si quid in fraudem patroni factum sit. 38.5
Si quis aliquem testari prohibuerit, vel coëgerit. 29.6
Si quis cautionibus in iudicio sistendi causâ factis non obtemperauerit. 2.11
Si quis in ius vocatus non ierit, siue quis eum vocauerit quem ex edicto non debuerit. 2.5
Si quis ius dicenti non obtemperauerit. 2.3
Si quis omissa causa testamenti, ab intestato vel alio modo possideat hereditatem. 29.4
Si seruitus vindicetur, vel ad alium pertinere negetur. 8.5
Si tabuli testamenti extabunt. 37.2
Si tabulæ testamenti nullæ extabunt, vnde liberi. 38.6
Si tutor vel curator magistratus creatus appellauerit. 49.10
Si ventris nomine muliere in possessionem missa, eadem possessio dolo malo ad alium translata esse dicatur. 25.5
Si vsusfructus petatur, vel ad alium pertinere negetur. 7.6
Solutionibus, & liberationibus. 46.3
Sponsalibus. 23.1
Statu hominum. 1.5
Statuliberis. 40.7
Stellionatus. 47.20
Stipulationibus prætorijs. 46.5
Stipulatione seruorum. 45.3
Successorio edicto. 38.9
Suis & legitimis heredibus. 38.16
Suppellectile legata. 33.10
Superficiebus. 43.18
Suspectis tutoribus & curatoribus. 26.10

Codicis.

Sacrosanctis ecclesijs, & de rebus, & priuilegijs earum. 1.2
Salgamo hospitibus non præstando. 12.41
Satisdando. 2.56
Secundis nuptijs. 1.9
Seditiosis, & de his qui plebē contra rēpub. audent colligere. 9.30
Senatusconsultis. 1.16
Senatusconsulto Claudiano tollendo. 7.24
Sententijs aduersus fiscum satis retractandis. 10.9
Sententijs, & interlocutionibus omnium iudicum. 7.45
Sententijs ex periculo recitandis. 7.44
Sententiam passis, & restitutis. 9.31
Sententijs præfectorum prætorio. 7.42
Sententijs, quæ pro eo quod interest proferuntur. 7.4
Sententia, quæ sine certa quantitate profertur. 7.46
Sententiam rescindi non posse. 7.50
Sepulchro violato. 9.19
Seruitutibus, & aqua. 3.34
Seruis fugitiuis, & libertis, magnisq; ciuitatū artificibus, & ad diuersa opera deputatis, & ad rem priuatam vel dominicam pertinentibus. 6.1
Seruo pignori dato manumisso. 7.8
Seruis reipub. manumittendis. 7.9
Si aduersus creditorem. 22.37
Si aduersus creditorem præscriptio opponatur. 7.33
Si aduersus delictum. 2.34
Si aduersus donationem. 2.29
Si aduersus dotem. 2.33
Si aduersus fiscum. 2.36
Si aduersus libertatem. 2.30
Si aduersus rem iudicatam restitutio postuletur. 2.26
Si aduersus solutionem à debitore vel à se factam. 2.32
Si aduersus transactionem vel diuisionem in integrum minor restitui velit. 2.31
Si aduersus venditionem. 2.27
Si aduersus venditionem pignorum. 2.28
Si aduersus vsucapionem. 2.35
Si aliena res pignore data sit. 8.15
Si à non competente iudice iudicatum esse dicatur. 7.48
Si antiquior creditor pignus vendiderit. 8.19
Si certum petatur. 4.2
Si communis res pignori data sit. 8.20
Si contra ius vel vtilitatem publicam vel per mendacium fuerit aliquid postulatum, vel impetratum. 1.12
Si contra matris voluntatem tutor datus sit. 5.47
Si curialis relicta ciuitate rus habitare voluerit. 10.37
Si de momentanea possessione fuerit appellatum. 7.69
Si dos constante matrimonio soluta fuerit. 5.19
Si ex falsis instrumentis vel testimonijs iudicatum sit. 7.58
Si ex pluribus tutoribus vel curatoribus omnes vel vnus agere pro minore vel conueniri possint. 5.40
Si imperialis liberalitatis socius sine herede decesserit. 10.14
Si in causa iudicati pignus captum sit. 8.22
Si in communi eademque causa in integrum restitutio postuletur. 2.25
Si in fraudem patroni à libertis alienatio facta sit. 6.5
Silentiarijs, & decurionibus eorum. 12.16
Si liberalitatis imperialis socius sine herede decesserit. 10.14
Si maior factus alienationem factam sine decreto ratam habuerit. 5.74
Si maior factus ratum habuerit. 2.45
Si mancipium ita fuerit alienatum vt manumittatur, vel contrà. 4.57
Si mancipium ita venierit ne prostituatur. 4.56
Si mater indemnitatem promisit. 1.46
Si minor ab hereditate se abstineat. 2.39
Si minor se maiorem dixerit, vel maior probatus fuerit. 2.42
Sine censu vel reliquis fundum comparari non posse. 4.47
Si nuptiæ ex rescripto petantur. 5.8
Si omissa sit causa testamenti. 6.39
Si pendente appellatione mors interuenerit. 7.66
Si per vim vel alio modo absentis turbata sit possessio. 8.5
Si pignoris conuentionem numeratio pecuniæ secuta non sit. 8.32
Si pignus pignori datum sit. 8.23
Si plures vnâ sententia condemnati sint. 7.55
Si post creationem quis decesserit. 10.68
Si propter inimicitias creatio facta sit. 10.66
Si quacumque preditus potestate, vel ad eum pertinentes, ad suppositarum iurisdictionis suæ adspirare tentauerint nuptias. 4.46
Si quis aliquem testari prohibuerit, vel coëgerit. 7.5

BIU Cujas

Si quis alteri vel sibi sub alterius nomine, vel alienâ pecuniâ emerit. 4.50
Si quis eam cuius tutor fuerit, corruperit. 9.10
Si quis ignorans rem minoris esse, sine decreto comparauerit. 573
Si quis Imperatori maledixerit. 9.70
Si rector prouinciæ, vel ad eum pertinentes, sponsalitia dederint. 5.2
Si reus vel accusator mortuus fuerit. 9.6
Si sæpius in integrum restitutio postuletur. 2.43
Si secundò nupserit mulier, cui maritus vsumfructum reliquit 5.10
Si seruus aut libertus ad decurionatum adspirauerit. 10.32
Si seruus exportandus veneat. 4.55
Si seruus extero se emi mandauerit. 4.36
Si tutor vel curator falsis allegationibus excusatus sit. 5.63
Si tutor vel curator interuenerit. 2.24
Si tutor vel curator non gessit. 5.55
Si tutor vel curator reipub. causa aberit. 5.64
Si vendito pignore agatur. 8.21
Si vnus ex pluribus appellauerit. 7.68
Si vnus ex pluribus heredibus creditoris vel debitoris partem suam debiti soluerit, vel acceperit. 8.31
Si vt omissam hereditatem vel bonorum possessionem vel quid aliud acquirat. 2.30
Si vt se ab hereditate abstineat. 2.38
Solutionibus & liberationib. 8.42
Solutionib. & liberationib. debitorum ciuitatum. 11.39
Soluto matrimonio quemadmodum dos petatur. 5.18
Spectaculis, & scænicis, & lenonibus. 11.40
Sponsalibus, & arrhis sponsalitijs, & proxeneticis. 5.1
Sportulis, & sumptibus in diuersis iudicijs faciendis, & de executoribus litium. 3.2
Statuis & imaginibus. 1.24
Stratoribus. 12.24
Studijs liberalibus vrbis Romæ, & Constantinopolitanæ. 11.18
Suarijs & susceptoribus vini & ceteris corporatis. 11.17
Successorio edicto. 6.15
Suffragio. 4.3
Suis & legitimis liberis, & ex filia nepotib. ab intestato venientibus. 6.55
Summa trinitate, & fide catholica, & vt nemo de ea publicè contendere audeat. 1.1
Sumptus iniuncti immuneris ad omnes collegas pertinere. 11. 37
Sumptuum recuperatione. 10.67
Superexactionibus. 10.20
Superindicto. 10.16
Susceptoribus, præpositis, & arcarijs. 10.70
Suspectis tutoribus, vel curatoribus. 5.43

Decretalium.

Sacramentis non iterandis. 1.16
Sacra vnctione. 1.15
Sagittarijs. 5.15
Schismaticis. 5.18
Scrutinio in ordine faciendo. 1.12
Secundis nuptijs. 4.21
Sententia, & re iudicata. 2.27
Sententia excommunicationis. 5.39
Sepulturis. 3.28
Sequestratione possessionum & fructuum. 217
Seruis non ordinandis, &c. 1.18
Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur. 5.3
Solutionibus. 3.23
Sportilegijs. 5.21
Sponsalibus, & matrimonijs. 4.1
Sponsa duorum. 4.4
Statu monachorum. 3.25
Successionibus ab intestato. 3.25
Summa trinitate & fide catholica. 1.1
Supplenda negligentia prælatorum. 1.10
Syndico & actore. 1.39

T

Institutionum.

Testamentis ordinandis. 2.10
Testamento militari. 2.11
Tutelis. 1.13

Digestorum.

Tabulis exhibendis. 43.5
Termino moto. 47.21
Testamenta quemadmodum aperiantur, inspiciantur, & describantur. 29.3
Testamentaria tutela. 26.2
Testamento militis. 29.1
Testibus. 22.5
Tigno iuncto. 47.3
Transactionibus. 2.15
Tributoria actione. 14.4
Tritico, vino, vel oleo legato. 33.6
Tutelæ, & rationibus distrahendis, & vtili curationis causâ actione. 27.3
Tutelis. 26.1
Tutoribus & curatoribus datis ab his, qui ius dandi habent: & qui, & in quibus causis specialiter dari possunt. 26.5

Codicis.

Tabularijs, scribis, logographis, & censualibus. 10.69
Tabulis exhibendis. 8.7
Tẽporibus & reparationib. appellationũ seu consultationũ. 7.63
Temporibus in integrum restitutionis tam minorum & aliarum personarum quæ restitui possunt, quam etiam heredum eorum. 2.52
Testamentaria manumissione. 7.2
Testamentaria tutela. 5.28
Testamentis, & quemadmodum testamenta ordinentur. 6.23
Testamento militis. 6.21
Testibus. 4.12
Thesauris. 10.15
Tractorijs & statuis. 12.51
Transactionibus. 2.4
Tutoribus vel curatorib. illustrium, vel clarissimarum personarum. 5.33
Tutore, vel curatore, qui satis non dedit. 5.42
Tyronibus. 12.43

Decretalium.

Temporibus ordinationum, &c. 1.11
Testamentis, & vltimis voluntatibus. 3.26
Testibus, & attestationibus. 2.20
Testibus cogendis, vel non. 2.21
Torneamentis. 5.13
Transactionibus. 1.36
Translatione episcopi. 1.7
Treuga, & pace. 1.34

V

Institutionum.

Verborum obligationibus. 3.15
Vi bonorum raptorum. 4.12
Vsucapionibus, & longi temporis præscriptionibus. 2.6
Vsu, & habitatione. 2.5
Usufructu. 2.4
Vulgari substitutione. 2.15

BIU Cujas

Digestorum.

Vacatione,& excusatione munerum. 50.5
Vbi pupillus educari vel morari debeat, & de alimentis ei præstandis. 27.2
Ventre in possessionem mittendo,& curatore eius. 37.9
Verborum obligationibus. 45.1
Verborum significatione. 50.16
Veteranis. 49.18
Veteranorum,& militum successione. 38.12
Via publica,& itinere publico reficiendo. 43.11
Via publica,& si quid in ea factum esse dicatur. 43.10
Vi bonorum raptorum,& de turba. 47.8
Vi,& vi armata. 43.16
Vnde cognati. 38.8
Vnde legitimi. 38.7
Vnde vir & vxor. 38.11
Vsu,& habitatione. 7.8
Vsu,& usufructu, & reditu, & habitatione, & operis per legatum vel fideicommissum datis. 33.2
Vsufructu accrescendo. 7.2
Vsufructuarius quemadmodum caueat. 7.9
Vsufructu earũ rerum quæ vsu consumuntur, vel minuũtur. 7.5
Vsufructu,& quemadmodum quis vtatur fruatur. 7.1
Vsuris, & fructibus, & causis,& omnib. accessionib. & mora. 22.1
Vsurpationibus,& usucapionibus. 41.3
Vt ex legibus,senatusve consultis possessio detur. 38.14
Vt in flumine publico naugare liceat. 43.14
Vt in possessionem legatorum vel fideicommissorum seruãdorum causa esse liceat. 36.4
Vti possidetis. 43.17
Vt legatorum seu fideicommissorum seruandorum causa caueatur. 36.3
Vtrubi. 43.31
Vulgari,& pupillari substitutione. 28.6

Codicis.

Vacatione publici muneris. 10.45
Vbi causæ fiscales,vel diuinæ domus,hominũq; eius agãtur. 3.26
Vbi causa status agi debeat. 3.22
Vbi conueniatur,qui certo loco dare promisit. 3.8
Vbi de criminibus agi oporteat. 3.15
Vbi de hereditate agatur, vel vbi heredes scripti in possessionem mitti postulare debeant. 3.20
Vbi de possessione agi oporteat. 3.16
Vbi de ratiociniis tam publicis quàm priuatis agi oporteat. 3.21
Vbi, & apud quem cognitio in integrũ restitutionis agitanda sit. 2.46
Vbi fideicommissum peti oporteat. 3.17
Vbi in rem actio exerceri debeat. 3.19
Vbi petantur tutores,vel curatores. 5.32
Vbi pupilli educari debeant. 5.49
Vbi quis decurialivel cohortali aliáve cõditione cõueniatur. 3.23
Vbi senatores vel clarissimi ciuiliter vel criminaliter conueniantur. 3.24
Vectigalibus,& commissis. 4.61
Vectigalia noua institui non posse. 4.62
Venatione ferarum. 11.44
Vendendis rebus ciuitatis. 11.31
Venditione rerum fiscalium cum priuatis communium. 10.4
Verborum & rerum significatione. 93
Vestibus holoberis,& auratis, & de intinctione sacri murici. 8.9
Veteranis. 1.12
Vetere iure enucleando, & de auctoritate iurisprudentius qui in Digestis referuntur. 1.11
Veteris numismatis potestate. 64.11
Vi bonorum raptorum. 19.33
Vindicta libertate,& apud consilium manumissione. 7.1
Vnde legitimi,& vnde cognati. 6.15
Vnde liberi. 6.14
Vnde vi. 8.4
Vnde vir & vxor. 6.18
Vsucapione pro donato. 7.27
Vsucapione pro dote. 7.28
Vsucapione pro emptore,vel transactione. 7.26
Vsucapione pro herede. 7.29
Vsucapione transformanda, & de sublata differentia rerum mancipi & nec mancipi. 7.31
Vsufructu,& habitatione,& ministerio seruorum. 3.33
Vsuris. 4.32
Vsuris,& fructibus legatorum seu fideicommissorum. 6.47
Vsuris rei iudicatæ. 7.54
Vsuris pupillaribus. 5.56
Vt actiones ab herede,& contra heredes incipiant. 4.11
Vt annorum vsus inscio principe interdictus sit. 11.46
Vt causæ post pubertatem adsit tutor. 5.48
Vt dignitatum ordo seruetur. 12.8
Vt in possessionem legatorum seu fideicommissorum seruandorum causa mittatur,& quando satisdari debeat. 6.54
Vtintra certum tempus criminalis quæstio terminetur. 9.44
Vti possidetis. 8.6
Vt lite pendente,vel post prouocationem aut definitiuam sententiam nulli liceat Imperatori supplicare. 1.21
Vt nemini liceat in emptione specierum se excusare, & de munere sitocomiæ. 10.27
Vt nemini liceat sine iudicis auctoritate signa rebus imponere alienis. 2.16
Vt nemo ad suum patrocinium suscipiat rusticanos, vel vicos eorum. 11.53
Vt nemo inuitus agere,vel accusare cogatur. 3.7
Vt nemo priuatus titulos prædijs suis vel alienis imponat,vel vela regia suspendat. 2.15
Vt nullus ex vicanets pro alienis vicaneorum debitis teneatur. 11.56
Vt nulli patriæ suæ administratio sine speciali permissu principis permittatur. 1.41
Vt omnes iudices tam ciuiles quàm militares post administrationem depositã quinquaginta dies in ciuitatibus vel certis locis permaneant. 1.49
Vt quæ desunt aduocatis vel partibus,iudex suppleat. 2.10
Vxoribus militum, & eorum qui reipublicæ causâ absunt. 2.52

Decretalium.

Verborum significatione. 5.40
Vita & honestate clericorum. 3.1
Voto, & voti redemptione. 3.34
Vsuris. 5.19
Vt ecclesiastica beneficia sine deminutione conferantur. 3.12
Vt lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitiuam. 2.6
Vt lite pendente nihil innouetur. 2.16

FINIS INDICIS.

BIU Cujas

I. PACII A BERIGA I. C.

ISAGOGICORVM IN INSTITVTIONES PRÆFATIO.

1 IVS *Romanum, quo omnes ferè populi vtuntur, partim est ciuile seu Cæsareum, quod ab Imperiali maiestate pendet; partim canonicum seu Pontificium, quod*
2 *pontificia auctoritate nititur.* ¶ *Vtriusque titulos hoc tempore explicare instituimus, qui & rubricæ vocantur, eò quod antiquo more minio seu rubrica notari soleant. Vnde Persius satyra. 5.* „ Excepto si quid Masuri rubrica notauit.
& Iuuenal. saty. 14 ——Perlege rubras Maiorum leges——
3 ¶ *Ius ciuile à Iustiniano Imperatore in tria volumina redactum est: primum Institutionum quo iuris epitome isagogica continetur: alterum Digestorum seu Pandectarum, quod ex veterum Iureconsultorum libris compositum est: tertium Codicis, quo Imperatorum constitutiones continentur, exceptis ipsius Iustiniani Nouellis, non vno tempore post cõpositionem Codicis promulgatis, quæ in vnum volumen à nescio quo relatæ fuerunt. His subiungi solent consuetudines feudales à*
4 *priuatis quibusdam Doctoribus literis mãdatæ.* ¶ *His breuiter præcognitis, ad titulos Institutionum enarrandos accedamus.*

LIBER PRIMVS.

TIT. I. *De iustitia, & iure.*

1 CVM iurisprudentiæ partes duæ sint: prior de ipso iure, posterior de iuris obiectis. meritò Iustinianus primo loco agẽdum proponit de iustitia & iure; quoniam ius à iustitia dicitur.
2 D.h.t.l.1.in princ. ¶ Iustitia definitur constans & perpetua voluntas suũ cuique tribuendi, id est, habitus animi, per quem ita affecti & comparati sumus, vt suum cuique, quantum in nobis est, tri-
3 buere velimus. ¶ Ius accipitur vel pro obiecto iustitiæ, vel pro iuris scientia. In priori significatione differt à iusto, vt abstractum à concreto. vtrumque autem differt à iustè facto: quia ius, vel iustum dicitur, quatenus naturâ vel constitutione præscribitur & iubetur: iustâ autem factum appellatur, quatenus iam ex naturæ vel cõstitutionis præscripto factum est. Ita Aristot. 5. Ethic. Nicom. distinguit inter δίκαιον, & δικαίωμα seu δικαιοπράγημα. In posteriori significatione vocatur etiam iurisprudentia, & definitur ars boni & æqui. D. eod. l.1.in princ. vel rerum diuinarum & humanarum notitia iusti atque iniusti scientia. §.1. Prior definitio sumitur à præcipuo formali obiecto iurisprudentiæ: Posterior tam ab obiecto materiali, quàm à formali. Obiectum materiale cum scholasticis voco id, in quo scientia vel ars versatur. Obiectum autem formale appello modum considerandi. Iurisprudentia versatur in rebus diuinis & humanis; atque eas considerat, quatenus sub rationem cadunt boni & æqui, seu iusti & iniusti. Materia igitur iurisprudentiæ subiecta, sunt res diuinæ & humanæ. Obiectum formale est iustum & iniustum. sed præcipuum obiectum est iustum: ratione cuius consideratur etiam iniustum, quia contrariorum eadem est scientia, vt sanitatis & morbi medicina. Nec refert hoc loco, vtrum dicas iustum, an bonum & æquum: quia bonum & æquum hîc sumitur latè, vt æquitas apud M. Tullium in Topicis, vbi ius definit æquitatem constitutam iis, qui eiusdem ciuitatis sunt, ad res suas obtinendas.
¶ Ius diuiditur primò in publicum & priuatum, se- 4
cundò in scriptum & non scriptum, tertiò in immutabile & mutabile. Prima diuisio explicatur in hoc titulo: reliquæ duæ titulis sequentibus. Ius publicum est, quod ad statum reipublicæ pertinet. priuatum, quod ad priuatorum ciuium vtilitatem spectat. Ausonius tres iuris species fecit, sacrum publicum & priuatum, cùm ita cecinit,

„ *Ius triplex, tabulæ quod ter sanxere quaternæ:*
„ *Sacrum, priuatũ, & populi commune quod vsquam est.*

Sed sacrum sub publico continetur. ¶ Priuati Ro- 5
mani iuris partes sunt tres, ius naturale, ius gentium, & ius ciuile: quia populus Romanus hoc triplici iure vtitur, & ex hoc triplici iure sumuntur legum præcepta de iis, quæ ad priuatas personas pertinent.

II. *De iure naturali gentium & ciuili.*

INscriptio huius tituli sumitur à prima parte, in qua 1
declarantur tria illa iuris priuati membra: ius naturale, quod conuenit omnibus hominibus, non solis, quia eius vestigia quædam in brutis reperiuntur: ius gentium, quod ita proprium est hominum, vt eis omnibus & solis conueniat: & ius ciuile, quod solis non omnibus hominibus conuenit. ¶ Ius naturale est, 2
quod natura omnia animalia docuit. in prin. Ius gentium est, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit. Ius ciuile est, quod quisque populus ipse sibi constituit. §.1. ¶ Post hæc, à §. constat vsque ad 3
§. pen. exponitur altera iuris diuisio in scriptũ, & non scriptũ: & iuris scripti subdiuisio in legẽ, plebiscitum, senatusc5sultum, magistratus edictum, principis con-

BIU Cujas

stitutionem, iurisconsulti responsum. Scriptum ius est, quod auctoritate publica in scriptis redigitur. Lex est, quod populus Romanus senatorio magistratu interrogante constituebat, antequàm potestatem suam in principem transferret. plebiscitum, quod plebs plebeio magistratu interrogante constituebat. Senatusconsultum, quod Senatus iubet atque cõstituit. Constitutio, quod principi placet vt legis vigorem habeat. Edicta magistratuum dicuntur, quæ Prætores vel ædiles curules publicè proponebant, tamquam ex iis ius dicturi. Responsa prudentum sunt sententiæ & opiniones Iureconsultorum, quibus à Cæsare permissum
4 erat de iure respondere. ¶ Constitutio diuiditur. I. In rescriptum, decretum, & edictum. Rescriptũ est principis responsum ad consulentes missum. Decretum est, quod princeps causâ cognitâ inter duos litigantes pronunciat. Edictum, quod princeps publicè obseruandum proponit. II. In generalem, quæ in omnes valet; & personalem, quæ personam, de qua lata est, non egreditur; nec debet in exemplum trahi, id est, ad alias similes personas, vel alios similes casus produci.
5 ¶ Posthæc, in §. pen. declaratur alia iuris diuisio: quia partim est immutabile, veluti quod iubet Deũ coli & parentibus debitũ honorẽ exhiberi: partim mutabile, veluti quod captiuitatẽ & seruitutẽ & manumissionẽ
6 introduxit. ¶ Tandẽ in §. vlt. proponuntur tria iuris obiecta: personæ, res, & actiones. Nota I. Rei vocabulum hîc angustè accipi, vt distinguatur à personis, & ab actionibus: alioqui, si latè sumatur, tam personæ quam actiones sunt res quædã; & in hac lata significatione suprà à nobis accipiebatur, cùm dicebamus res diuinas & humanas esse materiã iurisprudentiæ subiectã. Nota II. Vnũ esse totale iuris obiectũ: alioqui non esset vna scientia iuris, sed plures, id autẽ est iudicium, cuius partes sunt; personæ, vt iudex, actor, reus: & res, de quibus contenditur: & actiones, quibus iudiciũ informatur. hæc igitur sunt tria iuris obiecta partialia. Nota III. Actionis vocabulũ hîc latè accipi, vt cõplectatur etiã interdicta, exceptiones & officium iudicis.

III. *De iure personarum.*

AB hoc titulo vsque ad finẽ primi libri agitur de personis: quarũ duplicẽ diuisionem Iustinianus persequitur. Prior diuisio sumitur à iure gẽtium: quòd alij sunt homines liberi, alij serui: ac liberorum alij sunt ingenui, alij libertini, ita fit, vt iure gentium tria sint hominum genera, ingenui, libertini, serui. ff. de libertin. in princ. Liberi sunt, qui, quod volunt, facere possunt, nisi vi aut iure prohibeantur. neque enim libertati officit, quòd non licet homicidium, vel furtũ facere aut quod aliquis vi prohibetur facere quod vult. Serui sunt, qui sunt in dominorũ potestate. Sunt etiam quidam serui sine dominis, vt serui hereditarij, D. quod vi aut clam. l. denique. 13. §. quæsitũ. qui sunt nullius. D. de rer. diuis. l. 1. in pr. & serui pœnæ, vt damnati in metallum. ff. quib. mod. ius potest. solu. §. pœnæ. nempe quia ipsa hereditas dominum defunctum repræsentat. d. l. denique. §. quæsitum. ff. de heredib. instituend. §. seruus etiam. & de stipul. seruor. in princ. Similique ratione pœna subit vicem domini.

IV. *De ingenuis.*

INgenuus definitur, qui statim ac natus est, liber est, hinc distinguitur à libertino, qui natus est seruus, & per manumissionem consecutus est libertatem.

V. *De libertinis.*

LIbertinus definitur, qui ex iusta seruitute manumissus est. ac manumissio definitur, de manu, id est potestate missio, seu libertatis datio. Nota I. Ingenuos nasci ff. tit. prox. in princ. libertinos fieri manumissione. hoc tit. in pr. seruos partim nasci ex ancillis, partim fieri captiuitate, aut venditione. ff. de iure person. §. penult. Nota II. Nouissimè à Iustiniano constitutum esse, vt manumissi omnes ingenui sint, saluo tamen iure, quod liberti patronis, id est, manumissoribus suis debent. Nou. 78.

VI. *Qui & ex quibus causis manumittere non possunt.*

QVia dictum est libertinos fieri manumissione, 1
consequenter Imperator duas leges considerat manumissionem impedientes. Prior est lex Ælia Sentia, lata Sexto Ælio, C. Sentio consulib. cuius duo sunt capita: primum de manumittentibus in fraudem creditorum: alterum de minoribus 20. annis manumittentibus. ¶ Primi capitis summa est, manumissionem 2
non valere in præiudicium creditorũ manumittentis, si & re ipsa & consilio manumittentis, fraudentur, nisi seruus ex testamento domini sui libertatem & hereditatem simul accipiat. ¶ Summa secundi capitis est, 3
cùm minor 20. annis manumittit, duo requiri: videlicèt vt causa manumittendi in consilio probetur; deinde seruus vindicta manumittatur. Cõsilium Romæ constabat ex quinque Senatoribus, & quinque equitibus Romanis, quibus prætor præerat: in prouincia ex viginti ciuibus Romanis, qui vocabantur Recuperatores, & proconsuli vel præsidi assidebant. Vindicta erat virga prætoris, qua caput serui manumittendi tangebatur, sic dicta ex eo, quòd seruus vindicatur in naturalem libertatem, vel (vt aliis placet) quia qui primus ob coniurationem nobilium regem reducere volentium detectam, manumissus est, vindicius appellatus fuit. Iustinianus hanc legem interpolauit: quia in §. vlt. hoc tit. maiori septendecim annis, & in Nou. 19. c. 12. maiori quatuordecim annis permisit, vt seruis suis pro libitu in testamento libertatem concedant.

VII. *De lege Fusia Caninia tollenda.*

POsterior est lex Fusia (vel, Furia) Caninia, lata P. Furio Camillo, C. Caninio Gallo consulibus. Augusti temporibus. Hæc lex numerum præscripsit seruorum in testamento manumittendorum; vt ex tribus seruis non plures quàm duo manumittere liceat: & vsq; ad decem, dimidiã partem: inde vsque ad triginta, tertiam partem; sic tamẽ, vt si tertia pars pauciores quam quinque contineat, nihilominùs quinque manumitti possint: à triginta vsque ad centum, quartam partem; quæ si pauciores quàm decem cõficiat, nihilominùs decem manumittere liceat: à centũ vsque ad quingentos partem quintam; sic tamen vt omnimodo viginti quinque manumitti possint: sed ex quouis numero vltra centum manumitti vetat. Vlpian. tit. de libert. §. penult. Caius lib. 1. tit. 2. Hanc legem Imperator Iustinianus fauore libertatis abrogauit. C. hoc tit. l. vn. Hucusque prima personarum diuisio sumpta à iure gentium.

VIII. *De his qui sui vel alieni iuris sunt.*

SEquitur ciuilis personarum diuisio; quòd alij sunt sui iuris, alij iuri alieno subiecti. Sui iuris sunt patresfamiliarum: alieni iuris sunt filijfamiliarum, qui sunt in potestate parentum; & serui, qui sunt in potestate dominorum. Hanc diuisionem non esse ad ius gentium, sed ad ius ciuile referendam, ex eo apparet, quòd tam patres quàm filijfamiliarum sunt ciues Romani. D. h. t. l. 4. & patria potestas est propria ciuium Romano

BIU Cujas

Romanorum. D. eod.l.3. & ĵ. tit. prox. §. ius autem. Potestas autem dominorum in seruos etsi iure gentium est introducta, vt s̃. exposuimus: tamen in hoc titulo consideratur, inquantum iure ciuili restricta & limitata est, vt patet ex §. sed hoc tempore.

IX. *De patria potestate.*

1 PAtriæ potestatis, cui filijsfamiliâs sunt subiecti, tres sunt causæ, nimirum iustæ nuptiæ, legitimatio, & adoptio. In prima & secunda causa tam ius ciuile quàm ius naturale spectantur: in tertia solum ius ciuile. Nam liberi procreati ex iustis nuptiis aut legitimati, sunt naturales & legitimi: adoptiui autem sunt tantùm legitimi. Prima causa hoc titulo proponitur.
2 secunda tit.seq. §.vlt.tertia ĵ.de adopt.in prin. ¶ Nuptiæ in §. 1. definiuntur viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem continens. Intellige coniunctionem animorum potiùs quàm corporum: quia non concubitus, sed consensus nuptias facit. D. de diuers.reg.iur.l.nuptias.30. Intellige cõsuetudinem vitæ indiuiduam; quia hæc est proprietas nuptiarum, sine qua nuptiæ iure ciuili non consistunt: nam thori separatio, de qua in iure canonico agitur, iuri ciuili est ignota. Tollitur autem hæc indiuidua vitæ consuetudo, cùm ipsæ nuptiæ morte vel diuortio diri-
3 muntur. ¶ Porrò quamuis nuptiæ sint maris & feminæ coniunctio, ac tam masculi quàm feminæ sint in patria potestate; tamen soli masculi, vt pater, & ascendentes per lineam paternam, in potestate liberos habent.

X. *De nuptijs.*

1 NOn sufficit data nuptiarum definitio, nisi etiam explicetur, quæ sint iustæ, vel iniustæ: quia ex iustis tantùm nuptiis procreati liberi sunt in potestate parentum. hoc igitur titulo Imperator agit de iustis vel iniustis nuptiis vsque ad §. vlt. in quo de legitima-
2 tione liberorum agit. ¶ Iustæ nuptiæ in principio definiuntur, quas ciues Romani secundum legũ præcepta coëuntes contrahunt, id est, masculus maior 14. annis, & femina maior annis 12. qua ætate dicitur viri potens. Ergo iniustæ nuptiæ sunt, quæ contra legum
3 præcepta contrahuntur. §. si aduersus. ¶ Legitimationis duo genera proponuntur in §. vlt. Primum per subsequens matrimonium. si is, qui ex legitima concubina (nam concubinatus iure ciuili permissus est. D. de cõcubin. l.3.§.1.) liberos suscepit, cum ea matrimonium, instrumentis dotalibus confectis, contrahat: Alterum per oblationem curiæ. dum enim filius fit curialis, simul fit patri legitimus, & in eius potestate. Nouissimè Iustinianus alia duo legitimationum genera introduxit: nimirum per rescriptum principis Nou.74. & No.89. cap.3. & per filij nominationum à patre in publico instrumento, aut in priuato instrumento trium testium subscriptionem continente; aut. in testamento, aut apud acta factam. Nou.117.cap.2 propterea quòd filius propriè dicitur, qui ex viro & eius vxore nascitur. D. de his qui sui vel alien. iur. sunt. l.6.

XI. *De adoptionibus.*

1 EXpositis duabus patriæ potestatis causis naturalibus & legitimis, subiicitur tertia iuris ciuilis propria, id est, adoptio, quæ à Theophilo hîc definitur actus legitimus naturam imitans, ad eorum, qui liberos non habent, solatium inuẽtus à Gaio autem lib.1. Instit.tit.5. naturæ similitudo, vt aliquis filium habere
2 possit, quem non generauit. ¶ Adoptionis species duæ sunt: nempe adoptio propriè dicta, qua filijsfamiliâs solius magistratus auctoritate adoptantur: & arrogatio, qua patresfam. ex rescripto principis apud acta insinuato adoptantur. §. 1.

XII. *Quibus modis ius potestatis soluitur.*

SVprà exposuit tres modos, quibus dominica potestas constituitur, natiuitatem ex ancilla, captiuitatem, & venditionem ad pretium participandum. s̃. de iu.perso. §. pen. ac totidem modos, quibus constituitur patria potestas, procreationem ex iustis nuptiis, legitimationem & adoptionem. s̃. de patr.potesta.in pr. & de nupt. §. vlt. & de adopt.in pr. nunc modos enarrat, quibus potestas soluitur. Et vnum quidem modum proponit soluendæ potestatis dominicæ, nempe manumissionem: plures autem modos dissoluendæ patriæ potestatis: quorum alij omnino potestatem tollunt, vt mors, deportatio, pœnæ seruitus. patriciatus dignitas, emancipatio: alij potestatem suspendunt, vt captiuitas: alij transferunt, vt adoptio. nihil autem huic potestati relegatio officit, quia ciuitatem non adimit, vt deportatio.

XIII. *De tutelis.*

HActenus dictum est de personis alieno iuri sub- 1
iectis: iam dicendum de iis, quæ sui iuris sunt. hæ partim sunt in tutela, partim in curatione, partim neutro iure tenentur. Itaque in sequenti parte Imperator primùm aget de tutelis, postea de curationibus: tandem ea exponet, quæ tutoribus & curatoribus communia sunt. ¶ Tutela est vis seu potestas in ca- 2
pite libero (id est in tutore) ad tuendum eum (subaudi pupillum) qui per ætatem se defendere nequit, partim iure ciuili data (vt tutela legitima) partim permissa (vt testamentaria & datiua.) Sunt enim hæc tria tutelarum genera: quia tutor vel testamento datur, vel ipso iure, vel à iudice competente.

XIV. *Qui testamento tutores dari possunt.*

SVperiori titulo, postquàm generalia quædam de tutelis docuit, primam tutelæ speciem explicare cœpit, & egit de personis, quæ in testamento tutorem dant, vel accipiunt. pergit ergo de hac tutela testamentaria differere: ac docet, qui possint testamento tutores dari, & quibus modis dentur, & an dentur rebus, & quomodo sint accipienda quædam testamenta, seu quædam dationes tutorum. Ergo inscriptio huius tituli sumitur tantùm à prima parte, quod quidem sæpius in his Institutionibus accidit.

XV. *De legitima adgnatorum tutela.*

CEssante tutela testamentaria, locus est legitimæ, quæ ipso iure defertur vel ex verbis legis xij. tabularum, vel ex eius interpretatione, vel ex nouo iure. Ex verbis legis tutela defertur proximis adgnatis. Adgnati sunt cognati per masculos coniuncti, capite non minuti. Nã cognatio est genus, quod diuiditur in cognationem propriè dictam, quæ est per feminas: & adgnationem, quę est per masculos. Proximi sunt, quos nemo præcedit, etiamsi nemo eos sequatur. Quid autem sit capitis deminutio, & quotuplex, sequenti titulo declarabitur.

XVI. *De capitis deminutione.*

CApitis deminutio est status mutatio. Hanc de- 1
finitionem Aristoteles vitiosam diceret, quia totidem membris constat, quot definitum. lib.6. Topic. cap.11.partic.2. ¶ Porrò triplex est hominum status, 2
libertas, ciuitas, familia. Potest autem aliquis amit-

BIU Cujas

tere vel solam familiam, vel familiam & ciuitatem salua libertate, vel hæc omnia perdere. Sed neque libertatem solam, neque ciuitatem saluâ familiâ potest amittere. Vnde fit vt tres tantùm sint capitis deminutiones: maxima quæ tria illa adimit: minor seu media, quæ ciuitatem & familiam tollit saluâ libertate: & 3 minima, quæ solam familiam adimit. ¶ In calce huius tituli redit Imperator ad legitimam adgnatorum tutelam, eiúsque expositioni finem imponit.

XVII. *De legitima patronorum tutela.*

EX mente & interpretatione legis xij. tabularum defertur primò patronis tutela libertorum impuberum. Secundò parentibus tutela libertorum impuberum emancipatorum.

XIX. *De fiduciaria tutela.*

MOrtuo parente tutor legitimo, si qui sint liberi perfectæ ætatis, in eius locum tutores fiunt. hæc dici potest tutela legitima, quoniam ipso iure defertur, sine facto hominis, id est, sine testamento, & sine iudicis decreto: sed nō est propriè legitima; quia non descendit ex lege xij. tabularum, quæ κατ' ἐξοχὴν, appellatur lex.

XX. *De Attiliano tutore, & eo qui ex lege Julia & Titia dabatur.*

1 SI nec testamentarius nec legitimus tutor sit, in extremum subsidium iudex competens dat pupillis tutorem, quem Doctores datiuum nominãt. Olim dabatur Romæ ex lege Attilia lata ab Attilio Tribuno plebis: vnde tutor Attilianus vocatus est: in pro-
2 uinciis verò ex lege Iulia & Titia. ¶ Duo postremi. §§. non sunt huius tituli proprij, sed communiter pertinent ad tutelas, quas Imperator ostendit esse introductas in gratiam pupillorum: vnde fit, vt tutelâ finitâ tutor rationem administrationis reddere debeat. Hinc etiam est, (vt hoc obiter addam) quòd pupilli dicuntur esse sui iuris, licèt sint in potestate tutorũ; quemadmodum & adolescentes, qui sunt in potestate curatorum, nihilominùs dicuntur esse sui iuris: ne vllo modo eis noceat potestas, quæ ipsorum fauore introducta est.

XXI. *De auctoritate tutorum.*

1 HIc quoque titulus communiter ad omnes tutelas
2 & omnes tutores pertinet. ¶ Consensus species sunt, iussus, mandatum, auctoritas, ratihabitio. iussus & mandatum præcedunt actum, qui iubetur vel mandatur: sed inter se differunt; quia iubemus iis qui sunt in nostra potestate, mandamus autem iis qui sunt extra nostram potestatem. auctoritas actum comitatur, ratihabitio sequitur. ergo auctoritas est consensus, qui in ipso negotio interponitur.

XXII. *Quibus modis tutela finitur.*

POstquàm exposuit Imperator, quid sit tutela, quot modis constituatur, seu quot habeat species, & quos effectus producat; tandem docet, quibus modis dissoluatur; quia quodcumque certis modis constituitur, etiam certis modis dissoluitur.

XXIII. *De curatoribus.*

1 HVcusque de tutoribus dictum est; iam de curato-
2 ribus agitur. ¶ Curatio est potestas in capite libero (id est, in curatore) ad gerenda illius negotia qui per ætatem (quia est minor 25. annis) vel propter animi vitium (quia est furiosus, vel mente captus, vel prodigus) vel ob corporis vitium (veluti quia est surdus, aut mutus, aut perpetuo morbo laborat) ea commodè gerere non potest.

XXIV. *De satisdatione tutorum vel curatorum.*

SEquuntur tria tutoribus & curatoribus commu- 1
nia. Primum est satisdatio. ¶ Satisdare dicitur, qui 2
datis fideiussoribus, aut pignoribus cauet. D. de pecun. constit. l. promissor. 21. §. vlt. sed satisdationes prætoriæ, qualis hæc est, de qua in hoc titulo agitur, fideiussores desiderant. D. de stipul. prætor. l. 7. ¶ Tutor sa- 3
tisdat rem pupilli saluam fore. Curator satisdat rem eius qui in curatione est, putà adolescẽtis, saluam fore.

XXV. *De excusationibus tutorum, vel curatorum.*

SEcundum est excusatio. nã tutela & cura sunt mu- 1
nera publica, quæ inuiti subire coguntur, nisi legitimas excusationes habeant. ¶ Porrò nonnullę causæ 2
ad tempus excusant, vt administratio rei fiscalis: aliæ in perpetuum, vt ætas maior 70. annis.

XXVI. *De suspectis tutoribus, vel curatoribus.*

TErtium est suspecti accusatio & remotio à tutela 1
vel cura. ¶ Suspectus hoc loco dicitur, non ex fa- 2
cultatibus, sed ex moribus, quia dolosè tutelam aut curam gerit, vel gesturus videtur.

LIBER SECVNDVS.

TITVLVS I.

De rerum diuisione, [& acquirendo ipsarum dominio.]

EXPOSITO primo iuris obiecto, id 1
est personis, transgrediamur ad secundum, nempe ad res: de quibus triplex quæstio esse potest, videlicèt de dominio, de possessione, & de obligatione. ac de possessione quidem obiter dicetur ff. tit. 9. & lib. 4. tit. de interdictis: de dominio autem & obligatione prolixè in hac parte tractatur. ¶ Quod ad dominium attinet: quia non 2
omnes res in nostrum dominium cadunt, in primis explicantur duæ rerum diuisiones, vt intelligamus, quæ res nobis acquiri possint, vel non possint. Primò namque vel sunt in patrimonio seu dominio nostro, vel extra patrimonium & dominium nostrum. Quod enim dicitur seruitutes nec esse in patrimonio, nec extra patrimonium. D. de seruit. leg. l. 1. de seruitutibus per se acceptis intelligi debet: quia per se non consistunt, sed sequuntur prædia, quorum sunt qualitates quædam. D. de verbor. signif. l. quid aliud. 86. Secundò aut sunt communes omnium hominum, aut alicuius populi, aut ciuitatis, aut nullius, aut singulorũ hominum, quibus non vno modo acquiri solent. ¶ Sunt 3
autem modi, quibus res acquiruntur, partim iuris gentium, vt occupatio, fructuum perceptio, accessio, confusio,

BIU Cujas

fusio, vel commixtio, & traditio; qui hoc titulo explicantur: partim iuris ciuilis, de quibus mox dicetur.

II. *De rebus corporalibus & incorporalibus.*

1 MOdis suprà expositis tantùm res corporales acquiruntur: iis verò, qui mox declarabũtur, etiam res incorporales acquiri possunt. Quamobrem hoc loco datur titulus de rebus corporalibus & incorporalibus: quia priùs sciendum est, quæ res acquiri possunt,
2 quã declarentur modi, quibus acquiruntur. ¶ Res corporales sunt, quæ sui naturâ tangi possunt, vt homo, restis, aurum. Incorporales, quæ sui naturâ tangi non possunt: atque harum aliæ extra ius consistunt, vt angeli: aliæ in iure, vt seruitutes prædiales, & personales, de quibus deinceps dicetur.

III. *De seruitutibus prædiorum.*

1 SEruitus aliter hîc accipitur, quàm libro superiori: ac definiri potest, ius, quo res vel alij quàm domino suo, vel alieno prædio seruit. regula namque iuris est, nemini rem suam seruire. D. si vsusfr. pete. l. 5. in pr.
2 & de seruitut. præd. vrban. l. in re communi. 26. ¶ Seruitutum duo sunt genera. nam aliæ sunt reales seu prædiales, aliæ personales. Realis seu prædialis seruitus est, qua alicuius prædium alieno prædio seruit. Quare in omni prædiali seruitute duo sunt prædia: alterum, quod Doctores vocant dominans, id est, cui seruitus præstatur; alterum seruiens. Et sicut duo sunt prædiorum genera, vrbanum, & rusticum: ita duplex est prædialis seruitus; nimirum vrbana, & rustica. Vrbanum prædium est ædificium habitandi causa siue in vrbe siue ruri extructum, reliqua omnia sunt prædia rustica. §. 1. & D. commu. prædior. l. 1. in pr. & de verb. signific. l. vrbana prædia. 198. Seruitus vrbana est, qua prædium siue vrbanum siue rusticum vrbano prædio seruit: rustica, qua vrbanum vel rusticum rustico seruit: nam denominatio sumitur à prædio dominante, non à seruiente.

IV. *De vsufructu.*

1 ASeruitutibus realibus trãsit ad personales. ¶ Ser-
2 uitus personalis est, qua persona vel res personæ, id est, non domino seruit, vt vsusfructus, & vsus. ¶ Vsusfructus est ius vtendi fruendi rebus alienis, saluâ earum substantiâ.

V. *De vsu & habitatione.*

1 VSus est ius vtendi rebus alienis saluâ earum substantia. Vti dicimur ad necessitatem: frui etiam
2 ad superfluitatem. ¶ Vsui similis est habitatio, quæ est ius vel potiùs facultas habitandi in ædibus alienis, saluâ earum substantia. Nam etsi habitatio dici aliquo modo ius potest. §. pen. tamen magis in facto, quàm in iure consistit. D. de cap. min. l. penult.

VI. *De vsucapionibus, & longi temporis possessionibus.*

1 POstquàm dictum est de rebus quæ acquiruntur, iam dicendum de modis acquirendi ciuilibus, quia naturales tit. 1. expositi fuerunt. ac naturales quidem modi sunt omnes particulares, id est, iis modis singulæ res acquiruntur, putà quæ occupantur in bello, vel inueniuntur in litore maris: modi autem ciuiles partim sunt particulares, quibus res singulæ acquiruntur, partim vniuersales, per quos aliqua vniuersitas, vt hereditas, acquiritur. Primo loco dicendum est de particularibus: quoniam hi similiores sunt modis naturalibus §. expositis. ¶ Primus modus particularis ciui-
2 lis est vsucapio: quæ definitur adiectio dominij per continuationem possessionis tempore lege definito. D. h. tit. l. 3. nam vsus hîc significat possessionem vt & D. de verbor. signif. l. quæstio. 115. & vsucapere nihil aliud est, quàm possessione dominium acquirere.
3 ¶ Vsucapionis species duæ sunt: vsucapio propriè dicta, & longi temporis præscriptio seu longi temporis possessio. Illâ acquiruntur res mobiles triennio: hac res immobiles longo tempore, id est, decennio inter
4 præsentes, vel vicennio inter absentes. ¶ Vt autem vsucapio procedat, hæc in summa requiruntur. I. Bona fides vsucapientis. II. Iustus titulus siue causa idonea, vt emptionis, aut donationis. III. Vt vsucapiens rem à non domino acceperit. IV. Possessio continuata, non interrupta. V. Vt res possit vsucapi, id est, nec sit extra commercium, nec furtiua, nec vi possessa.

VII. *De donationibus.*

1 SEcundus modus acquirendi iure ciuili est donatio: quæ nihil aliud est, quàm liberalis, id est, nullo iure cogente facta concessio. D. h. t. l. donari. 29. in prin. & de diuers. reg. iur. l. donari. 82. ¶ Donatio fit vel
2 inter viuos, vel mortis causa. Rursus vel est simplex donatio, veluti, *dono tibi decem:* vel sub conditione, veluti, *dono tibi decem si moriar:* vel quæ sub conditione resoluitur, veluti, *dono tibi decem, ita vt, si conualuero, mihi restituas:* vel sub modo, veluti, *dono tibi decem, vt Stichum manumittas.* D. h. t. l. 1. & C. de condi. ob causam. l. 2. 3. 6. 7. 8. & de donat. quæ sub modo, to. tit. ¶ Est
3 quædam donatio, quæ vocatur propter nuptias: & est doti ἀντίστροφον. vt enim dos à muliere vel pro muliere datur marito: ita ex parte viri confertur in mulierem donatio propter nuptias. idcirco Græci ἀντιφέρνια, & Itali contra dotem appellant. Hæc donatio olim fiebat & vocabatur ante nuptias, & omnimodo in se habebat conditionem, si nuptiæ sequerentur: sed hodie stantibus nuptiis potest augeri ex constitutione Iustini, atque etiam in totum constitui ex constitutione Iustiniani. §. est & aliud.

VIII. *Quibus alienare licet, vel non.*

1 EXpositis modis acquirendi particularibus, dicendum est de personis, quæ his modis alienant, vel acquirunt. Quod enim aliquis alienãdo amittit, alius acquirit. ¶ De alienantibus duæ sunt regulæ. I. Do-
2 minus rem suam alienare potest: quia quilibet est rei suæ moderator & arbiter. C. mand. l. in re mãdata. 21.
3 II. Qui non dominus rem alienare nequit. ¶ A prima regula excipitur maritus, qui non potest alienare prædium dotale, prohibente lege Iulia in pr. & pupillus. §. nunc admonendi. A secunda excipiuntur creditores pigneratitij. §. 1.

IX. *Per quas personas nobis acquiritur.*

1 QVod ad personas acquirentes attinet, sciendum est nos acquirere per nosmetipsos, per eos qui sunt in nostra potestate, per eos quos bona fide possidemus, & interdum per procuratores, vt hoc titulo pleniùs explicatur.

X. *De testamentis ordinandis.*

1 TRansgrediamur ad modos acquirendi ciuiles vniuersales: qui quidem sunt quatuor: hereditas, bonorum possessio, arrogatio, bonorum addictio. ¶ He-
2 reditas est successio in vniuersum ius, quod defunctus habuit mortis tempore. D. de verb. signif. l. nihil aliud. 24. & de diuers. reg. iur. l. hereditas. 62. defertur autem vel ex testamento vel ab intestato. Quoniam igitur quamdiu spes est successionis testamentariæ, non succeditur ab intestato: huius disputationis initium à

BIU Cujas

3 testamentis sumendum est. ẽ. tit. prox. §. vlt. ¶ Testamentum dicitur à testatione mentis. h.t. in prin. & est voluntatis nostræ iusta sententia de eo quod post mortem nostram fieri volumus. D. qui testam. face. poss. l. 1.
4 ¶ Testamentorum expositio est tripertita. I. Dicetur de testamentis condendis. II. De iisdem infirmandis.
5 III. De eorum accidentibus. ¶ Vt testamentum rectè constituatur, plura requiruntur. Primum requisitum est, vt adhibeantur iuris solemnitates, quæ quidem plures proponuntur in §. sed cùm paulatim. h.t. & in l. hac consultissima. 28. C. eod. I. Præsentia septem testium. II. Vt testes sint rogati specialiter. III. Vt testamentum fiat vno contextu, id est, nullo extraneo actu interiecto. IV. Scriptura. V. Subscriptio testatoris, nisi vel testamentum sit holographum, id est totum manu testatoris scriptum, vel octauus testis pro testatore literarum imperito subscribat. VI. Subscriptio testium. VII. Signacula testium. VIII. Vt testator eam scripturam ostendat testibus, ac dicat eâ contineri suum vltimũ elogium, seu testamentum. Omitto solemnitatem requisitã in §. sed his omnibus. quia
6 sublata est per Nouel. 119. cap. 9. ¶ Hæ solemnitates primò non requiruntur in testamento nuncupatiuo, quod sine scriptis fit, testatoris voluntate palàm pronunciata coram 7. testibus. Vnde duo sunt testamentorum genera: alterum solemne siue in scriptis, siue arcanum; alterum nuncupatiuum. §. vlt.

XI. *De militari testamento.*

1 SEcundò non requiruntur in testamento militari, quod miles sub præliandi tempus fecit. nam militi concessum est, vt eo tempore testetur, quomodo vult,
2 & quomodo potest. ¶ Notandum est, aliud esse testamentum militis, aliud testamentum militare: quia miles modò iure communi, modò iure militari ex speciali priuilegio testatur.

XII. *Quibus non est permissum facere testamentum.*

TErtiò non requiruntur in testamento eius qui testamenti factionem non habet: quia eius testamentum indistinctè non valet.

XIII. *De exheredatione liberorum.*

SEcundum requisitum est, vt si testator liberos in potestate habeat, qui sui heredes futuri sint, eósque nolit heredes facere, eos nominatim exheredet.

XIV. *De heredib. instituendis.*

1 TErtium requisitum est heredis institutio, quæ dicitur esse caput & fundamentum testamenti. ẽ.
2 de lega. §. ante heredis. ¶ Porrò heredis institutio est vltima voluntas, qua testator hereditatem suam in aliquem vel in aliquos post mortem suam confert.
3 ¶ Diuiditur autem in institutionem propriè dictam, & substitutionem. nam heredes vel instituuntur, vel substituuntur. & instituuntur quidem primo tantùm gradu: substituuntur autem secundo, vel vlteriori gradu. Ergo institutio propriè dicta est primi heredis, vel primo gradu facta institutio, veluti, *Titius heres esto.*

XV. *De vulgari substitutione.*

1 SVbstitutio est secundi heredis, vel secundo gradu facta institutio. Secundi appellatione intelligimus etiam tertium, & omnes vlteriores gradus; quemadmodum appellatione secundarum nuptiarum significamus omnes, quæ post primas contrahuntur. ¶ Sub-
2 stitutionum species sunt, vulgaris, pupillaris, & quasi pupillaris siue Iustinianea. Vulgaris est, quæ fit in casum siue euentum, *si primus heres non erit:* veluti, *Titius heres esto, si Titius heres non erit. Mœuius heres esto.*

XVI. *De pupillari substitutione.*

PVpillaris est, quæ fit in eum casum, *si testatoris filius impubes, quem in potestate habebat, in ætate pupillari post patrem suum decesserit.* quomodo substituitur tam pupillo exheredato, quàm heredi instituto, potest etiam pupillaris cum vulgari coniungi, vt in sequenti exemplo est institutio primi gradus, & substitutio vulgaris, & substitutio pupillaris: *Titius filius meus heres esto, Si Titius filius meus heres non erit, aut heres erit, & in pupillari ætate decesserit, Seius heres esto.* Ex vulgari substitutione succeditur testatori: ex pupillari, ipsi pupillo: quia pater filio pupillo testamentum fecit, adeo vt videatur testamentum ipsius pupilli. ¶ Pupillari 2
substitutioni similis est quasi pupillaris, seu Iustinianea, quam Doctores exemplarem vocant, quia ad exemplum pupillaris à Iustiniano introducta est. C. de impuber. & aliis substitut. l. humanitatis. 9. Fit autem in eum casum, *si filius testatoris vel testatricis in furore, seu non sanæ mentis decesserit:* veluti, *Titius filius meus heres esto. Si Titius filius mens priùs morietur, quàm mentis compos factus fuerit, Sempronius heres esto.*

XVII. *Quibus modis testamenta infirmentur.*

TEstamentum secundum ea quæ ẽ. exposita sunt, rectè conditum, tribus modis infirmatur. Primò, cùm adgnatione, vel quasi adgnatione sui heredis præteriti, aut posteriori testamento rumpitur. Secundò, cùm capitis deminutione testatoris irritum fit.

XVIII. *De inofficioso testamento.*

TErtiò, cùm per querelam inofficiosi rescinditur. 1
¶ Inofficiosum testamentum dicitur, quod iure 2
quidem factum est, sed contra officium pietatis: quod sequentibus casibus accidit. I. Si suus heres sine iusta causa sit exheredatus. II. Si quis ex liberis in testatoris vel testatricis potestate non constitutus, vel ex parentibus sine iusta causa sit exheredatus, vel præteritus. III. Si fratribus aut sororibus consanguineis in hereditate prælatæ sint turpes personæ. Quapropter hæc querela datur testatoris liberis, parentibus, & fratribus. ¶ Quæ verò sint iustæ exheredandi causæ, 3
querelam inofficiosi testamenti adimentes, petendum est ex No. 115. ¶ Hucusque dictum est de testamen- 4
tis condendis, vel infirmandis: superest, vt eorum accedentia enarremus.

XIX. *De heredum qualitate, & differentia.*

PRimum testamẽtorum accidens est heredum qualitas, quæ quia triplex est, inde heredum differentiam sumimus, ac dicimus alios esse heredes suos & necessarios, alios necessarios, alios extraneos. Sui & necessarij sunt, qui sunt in testatoris potestate, ita vt nemo eos gradu præcedat: vt filius, & nepos ex filio defuncto, vel emancipato. Ac sui quidem dicuntur: quia domestici heredes sunt, & viuo quoque parente quodammodo domini existimantur, ita vt morte parentis non tam successio eis acquiri, quàm dominium continuari videatur. Necessarij verò, quia volentes nolentes succedunt ex lege xij. tabularum: quamquam iure prætorio abstinendi beneficium habent. Necessarij tantùm sunt serui, à domino suo heredes instituti, quia omnimodò, siue velint, siue nolint, heredes fieri

cogun

BIU Cujas

coguntur. Ceteri omnes sunt heredes extranei. Sui vel necessarij dicuntur se immiscere, vel abstinere: extranei adire, vel repudiare hereditatem.

XX. *De legatis.*

SEcundum testamentorum accidens est legatum: quod est donatio quædam à defuncto relicta, ab herede præstanda. §. 1. vel delibatio hereditatis, qua testator ex eo, quod vniuersum heredis foret, alicui quid collatum vult. D. de legat. j. l. legatum. 116. in princ.

XXI. *De ademptione legatorum, & translatione.*

1 LEgatum constituitur, adimitur, transfertur, minuitur. De legatis constituendis dictum est superiori titulo: de minuendis titulo sequenti: nunc agi-
2 tur de legatis adimendis, & transferendis. ¶ Est autem differentia inter ademptionem & translationem: quia si legatum simpliciter adimatur legatario, penes heredem manet. Si verò transferatur, non manet penes heredem, sed ad secundum legatarium pertinet.

XXII. *De lege Falcidia.*

MInuuntur legata per legem Falcidiam latam à D. Falcidio trib. plebis. qua cauetur, ne heres vltra dodrantem teneatur legata præstare, vt quartam hereditatis partem saluam habeat.

XXIII. *De fideicommissarijs hereditatibus.*

1 TErtium testamentorum accidens est fideicommissum, quod non relinquitur verbis directis, vt legatum, sed precariis. Vlpian. tit. de legat. in princ. *Legatum* (inquit) *est, quod legis modo, id est imperatiuè relinquitur, nam ea, quæ precatiuo modo relinquuntur, fideicommissa vocantur.* & tit. de fideicommiss. in princ. *Fideicommissum est, quod non ciuilibus verbis, sed precatiuè relinquitur: nec ex rigore iuris proficiscitur, sed ex voluntate*
2 *datur relinquentis.* ¶ Fideicommissum est vniuersale, vel particulare. Fideicommissarius vniuersalis est, cui hereditas per fideicommissum est relicta.

XXIV. *De singulis rebus per fideicommissum relictis.*

FIdeicommissarij particulares sunt, quib. singulæ res per fideicommissum sunt relictæ.

XXV. *De codicillis.*

1 QVartum testamentorum accidens sunt codicilli: idcirco vires capiunt ex testamento. D. de iu. codicill. l. 3. §. vlt. l. 5. & eius ius sequuntur. D. eod. l. ab intestato. 16. quòd si ab intestato fiant, vicem exhibent
2 testamenti. d. l. ab intestato. ¶ Ergo codicilli nihil aliud sunt, quàm testamentum quoddam imperfectum: ideóque nullam solemnitatem desiderant, sed tantùm quinque testium præsentiam requirunt. §. vlt. & C. eod. l. vlt. hereditas verò in eis nec dari, nec adi-
3 mi potest, nisi per fideicommissum. §. pen. ¶ Hactenus de testamentis, & de hereditatibus ex testamento delatis dictum est.

LIBER TERTIVS.

TIT. I. *De hereditatibus, quæ ab intestato deferuntur.*

1 SEQVITVR, vt videamus de hereditatibus, quæ ab intestato deferuntur: de quibus explicandum primò est, cui succedatur: deinde, qui, & qua ex parte succedant. ¶ Quod ad priorem quæ- 2
stionem attinet, succeditur ciui Romano, qui mortuus est intestatus. Dicitur autem aliquis decessisse intestatus, vel quia testamentum non fecit, vel quia non iure fecit, vel quia testamentum eius est infirmatum, aut nemine adeunte est destitutum. ¶ Quod ad secun- 3
dam quæstionem spectat, aliter constituuntur heredes in his Institutionum, nec non in Digestorum, & Codicis libris; aliter in Nouellis. Hîc ponuntur tres heredum ordines. In primo ex lege xij. tabularum vocantur sui heredes in stirpes: ita vt (exempli gratiâ) filio defuncto nepotes ex eo suscepti, eum repræsentent, & tantam portionem accipiant, quantam pater eorum caperet, si viueret. Qui verò sint sui heredes, dictum fuit §. tit. 19. libri secundi.

II. *De legitima adgnatorum successione.*

IN secundo ordine succedunt heredes legitimi: quales sunt. Primò proximi adgnati, qui ex verbis legis duodecim tabularum, in capita, id est, in viriles portiones succedunt. Secundò pater, qui filio emancipato superstes est. de hoc enim agitur in §. vlt. licet nulla eius mentio fiat in rubricæ. hic autem succedit ex mente & interpretatione eiusdem legis.

III. *De senatusconsulto Tertulliano.*

TErtiò mater, quæ ex senatusconsultò Tertulliano filiis succedit.

IV. *De senatusconsulto Orphitiano.*

QVartò filij, qui ex senatusconsulto Orphitiano matri succedunt.

V. *De successione cognatorum.*

IN tertio ordine succedunt proximi cognati, sed hi non sunt veri heredes: quia tantùm à prætore ad successionem vocantur: prætor autem non facit veros heredes, sed bonorum possessores. ff. de bonor. possess. vers. quos autem. Hi succedunt in capita, non in stirpes.

VI. *De gradibus cognationis.*

QVia cognati secundũ gradus prærogatiuam suc- 1
cedunt; meritò hîc explicantur cognationis gradus, eodémque modo computantur gradus adgnationis; quoniam in adgnatis quoque est eadem ratio, vt gradu propinquiores remotioribus in intestati hereditate præferantur. ¶ Cognati sunt, qui ratione san- 2
guinis sunt coniuncti, eò quod alter alterum genuit, vel ambo ab iisdem parentibus sunt geniti. Adgnati sunt cognati, qui sunt in eadem familia. Gradus est adgnatorum, vel cognatorum distantia. Generatio est causa cognationis, vel adgnationis, proinde & ipsius gradus, ac totidem gradibus duæ personæ inter se distant, quot sunt generationes interiectæ. Verbi gratiâ inter patrem & filium vnus est gradus, quia vna est generatio interposita, qua pater filium genuit. fratres autem ponuntur in secundo gradu: quia duæ reperiuntur generationes, qua ab eodem parente geniti sunt. ¶ Porrò cognatorum & adgnatorum alij vocantur ad- 3
scendentes, alij descendentes, alij transuersales, seu collaterales. Adscendentes nostri sunt, qui nos genuerunt. descendentes, qui à nobis geniti sunt transuersales seu collaterales, qui nec nos genuerunt, nec à nobis geniti, sed eundem, quem nos, parentem habent. Transuersalium alij dicuntur esse in linea æquali, qui scilicèt æquè distant à stipite, hoc est, communi parente, vt fratres, consobrini: alij in linea inæquali, nimirum quorum alter est propinquior stipiti, alter ab eo remotior, vt patruus & fratris filius: quorum ille

BIU Cujas

huic est loco parentis, & hic illi loco filij. ¶ Cognationis & adgnationis nomina sunt relata. nam cognatus ad cognatum, & adgnatus ad adgnatum refertur. Adscendentes, id est parentes, referuntur ad descendentes, id est ad liberos: vt pater est filij pater, & auus est nepotis auus. Descendentes referuntur ad adscendentes: vt filius est patris filius, & nepos est aui nepos. Transuersales in linea æquali referuntur inter se: vt frater est fratris frater, consobrinus est consobrini consobrinus, sobrinus est sobrini sobrinus. Cùm autem sunt in linea in æquali, relatio est inter superiorem, & inferiorem, vt inter patruum & fratris filium. nam patruus est filio fratris, patruus: & filius fratris est patruo filius fratris. Superiorem voco eum, qui est propinquior stipiti, vt patruum: inferiorem, eum qui est remotior, vt filium fratris. Subiiciam typos, in quib. relatio, & gradus apparebunt.

Ascendentes & descendentes.

Pater, mater.	1 *Filius, filia.*
Auus, auia.	2 *Nepos, neptis.*
Proauus, proauia.	3 *Pronepos, proneptis.*
Abauus, abauia.	4 *Abnepos, abneptis.*
Atauus, atauia.	5 *Atnepos, atneptis.*
Tritauus, tritauia.	6 *Trinepos trineptis.*

Transuersales in linea æquali.

Frater, soror.	2 *Frater, soror.*
Consobrinus, consobrina.	4 *Consobrinus, consobrina.*
Sobrinus, sobrina.	6 *Sobrinus, sobrina.*

Transuersales in linea inæquali.

Patruus, amita.	3 *Fratris filius, filia.*
Auunculus matertera.	3 *Sororis filius, filia.*
Patruus magnus, amita magna.	4 *Fratris nepos, neptis.*
Auunculus magnus, matertera magna.	4 *Sororis nepos, neptis.*
Propatruus, proamita.	5 *Fratris pronepos, proneptis.*
Proauunculus, promatertera.	5 *Sororis pronepos, proneptis*
Propius sobrino, vel sobrinâ.	5 *Consobrini filius, filia.*
Abpatruus, abamita.	6 *Fratris abnepos, abneptis.*
Abauunculus, abmatertera.	6 *Sororis abnepos, abneptis.*
Propatrui, vel pro auunculi, vel proamitæ, vel promatertera filius, filia.	6 *Consobrini nepos neptis.*

De seruili cognatione.

HAnc rubricam Latini codices habent: quæ rectiùs à Græcis abest. ¶ Seruilis cognatio hoc loco dicitur, quæ inter libertinos spectatur, seruitutis tempore contracta, vt inter patrem & filium, vel inter duos fratres manumissos. ¶ Eiusmodi cognatio non pertinet ad edictum prætoris, quo cognati ad intestati successionem vocantur, immo nullo iure olim ad succedendum proderat. Sed hodie ex Iustiniani constitutione, modò cognati, modò patronus, modo liberti vel cognati ipsius patroni liberto succedunt, vt sequenti titulo explicabitur.

VII. *De successione libertorum.*

SVperiores tituli pertinent ad ingenuorum hereditates: ex hoc autem titulo libertis succeditur. Ad quorum hereditatem primò vocantur liberi: secundò fratres & sorores: tertiò parentes: quartò patroni: quintò patronorum liberi, vel parentes, vel cognati vsque ad quintum gradum: vt colligitur non tam ex hoc tit. & ex tit. præcedenti, quàm ex l. vlt. C. de iu. patronat. edita ex Basilicis à Cuiacio. lib. 20. obseru. cap. 34.

VIII. *De assignatione libertorum.*

OMnes filij ipsius patroni æquè ad liberti hereditatem vocantur, nisi pater vni ex filiis libertum suum assignauerit: quo facto, hic solus in ius patronatus succedit. Hucusque de primo modo acquirendi per vniuersitatem, id est, de hereditate: qui modus partim est ex lege xij. tabularum, partim ex nouo iure, vt senatusconsultis, & constitutionibus. D. de hereditat. petit. l. 1. 2. & 3.

IX. *De bonorum possessionibus.*

SEcundus modus ex edicto prætoris est bonorum 1
possessio, quæ definitur ius persequẽdi retinendíq; patrimonij, siue rei, quę cuiusque, cùm moreretur, fuit. D. h. t. l. 3. §. bonorũ. Ergo bonorũ possessio est hereditas quædam prætoria: quia etsi prætor non facit veros heredes. vers. quos autem. tamen facit quasi heredes. Vnde appellatione hereditatis continetur etiam bonorum possessio. D. de verbor. signif. l. hereditatis appellatione. 138. siquidem bonorum possessores in omnibus obtinent vicem heredum. D. h. t. l. 2. & bona hîc vocantur vniuersitatis successio, qua succeditur in ius defuncti, suscipitúrque eius rei commodum, & incommodum. D. eod. l. 3. in princ. Itaque possessio hîc non significat factum, vt in tit. de acquirenda possessione, sed ius. D. de verbor. signif. l. hereditatis appellatio. 119. ¶ Bonorum possessiones ordinariæ ex testa- 2
mento sunt duæ. I. Contra tabulas, quæ datur liberis præteritis, id est, nec heredibus institutis, nec vt oportet exheredatis, aduersus testamentum patris, non matris. D. de bonor. possess. cont. tabul. l. 1. in princ. & l. 4. §. ad testamenta, datur etiam patronis aduersus testamenta libertorum, in quibus portio legitima sibi relicta non est. s. de succes. libert. §. qua de causa. & §. sed nostra. II. Secundum tabulas, quæ à prætore datur scriptis heredibus, & ex constitutionibus principum accommodatur heredibus nuncupatis, túncque vocatur bonorum possessio secundum nuncupationem. C. de bonor. possess. secund. tabul. l. 2. ¶ Ordinariæ ab 3
intestato sunt quatuor. I. Vnde liberi, qua liberi parentibus succedunt. II. Vnde legitimi, ad quam vocantur legitimi heredes, vt adgnati, patroni, parentes. III. Vnde cognati, quæ defertur proximis cognatis. IV. Vnde vir, & vxor: qua coniux superstes succedit coniugi defuncto vel defunctæ. §. sed eos. ¶ Extra- 4
ordinaria vna est. Vt ex legibus, quam prætor iis se daturum pollicetur, quibus lege, vel senatusconsulto, vel constitutione principis defertur siue ex testamento, siue ab intestato. §. septima.

X. *De acquisitione per arrogationem.*

TErtius modus est arrogatio. nam bona arroganti acquiruntur arrogatori. hæc acquisitio moribus est recepta, & ex Iustiniani constitutione limitata est vsufructu tenus.

XI. *De eo cui libertatis causa bona addicuntur.*

QVartus modus ex constitutione Diui Marci est addictio bonorum libertatis conseruandæ causâ. Nam si quis libertates in testamento suo reliquerit, & nemine eius hereditatem adire volente, in ea causa bona esse cœperint vt venire debeant: potest aliquis petere ea bona sibi libertatum tuendarum gratiâ addici, ita vt de solido creditoribus hereditariis soluendo caueat.

XII. De

BIU Cujas

XII. *De successionibus sublatis, quæ fiebant per bonorum venditiones & ex senatusconsulto Claudiano.*

ERat olim & quintus modus ex lege xij. tabularum, qui vocabatur bonorum emptio. nam bona eius qui non erat soluendo, hastæ subiiciebantur, & solemniter per magistrum vendebantur. & sextus ex senatusconsulto Claudiano, quo mulier, quæ post ternam domini prohibitionem seruo alieno iungebatur; illius domini serua fiebat, & ad eum omnia sua bona transferebat. Hos duos modos Imperator Iustinianus sustulit.

XIII. *De obligationibus.*

1 MEmoria breuiter repetendum est, quod notaui ad titulum de rerum diuisione, tractatum de rebus in Institutionibus esse bipertitum: In prima parte agi de dominio, in secunda de obligatione; quia hinc oriuntur duo actionum posteriùs explicãdarum genera: Rei vindicatio, qua res nostras petimus: & actio in personã, quæ est de rebus nobis debitis. Postquàm igitur de rerum dominio & variis earum acquirendarum modis ab initio libri secundi ad hũc vsque
2 locum, dictum fuit: consequenter agitur de obligationibus. ¶ Obligatio duplex est, naturalis, & ciuilis: sed hîc de ciuili tantùm agitur, quia hæc sola propriè dicitur obligatio. D. de fideiussor. l. fideiussor. 16.
3 §. naturales. ¶ Sic autem definitur, Iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendæ se-
4 cundum nostræ ciuitatis iura. ¶ Diuiditur I. In ciuilem, & prætoriam. Ciuilis dicitur, quæ vel iure ciuili est introducta, vt ex stipulatione; vel iure gentium introducta, iure ciuili comprobata, vt ex empto vendito, locato conducto. Prætoria est, quæ iure prætorio est introducta, vt constitutæ pecuniæ. Diuiditur II. In quatuor genera: quia vel est ex contractu, vel ex quasi contractu, vel ex maleficio, vel ex quasi maleficio: de quibus quatuor obligationum causis
5 deinceps dicendum est. ¶ Contractus est conuentio vim habens producendæ obligationis (subaudi ciuilis)
6 & actionis. ¶ Contrahimus autem quatuor modis, re, verbis, literis, consensu. Quamuis enim omnes contractus consensum requirant. D. de pact. l. 1. §. conuentionis. tamen quidam præter consensum, etiam rei traditionem, vel verba, vel scripturam desiderant, vt in sequentibus titulis explanabitur.

XIV. *Quibus modis re contrahitur obligatio.*

1 RE contrahi obligatio dicitur, non cùm de re tradenda conuenit, sed cùm rei traditione obligatio contrahitur: cuiusmodi contractus quatuor sunt,
2 mutuum, commodatum, depositum, pignus. ¶ Mutuum est contractus, quo res numero, pondere, vel mensurâ constans, datur hac lege, vt accipientis fiat,
3 & statuto tempore tantumdem reddatur. ¶ Commodatum est contractus, quo res gratis vtenda tradi-
4 tur, vt vsu finito eadem species restituatur. ¶ Depositum est contractus, quo res gratis custodienda & re-
5 stituenda traditur. ¶ Pignus est contractus, quo res creditori obligata traditur, vt ei pro alia obligatione
6 cautum sit, eáq; obligatione solutâ restituatur. ¶ Regulariter mutuum & commodatum accipientis gratiâ contrahuntur: depositum in gratiam tradentis: pignus in gratiam vtriusque contrahitur. Hactenus de primo contrahendi modo, id est, per rei traditionem.

XV. *De verborum obligationibus.*

SEcundus contrahendi modus est verbis. Olim 1
verborum obligatio tribus ex causis nascebatur. I. Ex stipulatione, de qua sola Imperator hoc loco agit. II. Ex dictione dotis, quæ hodie nulla est; quia hodie, si stipulatio sit omissa, iure ipso suppletur. ex l. vn. C. de rei vxor. actio. III. Ex iureiurando liberti iurantis se munus, donum, operas, patrono præstaturum. Gaius lib. 2. tit. 9. ¶ Stipulatio est contra- 2
ctus, qui verbis, id est præcedente interrogatione, & sequente congrua responsione perficitur. in princip. ¶ Stipulationis diuisiones plures sunt. Prima diuisio 3
est, quòd omnis stipulatio, vel est certa, id est rei certæ, veluti, *decem dabis?* vel incerta, id est, rei incertæ, veluti, *Dabis quod mea interest?* Ex hac nascitur actio ex stipulatu, ex illa certi condictio. in prin. ¶ Secunda 4
diuisio est, quòd vel est rei dandæ, vel facti, vel vtriusque. in prin. & §. vlt. ¶ Tertia diuisio est, quòd vel fit 5
vna lingua, vt Latina, aut Græca: vel diuersis linguis. §. in hac re. ¶ Quarta diuisio est, quòd aut est stipu- 6
latio pura, aut in diem, aut conditionalis. §. omnis.

XVI. *De duobus reis stipulandi.*

QVinta diuisio est, quòd stipulatio contrahitur 1
vel per vnum reum; vel per duos reos. ¶ Sunt 2
autem duo rei vel stipulandi vel promittendi: quoniam in hoc contractu alter stipulatur, nimirum qui interrogatur & obligationem acquirit; alter promittit, nempe qui interroganti respondet, atque ei obligatur. Duo rei stipulandi sunt, quibus singulis ex eadem stipulatione eadem res debetur. Dico rei promittendi sunt, qui singuli ex eadem stipulatione eandem rem debent. ¶ Nota I. Reum dici à re, vt Ci- 3
ceroni placet. 2. de Oratore. quapropter in præsentia reus dicitur, qui contrahit, siue alium sibi obliget, siue ipse alteri obligetur. Nota II. Appellatione duorum significari etiam tres, vel plures: sicut appellatione secundarũ nuptiarum significantur omnes post primas cõtractæ: & appellatione secundi gradus continentur omnes substituti; non solum secundo, sed etiã tertio, quarto, vel vlteriori gradu. Nota III. Duos reos fieri non solùm per stipulationem, sed etiam per quemcumque alium contractum, veluti si duo simul deponant, vel apud duos simul deponatur. D. h. tit. l. eandem. 9. in princ. Ergo generaliter rei credendi sunt, quibus singulis solidum ex eo contractu debetur: & duo rei debendi, qui singuli solidum ex eodem contractu debent. Nota IV. Quod ad effectum attinet, semel tantùm solui: quia bona fides non patitur idem sæpius exigi. D. de diuers. reg. iur. l. bona fides. 57. Quare si vnus soluat, omnes liberantur, &, si vni soluatur, omnium obligatio perimitur. §. ex huiusmodi.

XVII. *De stipulatione seruorum.*

SExta diuisio est, quòd stipulatio fit vel ab homine libero, vel à seruo. nam & serui stipulandi ius habent ex persona domini, cui acquirunt: non ex sua persona; quia stipulatio est contractus iuris ciuilis. ĩ. de action. §. de constit. glo. in §. sed ius quidem. vers. & ex hoc iure. ĩ. de iu. natur. & in l. 5. D. de iust. & iu. serui autem iure ciuili pro nullis habentur. D. de diuers. reg. iur. l. quod attinet. 32. ac seruitus penè morti comparatur. D. eod. l. seruitutem. 209.

XVIII. *De diuisione stipulationum.*

SEptima stipulationis diuisio est quadripertita, aut enim est stipulatio iudicialis, aut prætoria, aut communis, aut conuentionalis. Stipulatio iudicialis est, quæ à mero iudicis officio proficiscitur, id est, quæ io-

BIU Cujas

lius iudicis iussu interponitur. Prætoria est quæ à mero prætoris officio proficiscitur, id est, quæ tantùm iussu prætoris fit. Communis est, quam & prætor & iudex fieri iubent. Conuentionalis est, quæ nec prætore, nec iudice iubente, ex libera contrahentium conuentione contrahitur.

XIX. *De inutilibus stipulationibus.*

OCtaua diuisio est, quòd aut stipulatio est vtilis, quæ iure valet; aut inutilis, quæ caret iuris effectu.

XX. *De fideiussoribus.*

1 NOna diuisio est, quòd vel est stipulatio principalis, vel accessoria, vt fideiussoris. D. de solut. l. si
2 duo rei. 93. §. sed etsi reus. ¶ Intercedere dicitur, qui
3 pro alio obligatur. ¶ Sunt autè interceſſionum varia genera, vt fideiussio, expromissio, constitutum, mandatum fideiussor & expromissor per stipulationem obligantur: constitutæ pecuniæ reus obligatur ex nudo pacto. ff. h. t. §. vlt. & ff. de act. §. de constituta. & D. de constit. pecun. l. 1. in prin. & §. eum qui. mandator obligatur ex consensu, id est, mandato. ff. de oblig. quæ ex consen. §. 1. Fideiussio & præcedere & sequi potest obligationem principalem. §. fideiussor & præcedere. constitutum semper eam sequitur. D. de constit. pecun. l. 1. §. 1. l. 5. §. quod exigimus, mandatum semper præcedit. D. manda. l. si verò non remunerandi. 12. §. si post creditam. Fideiussor, constitutæ pecuniæ reus, & mandator alterius obligationi accedunt: expromissor obligatur solus, quia vel suscipit obligationem pro alio, ne ille obligetur, vel alterius obligationem per nouationem in se transfert, ita vt eum liberet. D. de dolo. l. 7. §. seruus pactionis. & de condict. cau. da. l. 4. & de senatuscons. Macedon. l. vlt. & ad senatuscons. Velleian. l. si mulieri. 22. & de contrah. empt. l. vt res. 53. & de re iudic. l. 4. §. ait prætor. Ergo fideiussor est, qui interceſſionis causâ pro alio ex quauis causa obligato, citra nouationem, per stipulationem obligatur, qui quidem etiam adpromissor appellatur. D. solu. matrim. l. si verò. 64. §. sed etsi reum. & de verbor. oblig. l. 5. §. satis acceptio. & de solut. l. in omnibus. 43. Hucusque de verborum obligationibus.

XXI. *De literarum obligationibus.*

TErtius contrahendi modus est literis seu scripturâ. nam qui spe pecuniæ accipiendæ chirographum dedit, nisi intra biennium de non numerata pecunia conqueratur, post biennium efficaciter & sine exceptione obligatur, non quidem ex numeratione quæ nulla fuit, sed ex dicta scriptura.

XXII. *De obligationibus ex consensu.*

QVartus & vltimus contrahendi modus est solo consensu, quia nec rei traditione, nec verbis, nec scripturâ est opus. Ita contrahuntur, emptio & venditio, locatio & conductio, societas, mandatum, de quibus deinceps dicendum est.

XXIII. *De emptione & venditione.*

1 EMptio & venditio est contractus solo consensu initus, quo emptor obligatur ad pretium dandum, venditor autem ad rem tradendam, ita vt emptori eam habere liceat. ff. tit. prox. & h. t. in princ. & D. de act. emp. l. ex empto. 11. §. & in primis ipsam. l.
2 seruus quem. 30. §. 1. ¶ Nota vnum esse contractum, qui duplici vocabulo significatur. nam quia inter emptorem & venditorem contrahitur, emptio & vendi-
3 tio nominatur. ¶ Emptor est, qui pretium soluere & rem accipere debet. Venditor est, qui rem tradere debet, ac pretium accipere.

XXIV. *De locatione & conductione.*

SImiliter locatio & conductio est vnus contractus, 1
qui solo consensu perficitur, nempe quo aliquid fruendum vel faciendum datur certa mercede. ¶ Qui 2
fruendum vel faciendum dat, locator: qui verò accipit, conductor appellatur. Cùm quid fruendum datur, vt ædes, aut fundus; locator mercedem accipit à conductore. cùm autem aliquid faciendum locatur, vt anulus, aut ædificium, aut merces vehendæ, conductor mercedem accipit à locatore. Inquilinus est conductor ædium. Colonus est conductor fundi. Redemptor est, qui opus faciendum conduxit. ¶ Locationis 3
vocabulum latè sumptum complectitur etiam emphyteusim; etsi propriè loquendo, emphyteusis ex constitutione Zenonis est species contractus, non minùs à locatione & conductione, quàm ab emptione & venditione seiuncta. Definiri autem potest, contractus consensu celebratus, quo id agitur, vt dominus prædij, dominio directo retento, vtile dominium in emphyteutam transferat, hac lege vt certa pensio sibi ab eo quotannis præstetur.

XXV. *De societate.*

SEquentes duo contractus habent singuli nomen vnum. Societas est contractus solo consensu celebratus, quo inter contrahentes communio aliqua constituitur. ¶ Et vel est perpetua, id est, donec contrahentes viuent: vel temporalis. Rursus vel est vniuersalis omnium bonorum, vel specialis, id est, alicuius negotiationis, vel rei. h. t. in princ. & D. pro socio. l. 1. & l. 5. in princ.

XXVI. *De mandato.*

MAndatum est contractus nudo consensu perfe- 1
ctus quo quis negotium alienum gratis gerendum suscipit. ¶ Eum, qui mandat, mandatorem vocamus: Eum verò, qui mandatum suscipit, procura- 2
torem, vel mandatarium appellamus. Absoluta est contractuum expositio.

XXVII. *De obligationibus quæ quasi ex contractu nascuntur.*

SEquuntur quasi contractus. Vt intelligatur, quid sit 1
quasi contractus; notandum est, duas esse partes cuiuscumque veri contractus. Altera est conuentio seu consensus contrahentium, quæ est facti, & ob hãc contractus dicũtur esse facti. D. de curat. furi. l. 7. Altera est vis pariendæ ciuilis obligationis & actionis, ei conuentioni à iure tributa, quæ vocatur causa. D. de pact. l. 7. §. sed etsi in alium. & hac ratione dicitur in contractu ius versari. D. eod. l. si vnus. 27. §. pactus ne peteret. Harum partium si alterutra absit, non est verus contractus, sed si fit conuentio sine causa, dicitur pactum nudum: si verò sit causa sine mutuo consensu, quasi contractus appellatur. ¶ Huius speciei quatuor 2
hoc titulo declarantur. I. Negotiorum geritio, cùm quis alterius absentis & ignorantis, vel defuncti negotia gerit. II. Tutelæ administratio. Eadémque ratio est curationis administrate. III. Rei communio sine societate: siue sit particularis, vt inter collegatarios: siue vniuersalis, vt inter coheredes. IV. Aditio hereditatis, ex qua heres legatariis & fideicommissariis obligatur. V. Indebiti solutio.

XXVIII.

BIU Cujas

XXVIII. *Per quas personas nobis obligatio acquiritur.*

QVemadmodum libro secundo non solùm exposuit Imperator modos acquirendi dominij, sed etiam per quas personas acquiritur: ita etiam hîc, postquam docuit, quibus modis obligatio contrahatur, consequenter docet, per quas personas obligatio acquiritur. Ex his titulis apparet, per easdem personas acquiri obligationem, per quas acquiritur dominium.

XXIX. *Quibus modis tollitur obligatio.*

1 HVcusque dictum est de obligatione constituenda: nunc dicendum est de ea dissoluenda. Dissolui intellige, cùm ipso iure tollitur, non cùm actio ope
2 exceptionis summouetur. ¶ Tollitur autem quatuor modis. I. Solutione eius quod debetur: vt si aliud pro alio volenti creditori soluatur. II. Acceptilatione, quæ est imaginaria seu ficta solutio, cùm creditor liberandi debitoris causâ, ei roganti respondet se accepisse, quod reuera non accepit. III. Nouatione, quæ est obligationis veteris in nouam transfusio. IV. Nudo consensu, cùm inter contrahentes conuenit, vt obligatio irrita fiat. Primus modus est cõmunis omnibus obligationibus. Secundus est proprius obligationis verbis contractæ. Tertius veterem obligationem tollit, nouam constituit. Quartus est proprius obligationũ quæ intra terminos nudi consensus consistunt, veluti per emptionem & venditionem contractæ; cùm neque res tradita est emptori, neque pretium solutum est venditori.

LIBER QVARTVS.

TITVLVS I.

De obligationibus, quæ ex delicto nascuntur.

1 AB obligationibus ex contractu & quasi
2 contractu, transit ad obligationes ex delicto. ¶ Delictum est contra leges admissum, ex quo priuata actio oritur, hinc distinguitur à crimine publico, & à populari, quorum persecutio datur cuiuis è populo: & à delicto extraordinario, quod extra ordinem puni-
3 tur. ¶ Priuatorum delictorum quatuor sunt genera. Primum est furtum, quod definitur contrectatio rei fraudulosa, ipsius rei, vel vsus, possessionis ve lucrandæ causa. §.1. Exempli gratiâ, qui rem alienam surripit, vult eam lucrari. Depositarius autem vtens re deposita, ideo dicitur furtum facere, licèt rem domino restituere velit, quia eius vsum lucratur. At debitor rem pigneratam creditori surripiens, vult possessionem lucrari, quæ ad creditorem pertinet.

II. *De vi bonorum raptorum.*

1 SEcundum priuatũ delictum est rapina, id est, ablatio violenta rei corporalis mobilis. Hinc distinguitur. I. Ab ea vi, qua quis alterum cogit sibi rem tradere: vnde tenetur actione quod metus causa. II. A raptu, quod est personæ, non rei, & est crimen publicum, vt C. de rap. virgin. III. Ab inuasione rei im-
2 mobilis. §.1. in fi. ¶. In eum qui rem alienam rapuit, datur actio prætoria quæ vocatur vi bonorum raptorum, & cum ea concurrit actio furti: quia rapina est furtum quoddam improbius, siue (vt hodie pragmatici loquuntur) qualificatum.

III. *De lege Aquilia.*

TErtium delictum priuatum est damnum quo res 1
aliena deterioratur, vel perimitur. De hoc per iniuriam siue dolo siue culpâ dato, cauetur lege Aquilia lata ab Aquilio tribuno plebis. D. h.t.l.1. ¶. Ex tribus 2
capitibus huius legis, duo sunt in vsu. Primum de homine, vel quadrupede, quæ pecudum numero sit, id est, quæ gregatim pascatur, interemptis. Alterum de quouis alio damno dato. Priori capite res contra reum æstimatur, quanti plurimi fuit eo anno retrorsus computato. Posteriori capite, quanti fuit eo mense. Vtrumque caput est de damno, quod quis suo corpore in corpus dedit, si verò occasionem damni quis dederit, puta pecus incluserit, adeo vt fame perierit: cvtra eum non directa, sed vtilis actio ex hac lege competit. At si corpus læsum non sit, sed aliter damnũ sit datum, veluti si quis alienum seruum vinctum, misericordia ductus soluerit, & is fugerit, in factum prætoria actio datur. §. vltim.

IV. *De iniuriis.*

QVartum priuatum delictũ est iniuria, id est, contumelia, quæ quidem est multiplex. I. Aut fit re vt verberatio, aut verbis, vt conuitium, aut scriptura, vt famosus libellus. §. 1. & D. eod. l. 1. §. 1. II. Aut infertur in corpus, vt cùm aliquis pulsatur: aut pertinet ad dignitatem minuendam, vt cùm comes matronæ abducitur aut ad infamiam importandam, vt cùm alicuius pudicitia attentatur. d.l.1. §. omnémq; III. Aut est leuis, aut atrox. §. serui autem. Atrox iniuria æstimatur vel ex facto, vt si quis sit vulneratus; vel ex loco: veluti si quis iniuriam, in foro, aut in theatro fit passus, vel ex persona, veluti si Senator à plebeio sit iniuria affectus, Locus quoque vulneris iniuriam auget, atrociorem enim iniuriam infert vulnus in oculo, quàm in alia parte corporis inflictum. §. atrox.

V. *De obligationibus quæ quasi ex delicto nascuntur.*

DElicta committuntur dolo malo: quasi delicta 1
per culpam admittuntur. Idcirco damnum datum, quod lege Aquilia punitur, modò est delictum, modò quasi delictum: quia lex Aquilia tam dolum, quàm culpam coërcet. ẽ. de leg. Aquil. §. ac ne is quidem. & §. illud. ¶ Quasi delictorum genera quatuor 2
hoc titulo considerantur. I. Si iudex litem suam fecerit, hoc est, per imperitiam malè iudicauerit. II. Si ex alicuius cœnaculo aliquid solidum sit deiectum, vt lapis; aut liquidum sit effusum, vt ius, quod alicui nocuerit. III. Si quis ea parte, quâ vulgò iter fieri solet, id positum aut suspensum habeat, quod potest, si cadat, alicui nocere. IV. Si ex furto vel damno in naui aut stabulo aut caupona dato, exercitor conueniatur, id est, is, ad quem quotidianum lucrum pertinet, quamuis ipse damnum seu furtum non fecerit. Absolutus est tractatus tam de rerum dominio, quàm de earum obligatione.

VI. *De actionibus.*

EXpositis duobus iuris obiectis, personis & rebus, 1
supersunt actiones explicandæ. Actionis vocabulum latè sumptum complectitur actionem propriè dictam, exceptionem, & interdictum: quæ tria deinceps enarrabuntur. ¶ Actio propriè dicta est ius perse- 2
quendi in iudicio, quod sibi debetur. In hac defini-

BIU Cujas

tione verbum debendi latè accipitur, vt sub ea contineatur etiam rei vindicatio, qua quis rem suam petit.
3 ¶ Actionis septem diuisiones hoc titulo proponuntur. I. Aut est actio realis, aut personalis, aut mixta. Reali petimus id quod nostrum est: personali id quod nobis debetur: mixtâ vtrumque. Debendi verbum hîc angustiùs accipio, quàm suprà in definitione actionis. II. Aut est actio ciuilis, quæ iure ciuili introducta est: aut prætoria, quæ ex iurisdictione prætoris originem ducit. III. Aut est rei persecutoria, aut pœnalis aut mixta. rei persecutoria rem nostram vel nobis debitam: pœnali pœnam: mixta vtrumque persequimur. IV. Aut est in simplum, aut in duplum, aut in triplum, aut in quadruplum. V. Aut est bonæ fidei, ex quâ datur iudici potestas iudicandi ex bono & æquo: aut stricti iuris, ex qua potestas iudicis adstricta est ad iuris dispositionem: aut arbitraria, quæ suapte natura est stricti iuris, sed ex accidenti fit bonæ fidei, veluti quia alius est locus solutioni destinatus, & alio loco agitur. VI. Aut precisè petit quod debetur, aut plus, aut minus, aut aliud. VII. Vel est solidi persecutoria: vel habet aliquam limitationem, vt de peculio, vel in quantum reus facere potest. Aliæ duæ diuisiones addentur ff. tit. 12.

VII. *Quod cum eo qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur.*

1 DEinceps exponenda sunt quædam actionum accidentia. Primum accidens est qualitas, quæ actioni adiicitur ex eo quòd reus non conuenitur ex sua persona, sed filij vel serui, vel quadrupedis nomine, vnde vocatur actio de peculio, vel quod iussu, vel
2 noxalis, &c. ¶ Harum actionũ duo sunt genera: nam aliæ sunt ex contractu, aliæ ex noxa. Ex contractu sunt I. Quod iussu, qua conuenitur pater vel dominus ex contractu filij vel serui, cui iussit vt contraheret. II. Actio exercitoria, quæ datur in exercitorem ex contractu magistri nauis, si modò eius rei gratiâ, cui præpositus erat, contraxerit. Exercitor nauis est, ad quem quotidianus quæstus ex naui pertinet. Magister nauis est, cui totius nauis cura incumbit. III. Institoria, quæ ex contractu institoris in eum redditur, qui institorem tabernæ vel cuiuis negotiationi præposuit, dummodò eius rei gratiâ contraxerit, cui præpositus est. IV. Tributoria, quæ ex contractu filijfamilias aut serui datur in patrem vel dominum qui non rectè & pro rata peculium filij vel serui distribuit, sed totum, vel plus quàm proportio requirat, sibi retinuit. V. De peculio, quæ patrem vel dominum ex contractu filij vel serui condemnat, quatenus est in peculio. VI. De in rem verso, qua ex contractu filijfamiliâs vel serui pater vel dominus condẽnatur, quatenus in rem suam versum est. Hęc actio est pars actionis de peculio, si de peculio actio cõpetat: vel est actio separata & per se, si actio de peculio sit finita: Nam hæc certis casibus est annalis. D. quan. act. de pecul. an. est. l. 1. actio verò de in rem verso semper est perpetua. D. de in rem ver. l. 1. §. 1. Dictum est de actionibus ex contractu, quæ sunt omnes prætoriæ; consequenter dicendum de actionibus ex noxa.

VIII. *De noxalib. actionibus.*

1 ACtio noxalis est, quæ ex noxa, id est, damno à seruo aut à quadrupede dato, in dominum eius redditur: cuius actionis effectus est, vt dominus seruum aut quadrupedem, quæ nocuit, noxæ dedendo,
2 liberetur. ¶ Actiones noxales, quæ serui nomine competunt, partim sunt ciuiles, vt furti non manifesti ex lege xij. tabularum, & damni ex lege Aquilia: partim prætoriæ, vt iniuriarum, & vi bonorum raptorum.

IX. *Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.*

ACtio autem noxalis, quæ ob damnum à quadrupede datum competit, est ciuilis ex lege xij. tabularum. Hoc damnum appellatur pauperies. itaque pauperies definitur damnum sine iniuria facientis datum: quia brutum animal, quod intellectu caret non potest videri iniuriam facere.

X. *De his per quos agere possumus.*

SEcundum actionum accidens est, quòd interdum per alios intentantur, vt per tutorem, curatorem, procuratorem, agimus enim aut nostro, aut alieno, aut tutorio, curatorio, procuratorio, nomine. Tutorem & curatorẽ lib. 1. definiuimus. Procurator est, qui aliena negotia mandato domini administrat. D. de procurat. l. 1.

XI. *De satisdationibus.*

TErtium accidens est satisdatio, vel, si placet vni- 1
uersaliùs loqui, cautio, ex parte actoris aut rei præstanda. ¶ Cautio est, quæ securitatis causâ inter- 2
ponitur quo magis res in tuto sit. ¶ Cautionis alia di- 3
uisio sumitur à forma, alia à materia. Diuisio à forma est: quòd vel est repromissio seu nuda cautio, vel iuratoria cautio, vel satisdatio. Repromissio secunda cautio est, quæ fit per simplicem stipulationem, nec iureiurando nec fideiussoribus nec pignoribus confirmatam. Iuratoria cautio est, quæ iureiurando confirmatur. Satisdatio est, quæ fit datis fideiussoribus, aut pignoribus, sed satisdationes prætoriæ requirunt fideiussores, vt notaui ad tit. de satisdat. tut. atque ita in hoc titulo, cùm loquimur, de satisdatione, intelligimus eam, quæ datis fideiussoribus fit. Repromittunt clerici certis casibus. C. de episc. & cleric. l. cùm clericis. 25. §. 1. l. omnes. 35. §. in hæc autem, & respublica. D. vt leg. nom. cau. l. 6. §. 1. Iuratò promittunt, qui res immobiles possident. D. qui satisd. cog. l. pen. & C. de princ. agent. in rebus. l. multi. 8. & viri illustres. C. de dignit. l. vlt. & memoriales, qui in sacris scriniis militant. C. de prox. sacr. scrin. l. in sacris. 12. & qui fideiussores inuenire non possunt. Nou. 112. cap. 2. Ceteri satisdant. D. qui satisd. cog. l. si filiusfamiliâs. 14. datis (vt dixi) fideiussoribus. ¶ Quod ad diuisionem à materia 4
sumptam attinet, tot sunt satisdationum & cautionum genera, quot sunt res, de quibus cauetur. Sed in præsentia tres satisdationes considerantur. I. Se in iudicio permãsurum, vsque ad sententiam definitiuam. hanc cautionem reus præstat, qui suo nomine conuenitur. II. Rem ratam dominum habiturum, hanc præstant ij, qui nomine alieno agunt, si de mandato dubitetur. III. Iudicatum solui. hanc præstat, qui nomine alieno conuenitur. Si ita reus pro suo procuratore fideiubeat, alius insuper debet pro ipso reo fideiubere, id est, promittere dominum litis in iudicium tempore sententiæ ferendæ venturum, aut, si is non venerit, se iudicatis satisfacturum. Hæc satisdatio iudicatum solui tres habet clausulas: Primam de re iudicata, id est, si condemnatio sequetur, id solutum iri, quod in condemnationem deducetur. Alteram de re defendenda. Tertiam de dolo malo, id est, dolum malum abesse, abfuturúmque esse. D. iudic. sol. l. 6.

XII.

BIU Cujas

XII. *De perpetuis & temporalibus actionibus, & quæ ad heredes & in heredes transeunt.*

1 QVartum accidens est duratio. Hoc loco sciendum est, alias esse actiones perpetuas, alias certo tempore finiri. vt actio de dolo, terminatur biennio: actio quanto minoris, anno: redhibitoria sex mensibus, perpetuas vocamus, quæ olim durabant in perpetuum: sed hodie longissimi temporis, id est, 30 vel 40. annorum præscriptione summouentur: vt certi condictio, actio ex stipulatu, & aliæ quàm plurimæ.
2 ¶ Rursus aliæ actiones dantur heredibus & contra heredes, vt actiones ex contractibus: aliæ finiuntur morte rei, vt actiones pœnales: (quia delicta morte delinquentium extinguuntur. ff. de susp. tutor. §. sed si suspecti. & D. de calumniat. l. 5. & de publ. iudic. l. 6. & pœna ad heredes non transit. D. quod met. cau. l. quod diximus. 16. & de pœn. l. si pœna. 20.) aliæ finiuntur tam morte eius cui competunt, quàm eius contra quem dantur, vt actio iniuriarum. D. de iniur. l. iniuriarum. 13. in princ. & l. item apud. 15. §. iniuriarum.

XIII. *De exceptionibus.*

1 HVcusque de actionibus propriè dictis: consequens est, vt videamus de exceptionibus, quæ actionibus opponuntur. sicut enim actor mouet actionem contra reum, ita reus actori exceptionem quasi clipeum obiicit. Quocirca dicitur in exceptione
2 fungi partibus actoris. D. h. t. l. 1. ¶ Exceptio est actio-
3 nis exclusio. D. eod. l. 2. ¶ Exceptionum diuisiones plures sunt. I. Aliæ sunt ciuiles, aliæ prætoriæ. ciuiles ex legibus, vel ex iis partibus iuris, quæ vim legum habent, vt constitutionibus & senatusconsultis, substantiam capiunt: vt exceptio senatusconsulti Macedoniani, & Velleiani, prætoriæ sunt, quæ à prætoris iurisdictione ortum ducunt, vt pacti, vel doli. §. quarum. II. Vel sunt perpetuæ seu peremptoriæ, quæ in perpetuum actionem perimunt, vt exceptio doli, aut metus: vel temporales seu dilatoriæ, quæ ad tempus exactionem debiti differunt, vt exceptio pacti ne intra certum tempus petatur. §. appellantur. & §§. seqq. & D. eod. l. 2. Dilatoriæ exceptionis species sunt procuratoria & fori præscriptio: quarum illa procuratorem summouet, hæc verò iudicem declarat. III. Tot sunt exceptionum genera, quot sunt causæ, ex quibus oriuntur, vt metus, doli, pacti, non numeratæ pecuniæ, iurisiurandi, rei iudicatæ, &c. IV. Exceptio generalis diuiditur in exceptionem specialem, replicationem, duplicationem, triplicationem, quadruplicationem &c.

XIV. *De replicationibus.*

1 VT enim actor contra reum mouet actionem, ita reus contra actorem excipit: deinde actor exceptioni opponit replicationem: reus replicationi duplicationem: actor duplicationi triplicationem: reus triplicationi quadruplicationem: atque ita etiam vlte-
2 riùs interdum progrediuntur. ¶ Specialis exceptio subdiuiditur: quia vel rei cohæret, vt exceptio doli: vel personæ, vt exceptio cessionis bonorum illa etiam fideiussori prodest: hæc autem debitoris principalis personam non egreditur. §. vlt. & D. eod. l. 7.

XV. *De Interdictis.*

1 POstquàm dictum est de actionibus, & de exceptio-
2 nibus: superest, vt dicamus de interdictis. ¶ Interdictum definitur conceptio verborum, quibus prætor aliquid fieri iubet, aut prohibet. ¶ Eius diuisiones 3
hoc tit. tres exponuntur. I. Vel sunt prohibitoria, quibus prætor prohibet aliquid fieri, putà vim fieri possidenti: vel restitutoria, quibus iubet aliquid restitui, veluti possessionem ei qui de possessione vi deiectus est: vel exhibitoria, quibus iubet aliquid exhiberi, veluti tabulas testamenti. II. Vel sunt adipiscendæ possessionis, quam nondum habuimus: vel recuperandæ, quam amisimus: vel retinendæ, quam habemus. III. Aut sunt simplicia, in quibus distinctæ personæ sunt actor & reus, vt cùm aliquis exhiberi, aut restitui postulat: aut sunt duplicia, in quibus vterque litigantium est actor, vterque reus, vt accidit in interdicto vti possidetis. ¶ Hæ sunt generales inter- 4
dictorum diuisiones: species autem specialissimæ multæ sunt, veluti de mortuo inferendo, ne quid in loco publico vel sacro fiat, quorum bonorum, quod legatorum, de homine libero exhibendo, de liberis exhibendis, de libertis exhibendis, Saluianum, vti possidetis, vtrubi, vnde vi: quæ partim hoc titulo explicantur, à nobis autem ad librum. 43. Pandectarum commodiùs enarrabuntur.

XVI. *De pœna temerè litigantium.*

EXposita sunt tria iuris obiecta, personæ res, & 1
actiones. quoniam igitur ex his tribus iudicia constant, superest vt de iudiciis dicamus. Iudicia partim sunt publica, partim priuata. In priuatis spectatur officium vtriusque litigantis officium actoris, & officium iudicis. ¶ Officium vtriusque litigantis est, ne temere 2
ad litigandum prosiliat. &, ne id faciat, partim pœnâ pecuniariâ, partim iureiurando calumniæ, partim infamiæ notâ coërcetur. ¶ Officium actoris est, vt in pri- 3
mis reum in ius vocet: qua in parte cauere debet, ne parentem vel patronum, vel patronam, vel parentes liberósve patroni seu patronæ sine permissu prætoris in ius vocet, alioqui vel quinquaginta aureis multabitur, vel, si tantum non habeat in ære, luet in corpore. D. de in ius vocan. l. pe. & vlt. Hæc omnia officia declarantur hoc titulo, licèt minus rubrica polliceatur.

XVII. *De officio iudicis.*

OFficium autem iudicis duplex est: quorum alterum actioni deseruit, & sine ea non consistit, veluti cùm vsuræ ex mora debentur in iudicio bonæfidei D. loca. l. quæro. 54. in pr. alterum per se consistit, vt cùm iudex nemine accusante inquirit ex officio in homines facinorosos. D. de offic. præsid. l. 3. Doctores hoc appellant officium nobile: illud autem, officium mercenarium. de quo solo in hoc tit. tractatur.

XVIII. *De publicis iudicijs.*

POstquàm dictum est de iudiciis priuatis, vltimo 1
loco agitur de iudiciis publicis. ¶ Iudicia publica 2
sunt, quæ certis legibus sunt constituta de criminibus, quorum persecutio cuiuis è populo competit. Quod autem est in iudiciis priuatis actio, id in publicis est accusatio. ¶ Publica iudicia diuiduntur in capitalia, 3
& non capitalia. Capitalia dicuntur, quæ capitis pœnam irrogant, id est, quorum pœna caput eximit de ciuitate Romana: quod quidem fit morte naturali, vel ciuili. Ciuilis autem mors est maxima, vel media capitis deminutio. Non capitalia sunt, quæ infamiam irrogant cum damno pecuniario, vel capitali coërcitione. §. publicorum. & D. eod. l. 2. Secundum hæc, accusatio quoque diuiditur in capitalem, & non capitalem. ¶ Publicorum criminum & accusationum spe- 4
cies sunt. I. Legis Iuliæ maiestatis, aduersus eos qui

BIU Cujas

cõtra principem vel rempublicam aliquid moliti sunt. II. Legis Iuliæ de adulteriis & stupro, latæ ab Augusto. III. Legis corneliæ de sicariis, latæ à Cornelio Sylla dictatore. IV. Legis Pompeiæ de parricidiis. V. Legis Corneliæ de falsis, latæ à Cornelio Sylla dictatore. VI. Legis Iuliæ de vi, latæ ab Augusto. VII. Legis Iuliæ peculatus, latæ ab eodem Augusto. VIII. Legis Fabiæ de plagiariiis, qui liberos homines vel seruos alienos πλαγίως, id est, dolosè intercipiunt. IX. Legis Iuliæ de ambitu, latæ ab eodem Augusto, aduersus eos qui illicito modò, vt datâ pecuniâ, honorem vel magistratum ambiunt. X. Legis Iuliæ repetundarum, latæ à C. Iulio Cæsare, contra eos, qui, cùm officio publico fungerentur, aliquid acceperunt, quò magis, vel quò minùs officium facerent. XI. Legis Iuliæ de annona, contra eos, qui annonam flagellant, id est, aliquid faciunt, quò carior sit annona. XII. Legis Iuliæ de residuis, contra eos, qui, cùm pecunias publicas tractarint, reliquatores sunt. Hucusque doctrina Institutionum progreditur: Plenior horum criminum cognitio petenda est ex Digestis, ad quorum titulos institutâ methodo enarrandos pergamus.

J. PACII A BERIGA J. C.

ISAGOGICORVM IN DIGESTA SEV PANDECTAS PARS I.

PRÆFATIO.

HOC opere continentur Iureconsultorum scripta & responsa, quæ iuris artem plenissimè tradunt. Digesta vocantur: quia tituli non sunt temerè congesti, sed ordine digesti. Pandectæ autem appellantur: quia vniuersam ferè iuris artem, ac penè omnes legitimas, decisiones complectuntur. C. de vet. iu. enucl. l. 1. §. cumq;. & l. 2. §. omnia igitur. Denique Institutiones tantùm prima iuris elementa continent, Codex practicas decisiones habet: in Digestis, tam iuris theoria, quàm praxis plenè habetur. § Iustinianus hoc opus diuisit in septem partes, non tam artis iuris ratione habita, quàm numeri septenarij, quem perfectum numerum esse vulgò creditur, & multi auctores confirmant. d. §. omnia igitur. Præterea diuisit in libros quinquaginta, & in singulis libris plerumque collocauit plures titulos, ad quos exponendos accedamus.

LIBER PRIMVS.

TITVLVS I.

De iustitia & iure.

EXPOSITVRVS iura populi Romani, rectè incipit à iustitia, à qua nomen iuris descendit. l. 1. in princ. & à iure, quod docendum sibi proposuit. J. tit. prox. l. 1. Instit. eod. §. his igitur. ¶ Iustitia est habitus animi, à quo iusti denominantur. & est duplex, altera vniuersalis, altera particularis, vt Arist. docet lib. 5. Ethic. cap. 1. Iustitia vniuersalis omnes virtutes complectitur: & re idem est, quod virtus; sed ratione ab ea differt. nam virtus vocatur, quatenus est habitus perficiens eum, in quo est: iustitia verò appellatur per relationem ad alios, erga quos vir iustus sua virtute vtitur. Iustitia verò particularis est species quædam virtutis, ab aliis distincta, quæ hîc ab Vlpiano definitur constans & perpetua voluntas ius suum cuiq; tribuendi. l. iustitia. 10. in pr. à Cicerone autem lib. 2. de inuentio. definitur habitus animi, communi vtilitate conseruata, suam cuique tribuens dignitatem. (id est, id vnicuique tribuens, quo dignus est. hoc autem est, quod Græci dicunt κατ' ἀξίαν) ab auctore ad Herennium lib. 3. Æquitas ius vnicuique tribuens pro dignitate cuiusque. ab Andronico peripatetico in libello de virtutibus, qui falsò Aristoteli adscribitur, ἕξις διανεμητικὴ τῶ κατ' ἀξίαν ἑκάστῳ ἡμῶν, id est, habitus distributiuus eius quod cuique pro meritis conuenit. à Plethone in libro de virtutibus, ἕξις ψυχῆς σώζουσα τὸ πρεπῶδες αὐτῷ ἑκάστῳ ἡμῶν, ὅπερ ἐσμὲν πρὸς ἕκαστον: id est, habitus animi conseruans quod conuenit vnicuique nostrum, quod sumus erga vnumquemque. ¶ Ius est vox homonyma. l. penult. & vlt. quæ inter alias significat ipsum ius, vt in dicta iustitiæ definitione, modò artem iuris. l. 1. in prin. In priori significatione accipitur pro obiecto iustitiæ. In posteriori significatione vocatur etiam iurisprudentia, cuius definitiones exposui. Instit. hoc tit. ¶ Iuris diuisiones sunt sex. I. Aliud est strictum ius, quod nostri Doctores rigorem iuris, alij auctores summum ius appellant: aliud bonum & æquum, quod etiam æquitas, vel humani-

tas, vel benignitas passim in iure nominatur. II. Aliud est commune omnium hominum; aliud vniuscuiusque populi proprium. l. omnes populi. 9. III. Quoddam est publicum, quod ad reipublicæ: quoddam priuatum, quod ad singulorum vtilitatem pertinet. l. 1. §. huius studij. IV. Vel est naturale, quod natura omnia animalia docuit: vel gentium, quo omnes gentes humanæ vtuntur, seu, quod naturalis ratio apud omnes gentes introduxit: vel ciuile, quod ciuitas aliqua sibi constituit. l. 1. §. penult. & vlt. Instit. de iur. natur. §. ius autem ciuile. Ius ciuile sic etiam definitur, quod neque in totum à iure naturali vel gentium recedit, neque per omnia ei seruit, sed aliquid addit, vel detrahit. l. 6. Ius autem gentium duplex est, primæuum & secundarium: quorum illud est à diuina prouidentia constitutum. Instit. de iur. natur. §. pen. & ab eo religio & pietas fluxit. l. 2. hoc à naturali ratione iam peccato Adami polluta ortum duxit, & bella, captiuitates, seruitutes introduxit. l. 4. & 5. V. Aliud est immutabile, aliud mutabile. Immutabilia sunt ius naturale & ius gentium primæuum: mutabilia sunt ius gentium secundarium, & ius ciuile. Instit. de iu. natur. §. penult. Quoniam igitur etiam ius gentium appellatione iuris naturalis continetur. Instit. de rer. diuisio. §. singulorum. rectè Aristoteles lib. 5. Ethic. cap. 7. scribit, non omne, sed aliquod ius naturale esse mutabile. VI. Ius diuiditur in scriptum, quod vocatur lex; & non scriptum quod appellatur consuetudo. ĩ. de legib. l. de quib. 32. Institut. de iu. natur. §. constat. Ius scriptum subdiuiditur in ciuile propriè dictum, quod legibus, plebiscitis, senatusconsultis constitutionibus, prudentum responsis constat. & prætorium siue honorarium, quod prætorum & ædilium curulium edicta conficiunt. d. l. 6. & Institut. de iu. natur. §. constat. & §. fine scripto.

II. *De origine iuris, & omnium magistratuum, & successione prudentium.*

1 SVperiori titulo exposita sunt principia ex philosophia morali deprõpta: iã alia principia ex Romana historia subiiciuntur quapropter cùm multa generaliter s̃. considerata sint; hoc titulo ea tantùm docentur, quæ sunt populi Romani propria, nempe origo ac progressus iuris ciuilis, nec non magistratuum Romanorum, qui iuri dicundo præsunt, & Iureconsultorum, qui iura interpretantur: quoniam (vt ait Pomponius) sine magistratibus, aut sine iuris peritis ius con-
2 stare non potest. l. 2. §. post originem. ¶ Primam partem de iure concludit Pomponius his verbis. *In ciuitate nostra, aut iure, id est lege constituitur: aut est proprium ius ciuile, quod sine scripto in sola prudentium interpretatione consistit: aut sunt legis actiones, quæ formam agendi continent: aut plebiscitum, quod sine auctoritate patrum est constitutum: aut est magistratuum edictum, vnde ius honorarium nascitur: aut senatusconsultum, quod solùm senatu constituente inducitur sine lege: aut est principalis constitutio, id est, vt quod ipse princeps constituit, pro lege seruetur.* d. l. 2. §. ita in ciuitate. Notandum primò, responsa prudentum à Pomponio referri ad ius nõ scriptum, quamuis à Iustiniano in §. constat. Instit. de iu. natur. ponatur tamquam pars iuris scripti: Ratio est, quia non omnis scriptura facit, vt vocetur ius scriptum, sed ea tantùm, quæ publicâ auctoritate facta est. vnde consuetudines feudorum appellantur, quæ priuata auctoritate literis mandatæ sunt. Iureconsultorum igitur responsa, quæ Iustiniani Imperatoris iussu in Pandectas sunt relata, meritò inter species iuris scripti numerantur, licèt olim ante Pandectas compositas ad ius non scriptum referrentur. Notandum secundò, legis actiones, quibus veteres erant adstricti, adeo vt qui syllabâ caderet, causâ caderet, Constantini constitutione sublatas esse. C. de formul. l. 1. ¶ Secundam partem de magistratibus idem Pomponius his verbis concludit, *Decem Tribuni plebis, consules duo, decem & octo prætores, sex ædiles in ciuitate iura reddebant.* d. l. 2. §. ergo ex his omnibus. 3 ¶ De tertia parte, quæ est de Iureconsultis, præcipua delibemus ex ead. l. 2. Tiberius Coruncanius primus publicè profiteri cœpit. §. iuris ciuilis. Publius Mucius, & Brutus, & Manilius fundauerunt ius ciuile, id est, prima huius artis principia iecerunt. §. post hos fuerunt. Q. Mucius P. F. ius ciuile primus constituit, id est, in artem redegit, octodecim libris comprehensam. §. post hos Quintus Ateius Capito, & Antistius Labeo primi velut diuersas sectas fecerunt: nam Ateius Capito in his, quæ â maioribus tradita fuerant, perseuerabat: Labeo ingenij qualitate & fiducia doctrinæ fretus, quoniam aliis quoque sapientiæ partibus, vt ethicæ & politicæ, operam dederat, plurima nouare instituit. Ateio Capitoni Massurius Sabinus successit, Labeoni Nerua, qui eas dissentiones auxerat. §. hi duo. Sabino successit Gaius Cassius Longinus. Neruæ Proculus: vnde partim appellati sunt Cassiani, partim Proculeiani. §. huic successit. Sabinus auctoritate publica primus respõdit. nã ante Augusti tẽpora publicè respondendi ius à principibus non dabatur: sed primus Augustus, vt maior iuris auctoritas haberetur, constituit, vt ex auctoritate eius responderetur. quod beneficium Sabino à Tiberio Cæsare concessum fuit. §. & ita Ateio. Qui Iurisconsulti in hac vel in illa secta floruerunt, & quo ordine successerint, ex sequenti descriptione apparet.

	Sabiniani.		Procvleiani.
	Ateius Capito Ofilij auditor.	1	*Antistius Labeo Trebatij auditor.*
	Massurius Sabinus.	2	*Nerua pater.*
	Gaius Cassius Longius.	3	*Proculus. Nerua filius. Aulus Longinus.*
	Sabinus.	4	*Pegasus.*
	Iauolenus Priscus.	5	*Celsus pater.*
	Aburnus Valens. Tuscianus. Saluius Iulianus.	6	*Celsus filius. Neratius Priscus.*

III. *De legibus, senatúsque consultis & longa consuetudine.*

POst principia, quæ à philosophis & ab historicis 1
mutuatus est, nunc ea tradere incipit, quæ sunt iurisprudentiæ propria. Hæc partim ad legem, id est, ius scriptum pertinent; partim ad consuetudinem, id est, ius non scriptum. nam ius Romanum in has duas species diuiditur. s̃. de legib. l. 6. ¶ Legis vocabulum 2
accipitur sex modis. I. Pro quouis iure: siue sit naturale, siue ex hominum instituto: & siue scriptum sit, siue non scriptum. nam & lex naturæ sæpe dicitur, vt ĩ. de sta. homi. l. lex naturæ. 24. quæ à M. Tullio definitur *ratio summa, insita in natura, quæ iubet ea quæ facienda sunt, prohibétque contraria.* 1. de legib. vel, recta, & à

numine

numine Deorum exacta ratio, imperans honesta, prohibens contraria. Philip. 11. Pro iure positiuo, quod naturali opponitur. vnde Callides apud Platonem in Gorgia non solum legem à natura distinguit, sed etiam natura contrariam esse censet. III. Pro iure scripto, vt in l. omnes. 9. s̃. de iust. & iu. & in cap. 4. distin. 1. IV. Pro lege lata à populo, vel à plebe, vt in l. 1. in princip. j̃. de offic. eius. & in l. 6. j̃. de pactis. nam plebiscitis quoque tribuitur nomen legis: vt cùm dicitur lex Aquilia. j̃. ad leg. Aquil. l. 1. & lex Falcidia. distinct. 2. cap. quædam. 7. V. Pro lege lata à populo, ita vt distinguatur non solum ab aliis partibus iuris, sed etiam à plebiscito. s̃. de iust. & iur. l. 7. §. 1. & de orig. iur. l. 2. §. deinde cum esset in ciuitate. & j̃. de pact. l. 7. §. ait prætor. & ex quib. caus. maio. l. 1. in fin. & ne quid. in lo. publ. l. 2. & Inst. de iu. natur. §. lex est. VI. Pro lege duodecim tabularum, quæ κατ' ἐξοχὴν vocatur lex. j̃. de pact. l. 7. §. si paciscar ne operis. in fin. & de seruit. præd. rust. l. certo. 13. §. vlt. & de acq. hered. l. 5. §. 1. adhib. l. 1. in princ. j̃. de cura. furio. & j̃. de verbor. sign. l. lege. 130. Hoc loco in tertia significatione accipitur pro quouis iure scripto itaque species legis est senatusconsultum: cuius consideratio cum tractatu de lege apud Iurisconsultos ita connexa est. l. neque leges. 10. l. non possunt. 12. vt diuelli
3 commodè non potuerit. ¶ Nunc singula definiamus. Lex est commune præceptum, virorum prudentum consultum, delictorum, quæ sponte vel ignorantiâ contrahuntur, coërcitio, communis reipub. sponsio. l. 1. & l. 2. in princ. vel, diuinarum & humanarum rerum domina, quæ præest bonis & malis, & est iusti atque iniusti norma, facienda præcipiens, non facienda
4 prohibens. d. l. 2. §. 1. ¶ Senatusconsultum est, quod senatorio magistratu interrogante, veluti consule, senatus constituit. Instit. de iu. natur. §. senatusconsul-
5 tum. ¶ Consuetudo est ius moribus constitutum. vel, quod sine scripto populus probauit. vel, quod tacito omnium consensu receptum est. vel, quod pro iure & lege in his, quæ non ex scripto descendunt, obser-
6 uatur. l. de quibus. 32. & l. seq. ¶ Hostiensis quatuor facit consuetudinis species generalissimam, quæ vbique seruatur: generalem, quæ in aliqua prouincia viget: specialem, quæ vna ciuitate concluditur: & specialissimam, quæ est propria alicuius familiæ. extra de consuetud. §. quot sunt eius effectus.

IV. *De constitutionibus principum.*

1 EST & alia species iuris scripti constitutio principis.
2 Instit. de iu. natur. §. constat. ¶ Princeps siue imperator est, in quem populus Romanus omne imperium suum & potestatem lege Regia transtulit. l. 1. in
3 princ. ¶ Constitutionum aliæ sunt generales, quæ vim legis habent: aliæ personales, quæ, cùm personam non egrediantur, non sunt propriè leges, sed priuilegia. d. l. 1. §. planè. Generalis constitutio est, quod principi placet vt legis vigorem habeat. d. l. 1. in princ. Cuius species sunt, epistola seu rescriptum, subscriptio, decretum, interlocutio, edictum, oratio. d. l. 1. §. quodcumque. & C. de legib. l. 3. Epistola seu rescriptum est, quod Imperator consulentibus aut supplicantibus respõdet. vt j̃. de his qui sui, vel alie. iur. sunt. l. 2. & de adoption. l. nam ita. 39. & loca. l. sed addes. 19. §. cùm quidam. Subscriptio dicitur, cùm Imperator præsens libello supplici sententiam suam subscribit, vt j̃. de rec. qui arbi. l. non distinguemus. 32. §. cùm quidam. & C. quo. & quan. iud. l. 1. & Instit. quib. non est permiss. fac. testam. vers. quod quidem. Decretum est sententia Imperatoris inter duas partes, de quarum ipse iure cognouit, solemniter lata; vt j̃. de minorib. l. Æmilius. 38. & de his quæ in testam. delent. l. 3. Interlocutio est sententia principis de plano pronunciata. l. 1. Edictum appellatur, cùm quid publicè ac generaliter Imperator iubet, aut prohibet. C. de legib. l. 3. Oratio principis est, quæ in senatu recitabatur, vt in eius sententiam senatusconsultum fieret. d. l. 3. & j̃. de hered. petit. l. item veniunt. 20. §. pridie. l. si & rem. 22. & de reb. eor. l. 1.

V. *De statu hominum.*

EXpositis primis principiis iuris, tempestiuum est 1
ad materiam huic facultati subiectam accedere. Vnum est commune obiectum iuris prudentiæ, nempe iudicium: siquidem iudices ideo constituti sunt, vt per eos ius nostrum consequamur. j̃. quod met. cau. l. extat. 13. & C. de Iudæ. l. nullus. 13. Sed quia iudiciorum partes sunt, personæ, res, & actiones: propterea in his, tamquàm obiectis partialibus, ius ciuile versari dicitur. l. 1. Has partes, priùs quàm de iudiciis differat, vult Pandectarum conditor explicare: & meritò incipit à personis, quarum causâ omne ius constitutum est, l. 2. Hoc igitur titulo agit de personarum siue hominum statu. ¶ Status tria complectitur, libertatem, ciuitatem, familiam. j̃. de cap. min. l. vlt. non dignitatẽ. l. qui furere. 20. & Inst. de ca. dem. §. quibus autem. ¶ Ex triplici statu triplex hominũ diuisio oritur. 3
Prima diuisio sumitur à libertate, nã homines liberi distinguuntur à seruis. l. 3. Libertas est naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut iure prohibetur. l. 4. in princ. Seruitus est constitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subiicitur. d. l. 4. §. 1. ¶ Ex hac definitione nota, seruitutem esse introductam iure gentium. s̃. de iustit. & iu. l. 4. etsi modi, quibus serui fiunt, partim sunt iuris gentium, vt cùm quis ex ancilla nascitur, vel in bello capitur; partim iuris ciuilis, vt cùm quis ad pretium participandum patitur se bonæ fidei emptori venundari. l. 5. §. 1. ¶ Seruorum vna est conditio: liberorum autem hominum quidam ingenui sunt, quidam libertini. l. 5. in princ. Ingenui sunt, qui ex matre libera nati sunt. d. l. 5. §. ingenui. Libertini sunt, qui ex iusta seruitute sunt manumissi. l. 6. Nota aliam esse seruitutem iustam, seu seruitutem iuris, ex qua manumissi fiunt libertini, vt hîc: aliam seruitutem facti, cùm homo liber in seruitute est, quia falsò pro seruo habetur, sed neque talis seruitus, neque eam sequens manumissio officit ingenuitati. Instit. de ingen. §. cùm autem. ¶ Libertinorum diuisionem in ciues Romanos, Latinos, & dedititios (quorum differentiam Vlpian. tit. de libertis, & Theoph. in §. vlt. Instit. de liberum. declarant. Iustinianus sustulit, adeo vt omnes libertini inter ciues Romanos connumerentur. C. de dedit. libert. tollen. & tit. seq. Nouissimè autem libertinitatem omnino sustulit, & omnes liberos homines fecit ingenuos, saluo tamen in manumissos iure patronatus. Nou. 78. Notandum est, seruos, propriè loquendo, statum seu caput non habere. j̃. de cap. min. l. 3. in fi. & l. 4. Instit. de capit. demin. §. seruus. quia pro mortuis habentur. j̃. de diuers. reg. iur. l. quod attinet. 32. l. seruitutem. 209. ¶ Secunda hominum diuisio sumitur à ciui- 7
tate: nam alij sunt ciues Romani, alij peregrini, qui sunt extra ciuitatem Romanam. j̃. de heredib. instituend. l. 6. §. solemus. Ciues Romani subdiuiduntur in patres vel matres familiarum, & filios vel filias familiarum. Patresfamiliarum vel matresfamiliarum dicuntur, qui quæue sunt suæ potestatis. filijfamiliarum, & filiæfamiliarum, qui quæue sunt in potestate parentum. j̃. tit.

prox.

BIU Cujas

8 prox. l. 4. ¶ Tertiam personarum diuisionem suppeditat familia. alij namque sunt in eadem familia, alij in diuersis familiis. In eâdem familiâ sunt adgnati. ff. de verbor. signif. l. pronunciatio. 195. §. communi. Qui verò in diuersis familiis sunt, partim sunt cognati, partim affines, partim extranei. Huc aliquo modo spectat etiam sexus distinctio, qua masculos à feminis seiungimus, l. in multis. 9. & l. seq. nam femina dicitur esse caput & finis familiæ suæ. d. l. pronunciatio. in fi. & l. seq.

VI. *De his qui sui vel alieni iuris sunt.*

1 ALia personarum diuisio est, quòd quædam personæ sunt sui iuris, quædam sunt alieno iuri subiectæ. l. 1. in pr. Qui sui iuris sunt, patresfamilias vocantur. l. 4. & vel sunt in tutela, vel in curatione. vel neutro iure tenentur. Instit. de tutel. in pr. Alieni iuris sunt serui, qui sunt in potestate dominorum l. 1. §. igitur. & filiifamiliâs, qui sunt in potestate parentum. l. 3. & 4.

2 ¶ Filiorum familias alij sunt naturales, alij legitimi. ff. tit. prox. l. 1. De his sequenti titulo dicetur. Illi aut ex iustis nuptiis nascuntur. l. 3. aut legitimatione fiunt. Institut. de nupt. §. vltim. Legitimantur autem. I. Contractis postea nuptiis à patre eorum cum concubina, ex qua suscepti sunt, & dotalibus instrumentis confectis. C. de natural. liber. l. cùm quis. 10. & l. seq. II. Si curiæ dentur. C. eod. l. 3. No. 89. cap. 1 III. Beneficio principis. No. 74. cap. 1. & 2. No. 89. cap. 3. IV. Si pater filium suum naturalem in publico instrumento, vel in priuato, quod trium testium subscriptione confirmatum sit, vel in testamento, vel apud acta filium simpliciter nominauerit, eo non adiecto quòd naturalis filius sit. No. 117. cap. 2. Erat olim & alius modus legitimandi per adoptionem. C. de natural. liber. l. 6. in fi. quem Iustinus sustulit. C. eod. l. 7. & No. 74. cap. 3.

VII. *De adoptionibus, & emancipationibus, & aliis modis, quibus potestas soluitur.*

1 DIuisimus filiosfamiliâs in naturales & legitimos: quoniam igitur de naturalibus dictum est, nunc
2 de legitimis videamus. ¶ Legitimi vocantur, qui non
3 naturâ, sed adoptione fiunt. l. 1. ¶ Adoptio est legis actio. ff. de offic. proconf. l. 3. naturam imitans. Instit. h. t. §. minorem qua qui filiusfam. alicui non est, fit ei
4 filiusfamilias. d. l. 1. ¶ Diuiditur autem in adoptionem, & arrogationem. Adoptio specialis est, cum filiusfamiliâs imperio magistratus adoptatur. Arrogatio est adoptio patrisfamiliâs, quæ fit Imperatoris auctoritate. l. 1. in fi. & l. 2. in pr. id est, per rescriptum
5 principis apud acta insinuatum. ¶ Porrò quemadmodum adoptio in persona adoptantis patriam potestatem constituit, ita etiam patris in adoptionem dantis potestatem dissoluit: adeo vt adoptio non solùm sit modus patriæ potestatis constituendæ, sed etiam dissoluendæ. Instit. quib. mod. ius potest. soluit. §. sed etsi pater. Qua de causa adnectuntur hic & alij modi, quibus eadem potestas tollitur: inter quos modos est
6 emancipatio. ¶ Est autem emancipatio, actus legitimus. ff. de diuers. reg. iur. l. actus legitimus. 77. quo parens filium familiâs è potestate sua dimittit. Institut.
7 quib. mod. ius potestat. soluit. §. præterea. ¶ Ac triplex est, videlicèt legitima, Anastasiana, & Iustinianea. d. §. præterea. Legitima est, qua filius tribus mancipationibus id est imaginariis venditionibus tribúsq; manumissionib. ceteri autem liberi vna mancipatione, manumissionéque sui iuris fiebant. Instit. d. §. præterea. & ff. de iniust. rup. testam. l. verum. 8. Vlpian. ti. qui in potest. mancipióve sunt. in pr. Caius lib. 1. tit. 6. §. item per emancipationem. Anastasiana fit per rescriptum principis apud competentem iudicem insinuatum. C. de emancip. liber. l. pen. Iustinianea sine rescripto principis coram competente iudice perficitur: quam introducens Iustinianus, legitimam emancipationem sustulit & Anastasianam probauit. C. eod. l. vlt. Sunt & alij modi tollendæ patriæ potestatis. Instit. quib. mod. ius potestat. solu. qui hoc titulo specialiter non declarantur.

VIII. *De diuisione rerum & qualitate.*

TRanseamus à primo iuris obiecto ad secundum, 1
id est, à personis ad res. Rei verbum hîc angustè accipitur, vt distinguatur à personis, & actionibus. ff. de statu homin. l. 1. quamuis & personas & actiones rei appellatione contineri nihil veter. ¶ Rem in ge- 2
nere definire, nec possumus, nec debemus. Sed diuisiones sunt afferendæ, quæ ex ipsarum rerum diuersa qualitate eruuntur. I. Aliæ sunt diuinæ seu diuini iuris: aliæ humanæ, seu humani iuris. l. 1. in princ. & ff. de interd. l. 1. in princ. Diuini iuris sunt res sacræ, & religiosæ, & sanctæ. Sacræ res sunt, quæ publicè consecratæ sunt. l. 6. §. sacræ. Sanctæ sunt, quæ ab hominum iniuria defensæ atque munitæ sunt. l. sanctum. 8. vel, Quæ neque sacræ, neque profanæ sunt, sed sanctione quadam confirmatæ, vt leges. l. sacra. 9. §. propriè. portæ & muri ciuitatum, vel castrorum. l. 1. in pr. Sanctum autem dicitur, vel à sanguinibus, quæ legati populi Romani ferre solebant, ne violarentur. d. l. sanctum. 8. vel à sanctione. d. l. sacra. §. propriè. Sanctio verò dicitur ea legis pars, quæ legem violantibus, pœnam irrogat. Religiosus locus est, vbi corpus humanum humatum est. l. 2. in princ. ff. de relig. l. 2. §. sepulchrum hoc est, aut totum corpus, aut saltem præcipua pars, quæ est caput. ff. eod. l. cùm in diuersis. Res humanæ partim sunt publicæ, id est, publici iuris: partim priuatæ, id est, iuris priuati. l. 1. in princ. II. Quædam res sunt corporales, quæ sui naturâ tangi possunt, veluti fundus, homo, vestis. quædam incorporales, quæ sui naturâ tangi non possunt: & vel extra ius consistunt, vt angeli, & animæ; vel in iure, vt obligationes, hereditates, seruitutes. d. l. 1. §. quædam. & Instit. de reb. corporal. & incorpor. Corpora vel sunt certa, id est, species, vt Stichus: vel incerta, id est, genera, vt homo. ff. ad leg. Falcid. l. 1. §. & omne. Rursus rerum corporalium aliæ sunt immobiles, quæ vocantur prædia, vt domus, ager: aliæ mobiles, vt vestis, aurum: aliæ se mouentes, vt serui, & bruta animalia. ff. de ædil. edi. l. 1. in pr. & C. de in. dot. l. pen. in princ. & de quadr. præscr. l. 2. in princ. & l. 3. §. quæ omnia. Quamquam animalia quoque interdum rerum mobilium appellatione continentur. vt ff. de rei vindic. l. 1. in princ. & de acquir. possess. l. 3. §. Nerua. Interdum inter res corporales & incorporales ponuntur quantitates id est, quæ pondere, numero, vel mensurâ constant. ff. ad leg. Falcid. d. l. 1. §. & omne. hoc autem est medium, quod scholastici vocant medium per participationem extremorum: quia quantitates corpore sunt præditæ, vt nummi, vinum, oleum, frumentum. ff. de legat. j. l. planè. 34. §. sed hoc ita. l. cùm res. 47. §. 1. vnde res corporales dicuntur quantæ. ff. de legat. iij. l. quisquis. 95. sed dum quantitatibus vtimur, à materia & corpore eas abiungimus, & solius quantitatis rationem habemus. quamobrem dicuntur functionem recipere in genere suo. ff. de reb. cred. l. 2. §. 1. quia dum iis fun-

BIU Cujas

gimur siue vtimur, non tam corpus spectamus, quam generalem quantitatem. Nota genus consistere partim in substantia, vt hominem. ff. de condict. indeb. l. cùm is. 32. §. vlt. & de verbor. oblig. l. in stipulationibus, 54. in princ. l. vbi 75. §. 1. partim in quantitate, id est, in iis quæ numero, pondere, vel mensurâ constant. ff. de reb. crêd. d. l. 2. §. 1. III. Aliæ sunt in patrimonio nostro, aliæ extra patrimonium nostrum habentur. ff. de verb. signif. l. 5. & Instit. h. t. in princ. id est, quarundam rerum est commercium, quarundam non est commercium. ff. de contrah. empt. l. si in emptionem. 34. Commercium est emendi vendendique inuicem ius. Vlpian. tit. de domin. & acquir. rer. §. commercium. Emendi & vendendi verbum latiùs accipe, vt omnem alienationem complectatur, vt in l. statuliberi. 29. in fi. ff. de statulib. IV. Res omnes aut sunt communes, aut publicæ, aut vniuersitatis, aut nullius, aut singulorum. l. 2. & Insti. eod. §. quædam. Communes sic accipe, quæ omnibus hominibus communes sunt, vt aër, mare, & littora maris. d. l. 2. in fi. Publicæ dicuntur, quæ sunt vnius populi, vt flumina perennia, & portus. l. 3. in fi. & ff. de flumin. l. 1. §. 1. præsertim si populi Romani sint. ff. de verbor. signif. l. bona. 15. & l. seq. Vniuersitatis dicuntur, quæ sunt alicuius ciuitatis, vt theatra, stadia. l. 6. §. vniuersitatis. Nullius hîc dicuntur, quæ diuini iuris sunt. Instit. eod. §. nullius. Singulorum dicuntur, quæ sunt priuatorum hominum, quibus iure gentium vel iure ciuili sunt acquisitæ. Institut. eod. §. singulorum.

IX. *De senatoribus.*

1 IVdiciorum partibus, id est personis & rebus expositis, nunc ad ipsa iudicia explicanda aggrediamur. Non tamen actionum, quæ est tertia iudiciorum pars, obliti sumus: sed quoniam actiones extra iudicia existere nequeunt, idcirco tractatum de actionibus cum tractatu de iudiciis coniungere. non solùm commodum, sed etiam necessarium videtur. ¶ Diiudicant
2 senatus, magistratus, arbitri, & iudices propriè dicti, qui vocantur iudices pedanei. Distinxi senatum à magistratu: quia senatus non est magistratûs, sed ordinis nomen. ff. de interdict. & releg. l. 7. §. pen. Causas tamen & lites sub Augustis iudicabat, ff. de postul. l. 1. §. de qua autê. & de flumin. l. 2. & à quib. appell. non lic. l. 1. Sueto. in Caligu. cap. 53. in Domitia. cap. 11. & iudices dabat. Sueto. in Domit. cap. 8. Plin. lib. 2. epistо. 11. & à iudicibus appellabatur. Sueto. in Nero. cap. 17. Tacitus
3 lib. 14. ¶ Senatus est selectorum virorum non plebeiorum cœtus. ff. de verbor. signif. l. plebs. 238. in princ. Vbi plebis appellatione etiam equites continentur: nam Romæ tres ordines fuisse, senatorium, equestrem, plebeium, satis vel ex illo vulgato versic. cóstat,

„ *Martia Roma triplex, equitatu, plebe, senatu.*

Senatores propriè dicebantur, qui in senatu vel à regibus, vel à dictatoribus, vel à censoribus lecti erant. qui verò honoribus populi functi fuerant, etsi in senatum venire poterant, & sententiæ dicendæ ius habebant; tamen senatores, cùm nondum in senatum lecti essent, non erant. Valer. lib. 2. cap. 1. Gell. lib. 3. cap. 18. Festus in verbo *senatores*. Liu. lib. 23. Sed nos hîc senatoris nomen latiùs accipimus, vt senatores vocentur, quicumque in senatu sententiam dicere possunt, l. vlt. in fi. Dicere autem sententiam in senatu possunt, primò præfectus vrbi, deinde patritij, consules, consulares, præfecti prætorio, magistri militum, & ceteri illustres. d. l. vlt. in fi. & Nou. 62. ¶ Senatores pa-
4 trésque dicti sunt vel ab ætate, vel à curæ similitudinæ, vel ab honore. Sallust. in coniur. Catil. Liu. lib. 1. Festus in verbo *Senatores*. ¶ Senatus aut erat legiti- 5
mus, qui statis diebus habebatur: aut edictus siue indictus, qui ob negotia incidentia extra ordinem indicebatur. Sueton. in Iulio, cap. 80. & in August. cap. 35. Spart. in Adr. Capitoli. in Gordianis. ¶ Senatorum 6
diuisiones quatuor norentur. I. Alij maiorum gentium, alij minorum gentium appellabantur: quorum illi à Romulo, hi primùm à Prisco Tarquinio constituti fuerunt. Liu. lib. 1. Tac. lib. 11. Hinc patruum conscriptorum appellatio fluxit. nam, vt ait Plutar. in Romulo, Senatores ab initio tantùm patres dicti sunt, postea pluribus in eundem ordinem adscriptis, Patres conscripti appellari cæperunt. Festus autem in verbo *adlecti*, patres dictos esse ait, qui sunt patricij generis: conscriptos, qui in senatu sunt scriptis adnotati: allectos, qui propter inopiam ex equestri ordine in senatorum numero sunt assumpti. Sed postea obtinuit, vt omnes vno patrum conscriptorum nomine vocarentur. II. Quidam pedarij appellabantur, qui sententiam in senatu verbis non dicebant, sed in alienam sententiam pedibus ibant: aut, qui non sella curuli vehebantur, sed pedibus itabant in curiam: aut, qui nondum in ordinem lecti erant. Gell. lib. 3. cap. 18. III. Senatorum alij sunt consulares, alij præfectorij, alij quæstorij, &c. qui scilicèt consulatu, præfectura, quæstura, &c. functi sunt, aut honoraria dignitate à Principe sunt donati l. 1. & C. vbi Senator. l. 3. & vt dign. or. seru. l. 2. Nam post magistratus gestos ferè in senatum legi solebant. d. l. 3. & C. de præpos. sa. cubicu. l. vlt. Valer. lib. 2. cap. 1. Vnde Cic. in suis legibus sanxit, è magistratibus senatum esse oportere. IV. Tres sunt senatorum ordines. in primo sunt illustres, in secundo spectabiles, in tertio clarissimi. Isidor. lib. 9. etymolog. c. 4. §. primi ordines. Omnes tamen vocantur clarissimi: quia etsi dignitas clarissimatûs propriè sumpta distinguatur nõ solum ab equestri dignitate, & à perfectissimatu, tamquam dignitatib. inferioribus, sed etiam ab illustratu & spectabilitate, tamquam dignitatibus superioribus. C. de episc. audien. l. neminem. 22. in prin. & Nou. 7. cap. 12. tamen interdum latiùs sumitur, vt etiam illustratum & spectabilitatem complectatur, vt Nou. 71.

X. *De officio consulis.*

SEquitur, vt de magistratibus videamus. quorum 1
alij sunt vrbani, alij prouinciales. vrbani sunt, qui in vrbe Roma ius dicunt, veluti consules, præfecti prætorio, præfectus vrbi, quæstores, prætores. ¶ Con- 2
sules ex eo dicti sunt, quòd plurimùm reipublicæ cõsulerent. ff. de orig. iur. l. 2. §. exactis deinde regibus consules. ¶ Erant autem duo. d. §. exactis deinde re- 3
gibus consules. annuam potestatem habentes. Liu. lib. 2. in princ. penes quos initio fuit summum ius & par cum regibus potestas: sed lege deinde lata cautum est, vt ab eis prouocatio esset, néve possent in caput ciuis Romani animaduertere iniussu populi: solúmque relictum illis est, vt coërcere possent, & in vincula publica duci iuberent. d. §. exactis deinde regibus consules. Consulum potestatem imminuerunt etiam Tribuni plebis, ideo creati, vt plebi aduersus consules opem ferrent. Liu. lib. 2. Tandem eò res recidit Græcorum Imperatorum tempore, vt ferè nomen inane consulum fuerit. Nou. 105. in princ. Quapropter nihil hoc titulo eis tribuitur, nisi quod ad manumissionem pertinet, hoc est, ad voluntariam iurisdictionem. ¶ Ex consulibus alij erant ordinarij, qui Kal. 4
Ian. magistratum inibant. ff. de condit. & demonstr. l. Publius. 36. in princ. alij suffecti, qui in locum deficientium

BIU Cujas

tium ſubſtituebantur. ſ. de origi. iur. l. 2. §. poſt hunc.

XI. *De officio præfecti prætorio.*

COnſuli dignitate proximus, poteſtate his temporibus ſuperior erat præfectus prætorio. ¶ Ratio huius nominis: eſt quia veteres (vt ait Aſconius) prætorem dixerunt omnem magiſtratum, cui parêret exercitus: & prætorium, tabernaculum eius. inde aula principis, prætorium dicta eſt: & præfecti prætorio, qui aulæ præerant. ¶ Hi ſunt in comitatu principis. C. de appellat. l. præcipimus. 32. in princ. Eorum formæ vim legis habent. C. de offic. præfect. prætor. Orient. & Illy. l. 2. Rerum ſumma eis commiſſa eſt. C. de decur. l. quilibet. 40. Præſides prouinciarum eorum cenſuræ ſubditi ſunt. C. eod. l. ne quis. 30. vice ſacra, hoc eſt Imperatoris, iudicant. C. Theod. de appellat. l. à proconſulibus. 16. Ab eis appellari non poteſt. ĵ. de minor. l. præfecti. 17. & C. de ſentent. præf. præt. l. vn. ſed intra biennium ab eorum ſententiis ſupplicare permittitur. ead. l. vn. Item aduerſus eorum ſententias alij magiſtratus reſtituere non poſſunt. d. l. vn. in fi. h. t.

XII. *De officio præfecti vrbi.*

PRæfecto prætorio dignitate par eſt præfectus vrbi. C. de præfect. præt. l. 1. ceteris autem poteſtatem & dignitatem dumtaxat intra vrbem habentibus præfertur. C. eod. l. 3. Huius fidei vrbs commiſſa eſt. Quidquid intra vrbem, vel extra vrbem, intra centeſimum miliare admittitur, ad eius notionem pertinet. Nec ſolùm de criminibus, ſed etiam de pecuniariis cauſis cognoſcit. l. 1. & 2.

XIII. *De officio quæſtoris.*

QVæſtorum varia fuerunt genera. quidam pecunias publicas curabant: quorum alij in vrbe ærario præerant, alij prouincias ſortiebantur. quidam erant candidati principis, qui epiſtolis principalibus in ſenatu legendis vacabant. de quibus omnibus loquitur Vlpianus hoc titulo. Fuerunt præterea quæſtores parricidij, qui capitalibus rebus præerant. ſ. de orig. iur. l. 2. §. & quia vt diximus.

XIV. *De officio prætorum.*

1 PRætorum quidam vrbani fuerunt. ſ. de orig. iur. l. 2. §. cúmque conſules. & ĵ. de ſuſpect. tutor. l. 1. §. damus. quidam prouinciales, vt prætor Lycaoniæ. Nou. 25. & prætor Thraciæ. Nou. 26. ſed de ſolis vrbanis eſt hic titulus. ¶ Licèt autem prætores plures fuerint. d. l. 2. tamen præcipua poteſtas fuit penes prætorem vrbanum, qui inter ciues Romanos ius dicebat, & peregrinum, qui inter peregrinos, vel inter ciues Romanos & peregrinos iura reddebat. d. l. 2. §. cúmque conſules. Quorum auctoritas quanta fuerit, ex eorum edictis apparet, quæ vim legis habent. Inſtit. de iu. natur. §. prætorũ. Sed ea poſtea plurimũ imminuta, fuit præſertim poſtquàm ex edicto perpetuo, quod Saluius Iulianus ſub Impetatore Adriano compoſuit, ius dici cœptum eſt. hodieque ſolus Imperator leges condit. C. de legib. l. vlt. Hi prætores iuriſdictionem habent non ſolùm voluntariam. l. 1. & 2. ſed etiam contentioſam. ĵ. de ſuſpect. tutor. d. l. 1. §. damus de criminibus verò non cognoſcunt. d. l. 1. §. vlt. & l. 2.

3 ¶ Prætoris definitio ex Marco Tullio de legibus, hæc colligitur, Iuris diſceptator, qui priuata iudicat, iudicáve iubet, & iuris ciuilis cuſtos eſt.

XV. *De officio præfecti vigilum.*

1 PRæfectus vigilum non eſt propriè magiſtratus, ſed extra ordinem eſt conſtitutus. ſ. de origi. iur. l. 2. §. nam præfectus. noctúque pro magiſtratibus fungitur: ac præcipuè curat, ne quod incendium oriatur. l. 3. in princ. & §. ſciendum. De grauioribus criminibus non cognoſcit. d. l. 3. §. 1. & l. 4. & C. eod. l. vnic.

¶ Fuſtibus aut flagellis cædi iubere poteſt. d. l. 4. Ius gladij in liberos homines non habet: ſeruos autem etiã vltimo ſupplicio afficere poteſt. ĵ. de condi. cau. da. l. penult. ¶ Vigilum cohortibus præeſt. l. 3. in pr. vnde etiam nomen accepit. Nou. 13. in princ. ¶ Sed cùm odioſo & tenebricoſo nomine Nycteparchus dici cœpiſſet, nouiſſimè Iuſtinianus conſtituit, vt prætor plebis appellaretur. d. No. 13.

XVI. *De officio proconſulis & legati.*

TRanſit à magiſtratibus vrbanis ad prouinciales. ¶ Prouincias, quæ ſtante republica in conſulares & prætorias diuidebantur, Auguſtus aliter diuiſit: alias namque ſenatui, populóque Romano conceſſit, alias & quidem validiores ipſe ſuſcepit, auctore Suetonio in eius vita, cap. 47. In illas mittebantur proconſules: qui conſularem poteſtatem & inſignia conſularia habebant, hoc excepto, quòd non duodecim faſcibus, vt conſules, ſed ſex tantummodò vtebantur. l. proconſules. 14. Sunt autem vel ordinarij, vel ſuffecti. ĵ. de tutor. & curat. da. l. 1. quo modo etiam conſules ſuprà diuiſimus. Item vnum plurésve legatos accipiunt, quibus iuriſdictionem ſuam mandant. l. 4. §. vlt. l. legati. 13. & ĵ. de offic. eius. l. 4. In has prouincias, quas ſibi reſeruauit, Imperator mittit præſides, qui & legati Cæſaris dicuntur, de quibus deinceps dicendum eſt.

XVII. *De officio præfecti Auguſtalis.*

QVi Ægypto ab Imperatore perficitur, ſpeciali nomine præfectus Ægypti vocatur. l. vnic. & ĵ. de tutor. & curat. dat. l. 1. & de mand. vind. l. apud præfectum. 21. & C. de poſtul. l. 1. aut præfectus Auguſtalis, vt in hac rubrica, & C. de decur. l. quinque. 57. ſiue quia ab Auguſto conſtitutus fuit. d. l. vn. ſiue quia præeſt prætorio Auguſtali in Ægypto: vnde etiam præfectus prætorio Auguſtali nuncupatur. C. eod. l. 2.

¶ Huic ad ſimilitudinem proconſulis imperium datum eſt. d. l. vni.

XVIII. *De officio præſidis.*

PRæſidis nomen generale eſt, quo omnes, qui prouincias regunt, appellantur. l. 1. Sed propriè præſes dicitur legatus Cæſaris, cui Princeps aliquam è ſuis prouinciis regendam committit. l. pen. ¶ Hic maius imperium in ea prouincia habet omnibus poſt Principem. l. 4. & de omnibus cauſis, quæ Romæ varias iudices habent, in prouincia ſua cognoſcit. l. ex omnibus. 10. & l. ſeq. Ius habet gladij l. 6. §. qui vniuerſas. ſed ita vt gladio animaduerti oporteat, non ſecuri, vel telo, vel fuſti, vel laqueo, vel quo alio modo. ĵ. de pœn. l. aut damnum. 8. §. 1. Item damnare in metallum poteſt. d. l. 6. §. qui vniuerſas. deportare non poteſt. ĵ. de pœn. l. 2. §. 1.

XIX. *De officio procuratoris Cæſaris, vel rationalis.*

QVi cauſis fiſcalibus in vrbe præeſt, præfectus ærario dicitur. ĵ. de tranſact. l. cùm hi. 8. §. tranſactiones. & de iu. fiſ. l. edicto. 13. in princ. Qui verò iiſdem cauſis in prouincia præeſt, procurator Cæſaris appellatur. l. 1. & ĵ. de iu. fiſ. l. ne procuratores. 30. aut procurator principis. ſ. de offic. proconſul. l. nec quidquam. 9. in princ. aut procurator diuinæ domus. C. vbi cau. fiſca. l. cùm aliquid. 8. aut curator Cæſaris, l. 3. & ĵ. de iu. fiſc. l. 5. aut rationalis, vt in hac rub. & C. ſi adu. fiſ.

l.3.& vbi cau.fisc.l.5. aut rationalis summæ rei.C.eod.
2 l.7. ¶ Non habet ius deportandi: nec restituit damnatos. l. 3. sed aduersus fiscum vnà cum præside restituere potest. C. si adu. fisc.l.2. Omnino inter priuatos neque ciuilem neque criminalem iurisdictionem habet, nisi vicem præsidis gerat.C.de pedan. iudi.l.1. & de iurisdi.omn.iudic.l.1. & vbi cau. fisca.l.3. & ad leg. Fab. de plagiar.l.4. & de pœn. l.2.Rerum autem prouincialium procuratio ei mandatur, vel omnium, vel quarundam. ff. ex quib. caus. maior. l. qui mittuntur. 35. §.1.

XX. *De officio iuridici.*

CVm in aliis prouinciis præsides, aut eorum legati ius redderent, aut iudices darent: Alexandriæ, ne omnino Ægyptus in potestate præfecti esset,vnus, qui ius diceret,ab ipso Cæsare constituebatur, qui iuridicus appellatur.

XXI. *De officio eius,cui mandata est iurisdictio.*

1 QVoniam magistratus tam vrbani quàm prouinciales, cùm ipsi rebus atque negotiis omnibus vacare non possint, iurisdictionem suam alteri mandare solent. ff.de iurisdict.l.solet.16.& s. de offic. proconf. l. 4. §. vlt. cum duab. legibus sequentibus: propterea magistratuum officio expositio, nunc eorum officium declaratur, qui mandatam iurisdictionem
2 suscipiunt. ¶ Mandari possunt quæ iure magistratus competunt, non quæ specialiter lege, vel senatusconsulto, vel principali constitutione tributa sunt. l. 1.
3 ¶ Mandatur vel tota iurisdictio, vel eius pars.l.4.& ff. de iurisd.d.l.solet. & l.seq. Et vel à magistratu vrbico, vel à prouinciali.l.2.& ff.de iurisd.l.solet. & s.de offic. proconf. l. 4. §. vlt. Item vel alteri magistratui.l.3.vel alicui priuato.l.vlt.

XXII. *De officio assessorum.*

MAgistratibus, & iis, qui mandatam à magistratibus iurisdictionem suscipiunt, consiliarij assidebant iurisperiti, quorum officium hic titulus explanat. Ex his alij publicum salarium à fisco percipiũt, qui in sua prouincia vltra statutum tempus assidere non possunt. ff. ex quib.cau. maio. l.hi qui.37.hoc est, vltra quatuor menses.C.h.t.l.in consiliariis.10.alij publico salario non fruuntur, qui in patria sua assidere non prohibentur.l.vlt.

LIBER SECVNDVS.

TITVLVS I.

De Iurisdictione.

1 TRansit ab officio ad iurisdictionem: quia officij verbum latiùs patet, quàm iurisdictionis. vt enim proconsul, aut præses xenia accipiat, vel non accipiat, vt patienter laudes suas audiat, ne extra prouinciam agat; nemo ad iurisdictionem pertinere dixerit,quæ tamen ad officium spectare,certum est.s. de offic.proconf. l.6.§.vlt. & l.7. & de offic. præsid.l.illud.15.Ne propterea intelligas officium esse genus iurisdictionis:sed officium aut extra iurisdictionem considerari, vt in dictis legibus, aut circa iurisdictionem versari, vt in l. nec quicquam. 9. §. circa aduocatos. & §. obseruare.s. de offic. proconf. ceterùm officium id ex proprietate vocabuli significat, quod fieri debet: iurisdictio verò id, quod fieri potest.
¶ Iurisdictionem definio magistratus de causis notio- 2
nem. est enim notio, genus iurisdictionis. ff. de re iudic.l.5.& de verbor.signif.l.notionem.99.in princ. sed verbum magistratus distinguit iurisdictionem à notione iudicis pedanei,qui iurisdictione caret, iudicandique dumtaxat licentiam habet.C.vbi & apud quem. l.vlt. Si quidem aliud est ius dicere, aliud, iudicare. C. ne quis in sua causa iud. aut sibi ius dic. Si quis obiiciat, non tantùm magistratus iurisdictionem habere, sed etiam eos, quibus iurisdictio mandata est:respondebo, etiamsi iurisdictio alicui mandata sit, non tamen eius, cui mandata est, sed magistratus, qui mandauit, iurisdictionem esse.l.solet.16.& s.de offic.eius. l. 1. §. qui mandatam. & l. 3. Adieci *de causis*, vt propriam iurisdictionis materiam, qua distinguitur ab aliis magistratuum cognitionibus, explicarem. ¶ Ex 3
hac definitione colligamus diuisiones. I. Notionis verbum hanc mihi videtur iurisdictionis diuisionem suggerere; vt alia sit, quæ de plano expediri potest; alia, quæ pro tribunali tantùm expediri potest. s. de offic. proconf. l.nec quidquam.9.§.vbi. & §. de plano. II. Sicut magistratus vel sunt vrbani, vel prouinciales, vel municipales: ita iurisdictio triplex est: vrbana, prouincialis, municipalis. nam magistratus quoque municipales iurisdictionem habuisse, verius est:l. magistratibus.12. Paulus lib. 5. sentent. tit.5. in princ. III. Sicut causarum aliæ sunt voluntariæ, vt manumissio, adoptio, aliæ contentiosæ, vt restitutiones in integrum: ita iurisdictio in voluntariam & contentiosam diuiditur. s. de offic. proconf. l. 2. IV. Cùm causarum aliæ sint ciuiles, aliæ criminales: hinc fit, vt iurisdictio quoque sit aut ciuilis, aut criminalis. Quæ ad causas criminales pertinet, merum imperium propriè dicitur, quæ verò in ciuilibus causis consistit, imperium mixtum, aut iurisdictio proprio vocabulo nuncupatur.l.3. Est autem merum imperium, ius gladij, id est,potestas animaduertendi in facinorosos homines gladio vel alia coërcitione. d. l. 3. & s. de offic. proconf.l.6.in princ. ff.de diuers.reg.iur.l.nemo potest gladij. 70. veluti securi, laqueo, telo. ff. de pœn. l. aut damnum.8.§.1. Merum dicitur, quia purum est, non commixtum cum iurisdictione propriè dicta; vt merum ius gentium dicitur, quod est à iure ciuili seiunctum. ff.de depos.l.bona fides.31. Ius gladij vocatur. d. l. 3. quia vt hasta iurisdictionis, ita gladius huius imperij insigne erat, apud Romanos vt docui Methodicorum lib.3.ad tit.de iurisdictione,num. 37. Mixtum imperium, quod etiam non merum appellatur. s. de offic. eius.l.vlt.est illud, cui etiam iurisdictio ineft.d.l. 3.vel, quod iurisdictioni cohæret. s. eo. l.1. in fi. vel, modica coërcitio, sine qua iurisdictio nulla est. d. l. vlt.Iurisdictio propriè dicta est, quæ in iure dicundo, potiùs quàm in iubendo consistit. Sed neque imperium mixtum sine iurisdictione constare potest. d. l. 3. neque iurisdictio sine mixto imperio. d. l. vlt. In quibusdam tamen causis vis iurisdictionis magis apparet, quàm imperij, vt in danda bonorum possessione: in aliis contrà imperij maiestas magis effulget, vt cùm prætor cauere iubet, aut in possessionem mittit.l.4.& ff. de municip.l. ea quæ. 26. Tentabit aliquis præterea iurisdictionem inordinariam, & delegatam seu mandatam diuidere, ex l. 5. nisi monuero, hanc non esse veram diuisionem: quoniam iurisdictio eadem est, siue mandetur, siue non mandetur: & mandata, eius est qui mandauit, non eius qui suscepit, vt suprà docui. ¶ De iurisdictione tria edicta, primum hoc titu- 4
lo, reliqua duo duobus titulis sequentibus proponuntur. Primum edictum est de albo corrupto.quo edicto

caue

cauetur, vt si quis id, quod iurisdictionis perpetuæ causâ, non quod prout res incidit, propositum est, aut proponitur, aut proponendum est, dolo malo corruperit, aut sustulerit, aut, vt corrumperetur, tollereturue, mandauerit; in eum detur quingentorum aureorum iudicium, quod populare est. In seruos autem, si à dominis non defendantur, & eos qui inopia laborant, corpus torquendum est. l. 7.

II. *Quod quisque iuris in alterum statuerit, vt ipse eodem iure vtatur.*

1 SEquitur secundum edictum de iurisdictione, cuius
2 quatuor sunt partes. ¶ Prima & præcipua pars, à huius tituli inscriptionem compositores sumpserunt, est, de iis, qui iurisdictioni præsunt, nouum ius dicentibus. Nam qui magistratum, potestatémve habet, si quid in aliquem noui iuris dolo malo & cum effectu statuerit, ipse quandocumque aduersario postulante, eodem iure vti debet. Assessoris autem imperitia, qui nouum ius suggessit, non ius dicenti, sed ipsi assessori
3 nocere debet. l. 1. §. hæc autem. & l. 2. ¶ Secunda pars est de litigatoribus, qui nouum ius impetrarunt. Nam si quis apud eum qui magistratum potestatémque habebit, aliquid noui iuris obtinuerit, postea quandocumque aduersario eius postulante, idem aduersus
4 eum decernetur. d. l. 1. §. 1. vers. si quis apud. ¶ Tertia pars rationem edicti, & æquitatem ostendit: scilicèt vt quod quis in alterius persona æquum esse credidisset, id in sua quoque persona valere patiatur. d. l. 1. §. 1.
5 in fin. ¶ Quarta parte prætor excipit nouum ius dicentes vel impetrantes contra eum, qui idem iuris antea dixerat vel impetrauerat: ne, dum huius edicti beneficio vtuntur, in eius pœnam committant. l. vlt.
6 ¶ Notandum est hanc pœnam aduersus omnes statui, qui in edictum inciderunt, non solùm eo postulante qui læsus est, sed etiam quocumque alio. l. 3. §. hæc pœna. & §. quod autem.

III. *Si quis ius dicenti non obtemperauerit.*

1 TErtium edictum de iurisdictione in eos proponitur, qui ius dicenti non obtemperauerint, hoc est, id non fecerint, quod extremum est in iurisdictione, vltra quod ius dicens non progreditur. l. vn. §. 1.
2 ¶ Hoc iudicium non ad id, quod interest, sed, quanti ea res est, concluditur, id est, quanti contumacia non obtemperãtis æstimatur. &, cùm meram pœnam contineat, neque post annum, neque in heredem datur. d. l. vn. §. vlt.

IV. *De in ius vocando.*

1 NVnc de iudiciis magistratuum, quorum officium & iurisdictionem hactenus explicuimus, dicendum est. Exordiemur autem ab edicto de in ius vocando, quod est initium omnium actionum instituen-
2 darum. Instit. de pœn. temerè litig. §. vlt. ¶ In ius vocare, est ad eum, qui iurisdictioni præest, iuris experiundi causâ vocare. l. 1. & ff. tit. prox. l. 2. & Instit. de
3 pœn. teme. litigan. d. §. vlt. ¶ Differt autem in ius vocatio à citatione propriè sumpta (nam interdum citatio pro in ius vocatione sumitur) nullis modis, vt in
4 Methodico docui, C. hoc tit. cap. 1. ¶ Sed quidam in ius vocari non possunt, vt maiores magistratus, & alij, qui enumerantur in l. 2. 3. & 4. in prin. quidam non sine permissu prætoris vocari possunt, vt parentes, patroni, patronorum liberi, vel parentes. d. l. 4. §. 1. & ceteri, quibus talis reuerentia debetur. l. generaliter 13. Si quis aduersus ea fecerit, pœnam sustinet 50. aureorum: vel, si inopiâ laboret, corporaliter plectitur. l. pen.
& vlt. ¶ Doctores vocationem in ius seu citationem 5
diuidunt in verbalem, & realem. sed illa sola dici potest citatio vel in ius vocatio, hæc autem propriè vocatur prehensio. verbalem autem subdiuidunt in priuatã, & publicam. Priuata fit voce apparitoris, vel per epistolam. Publica fit affixo programmate, vel per tubam, per campanã. Hæc magis hodiernæ consuetudini quàm iuri Iustinianeo sunt consentanea. Ego malim vocare publicam, quæ fit auctoritate publica, id est, magistratus vocationem habentis, vt docet Gell. lib. 13. cap. 12. priuatam verò eam, quæ fit auctoritate priuata ipsius auctoris. Gell. lib. 13. cap. 13. Horat. lib. 1. Saty. 9. Sed hodie hæc priuata non est in vsu.

V. *Si quis in ius vocatus non ierit, siue quis eum vocauerit, quem ex edicto non debuerit.*

EX quacumque causa ad eum, qui iurisdictioni 1
præest, in ius vocatus venire debet; vt, si dubitetur, an eius iurisdictio sit, hoc ipsum sciatur. l. 2. in pr. prætoris est enim æstimare, an sua sit iurisdictio: vocati autem non contemnere auctoritatem prætoris. ff. de iudic. l. 5. Quòd si in ius vocatus non ierit; ex causa à competenti iudice pro iurisdictione iudicis multabitur. d. l. 2. §. si quis. ¶ Excusatur tamen I. Qui ex 2
edicto in ius vocari non debuit, argum. l. 1. §. Osilius. & l. 2. in princ. ff. ne quis eum qui in ius vocab. vi exi. & l. quamuis. 11. ff. tit. prox. Huc spectat posterior illa rubricæ pars, *siue quis eum* &c. quod non videntur animaduertisse, qui putant ea verba ad rubricam præcedentem esse transferenda. II. Qui eo non venit, quò vocari eum non debuisse certum est. ff. ne quis eum qui in ius vocab. d. l. 2. §. eadem. III. Qui per rusticitatem non venit. d. l. 2. §. si quis. IV. Qui frustra venisset: quia actoris non intererat, vt veniret, putà quia dies feriata erat. d. l. 2. in fin.

VI. *In ius vocati vt eant, aut satis vel cautum dent.*

QVintò excusatur, qui iudicio sisti idoneè satisdedit, aut cauit. ff. de in ius vocan. l. neque. 22. §. qui in ius. & ff. qui satisda. cogan. l. 5. §. qui pro rei. Aut enim in ius vocatus venire debet, aut satis vel cautum dare. quod ff. tit. 8. explanabitur.

VII. *Ne quis eum, qui in ius vocabitur vi eximat.*

NOn solùm punitur, qui in ius vocatus non venit, 1
sed etiam qui eum in ius euntem eximit. l. 1. in princ. l. 3. in fi. aut dolo malo fecit, quò magis eximeretur. l. 4. in fi. ¶ Eximere est quoquo modo facere, 2
quò minùs in ius vocatus veniat. d. l. 4. in princ. ¶ Ex 3
hoc edicto datur iudicium in factum. l. 5. §. 1. & §. hoc iudicium. Quo non id continetur, quod in veritate est, sed quanti ea res est ab actore æstimata, de qua controuersia est. vnde apparet, etiamsi calumniator quis sit, hanc pœnam eum persequi. d. l. 4. §. 1. d. l. 5. §. 1.

VIII. *Qui satisdare cogantur, vel iuratò promittant, vel suæ promissioni committantur.*

SI in ius vocatus caueat iudicio sisti, non potest in 1
ius duci. ff. de in ius vocan. l. neque. 22. & qui eum duxerit iniuriarum tenetur. l. 5. non enim vocatus in ius ire præcisè tenetur, sed aut ire, aut idoneè cauere, vt ff. dictum fuit tit. 6. quod nunc exponemus latiùs. ¶ Cautionis tres sunt species, satisdatio, iuratoria cau- 2

BIU Cujas

tio, repromissio; quas exposui ad titulum. Instit. de satisdat. ¶ Satisdatio eodem modo appellata est, quo satisfactio. nam vt satisfacere est desiderium eius, cui soluendum aliquid est, non solutione, sed alia ratione implere: ita satisdare est, aduersario, pro eo quod petit, ita cauere, vt eo nomine securus fiat. l. 1. & ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solu. l. 6. in princ. ¶ Satisdatio bifariam diuiditur. I Aut est voluntaria, aut necessaria l. si fideiussor. 7. §. si necessaria. II. Aut fit datis fideiussoribus, aut pignoribus. ff. de pecun. consti. l. promissor. 21. §. vlt. Propriè tamen satisdatio dicitur, quæ fit datis fideiussoribus: quamuis ex interpretatione receptum sit, vt satisdari dicatur etiam pignoribus. d. l. promissor. §. vlt. & ff. de stipul. præt. l. prætoriæ. 7. In hoc autem tractatu de cautione iudicio sisti, hæc satisdatio cùm prætoria fit. ff. eod. l. 1. in princ. omnino fideiussoris personam desiderat. d. l. prætoriæ. Porrò quinam repromittant, vel iuratò caueant, vel datis fideiussoribus satisdent, docui ad d. tit. Instit. de satisdat. ¶ Nunc sciendum est, fideiussorem locupletem dandum esse. ff. in ius voca. vt eant. l. 1. Locuples propriè dicitur, qui satis idoneè habet pro magnitudine rei, quam actor petit. ff. de verb. signif. l. quos nos hostes, 234. §. 1. Sed locuples videtur dari, non tantùm ex facultatibus, sed etiam ex conueniendi facilitate. l. 2. in princ. ¶ Qui talem fideiussorem non acceperit, vt initio huius tituli dixi, iniuriarum tenetur. nec solùm ei tenetur, quem in ius duxit, sed etiam fideiussori, quem non accepit. l. 5. Quod dixi locupletem fideiussorem exigi, regulariter verum est. sed excipiuntur necessariæ personæ, inter quas qualemcumque fideiussorem, id est, etiam non locupletem accipi prætor iubet. l. 2. §. prætor. & §. seq. & ff. in ius voca. vt eant. l. 1. 2. 3. & in eum qui non acceperit, cùm sciret eam necessitudinem personarum, quinquaginta aureorum iudicium dat. ff. in ius voc. vt eant. d. l. 2.

IX. *Si ex noxali causa agatur quemadmodum caueatur.*

QVæ superiori titulo de cautionibus iudicio sisti dicta sunt, ad liberos homines pertinent. Si quis autem seruum, de quo noxalis actio est iudicio sisti promiserit: prætor hoc titulo edicit, vt in eadem causa eum exhibeat, in qua tunc est, donec iudicium accipiatur. l. 1. in princ. Sed etsi quis liberum hominem iudicio sisti promiserit, in eadem causa eum sistere debet. ff. si quis caut. l. si quis quendam. 11. In eadem causa sistere videtur, qui ad experiendum non facit actoris ius deterius. d. l. 1. §. 1. d. l. si quis quendam. & l. seq. in princ.

X. *De eo, per quem factum erit, quò minùs quis in iudicio sistat.*

1 CAutione datâ vitat quidem reus necessitatem sequendi eum qui in ius vocat, sed postea debet, sicut promisit, iudicio se sistere. actor quoque adesse debet. ac ne quis eis impedimenta struat, quò minus ad iudicium veniant: visum est prætori, hoc edicto dolum eius coërcere, qui impedit aliquem iudicio sisti. l. 1. in princ. 2 ¶ Hoc titulo (vt opinor) ideo iudicij, non iuris mentio fit, vt intelligatur, quamuis hîc præcipuè de iis loquamur, qui iurisdictioni præsunt, tamen ea, quæ hoc titulo proponuntur, ad eos non absurdè trahi posse, qui ad iudices pedaneos vocantur. 3 ¶ Dolo malo fecisse videtur, siue quis per se, siue per alium fecerit. d. l. 1. §. 1. & siue vi, siue dolo tantùm. d. §. 1. & 2. ¶ Hæc actio non solùm ei competit, qui in ius vocauerat, siue se, siue eum, quem in ius vocauit, impeditum fuisse dicat. l. vlt. sed etiam in ius vocato, nisi ab actore impeditus fuerit: quo casu sufficit ei exceptio, si de pœna promissa conueniatur eò quòd ad iudicium non venerit. l. 1. §. si reus. 4 ¶ Datur autem hæc actio in factum in id quod interest. d. l. vlt. in princ. sed ex parte eius, qui dolo fecit, pœnalis est. 5

XI. *Si quis cautionibus in iudicio sistendi causa factis non obtemperauerit.*

SVperior titulus coërcuit eos, qui aliquem impediunt iudicio sisti. ff. tit. prox. l. 1. hic autem titulus docet, si quis aut non stiterit, aut non in eadem causa stiterit, stipulationem committi aduersus reum, & fideiussores ab eo datos. l. 4. in princ. & §. item quæritur. l. 6. l. si quis quendam 11. cum similib. 1 ¶ Ex ea igitur 2 stipulatione actio competit. hoc est, aut certi condictio, si certa pœna promissa sit, aut incerti in id quod interest, si pœna expressa non fuerit. ff. si quis in ius voc. non ier. l. vlt. & ff. de stipul. præto. l. vlt. & Instit. de verb. oblig. in princ. Æstimatio eius quod interest, ad illud tempus refertur, quo sisti debuit, non ad id quo agitur. l. qui autem. 12. ¶ Porro hæc actio ex iusta 3 causa aut ipso iure denegatur, aut ope exceptionis elliditur. ff. qui satisda. cogan. l. vlt. Ipso iure non competit, si principalis actio transactione, morte, vel alio modo sublata sit. l. 2. in princ. l. si eum. 10. §. qui iniuriarum. l. vlt. Per exceptionem tollitur, si reus iustam causam afferat, qua impeditus, iudicio non stitit, veluti si aduersam valetudinem, tempestatem, vim fluminis excuset. d. l. 2. & passim. item si postea se sistat, nec actoris ius ex mora deterius factum sit. l. & post. 8.

XII. *De feriis, & dilationibus, & diuersis temporibus.*

VAriis excusationibus vti potest, qui vadimonium 1 deseruit, id est, qui iudicio non stitit, vt promiserat. Harum causarum aliæ, breuiter sunt expositæ superiori titulo: aliæ, quia prolixiorem tractationem requirunt, in sequentes titulos sunt reiectæ. Ergo has excusationes ordine explicemus. ¶ Prima excusatio 2 est propter ferias incidentes. l. 6. nam & is excusatur, qui die feriato in ius vocatus non iuit. ff. si quis in ius voc. non ier. l. 2. in fi. cùm nec vocari tunc debuerit, vt Varronem in augurũ libris scripsisse restatur Macrob. Saturn. lib. 1. Etenim feriæ (quæ auctore Festo à feriendis victimis sunt appellatæ, & olim dicebantur dies nefasti, quibus opponuntur dies fasti) sunt vacationes à ciuilibus iudiciis. l. 6. vel vacationes à forensibus negotiis. l. pen. vel, dies, quibus lege agere non licet, quibúsve ius dici non potest. Varro. lib. 5. de ling. Latin. Ouid. 1. fastor. ver. 47. Macrob. lib. 1. Saturnal. ¶ Idem 3 Macrobius dicto loco auctor est, ferias aut publicas fuisse, aut proprias familiarum, aut proprias singulorum, publicarum quatuor fuisse genera: nempe statiuas, quæ vniuersi populi communes erant, & certis constitutísque diebus fiebant: conceptiuas, quæ quotannis à magistratibus aut sacerdotibus concipiebantur in dies certos, vel etiam incertos, vt sunt Latinæ, paganalia, sementinæ, compitalia: imperatiuas, quas consules vel prætores pro arbitrio potestatis indicebant: & nundinas, quæ paganorum erant, ac rusticorum, qui tunc negotiis propriis vel mercibus prouisuri conueniebant. Hæc Macrobius. ¶ Festus autem 4 in verbo *feriæ*, alias sine festo fuisse ait, quales sunt nundinæ: alias cum festo, vt Saturnalia. ¶ Sed vt di- 5

uisiones

uisiones publicarum feriarum, de quibus hoc titulo agitur, ex iure nostro sumamus: I. Aliæ sunt feriæ generales, quæ vbique locorum obseruantur: aliæ particulares, quæ certo loco concluduntur. l. 4. & extrà eod. cap. vlt. II. Aliæ sunt solemnes, quæ ex ordine obseruantur: aliæ repentinæ, quæ extra ordinem, ob res putà prosperè gestas, indicuntur. ff. ex quib. caus. maior. l. sed etsi. 26. §. si feriæ, & C. de dilat. l. 3. Solemnes partim sunt diuinæ, quæ diuini cultus causâ obseruantur. C. h. t. l. vlt. partim humanæ, vt messium, & vindemiarum. l. 1. in princ. & C. eod. l. 7. Hactenus de
6 feriis. ¶ Secunda excusatio est propter dilationem. ff.
7 de iudic. l. interdum. 36. in prin. & C. de dilat. l. 3. ¶ Dilatio est diei iudicij diffusio atque prorogatio. l. 2. §. si quis iudicio qua pendente cognitio sustinetur. d. l. interdum in princ. & officium iudicis conquiescit. d. l. 3.
8 ¶ Diuiditur I. In peremptoriam, & non peremptoriam. ff. de iudic. l. ad peremptorium. 68. Peremptoria dicitur, quæ perimit disceptationem, neque vltrà patitur aduersarium tergiuersari. ff. eod. l. & tertium. 70. nam eâ comminatur iudex, etiam absente diuersa parte cogniturum se & pronũciaturum. ff. eod. l. in peremptorio. 71. Vnde intelligimus, non peremptoriam dilationem esse, quæ disceptationem dumtaxat profert, non perimit. d. l. interdum. in prin. & d. l. 3. II. In conuentionalem, iudicialem, & legalem. Conuentionalis est, quæ fit ex consensu litigatorum, argum. l. si conuenerit. 26. ff. de re iudic. & l. 4. in fi. C. de dilat. Iudicialis est, cuius auctor est iudex instante fortassis altero litigatorum. C. eod. l. 1. & 4. Legalis est, quæ fit à lege, veluti propter ferias. C. de feri. l. 3. 6. 8. 10. Hæc
9 de dilationibus dicta sint. ¶ Tertia excusatio est propter tempus. ff. tit. prox. l. 1. l. etsi post. 8. Notandum est, diem naturalem, more Romano, à media nocte incipere, & sequentis noctis media parte finiri. l. more. 8.

XIII. *De edendo.*

1 QVarta excusatio est, si actor non ediderit actionem, qua vti vult. extra de libe. oblat. cap. vlt.
2 ¶ Editio est prolatio seu demonstratio. l. 1. §. 1. & C. eo. l. 3. quam litigaturus suâ, vel aduersarij causâ facit. Suâ causa, vt cum edit instrumenta, quibus est vsurus. d. l. 1. §. edenda. Aduersarij causâ, vt cùm reus actori rationes edere cogitur. C. eod. l. 5. ¶ Editur autem aut verbis, aut scriptura, aut alia demonstratione. d. l. 1. §. 1. &
4 l. 6. §. edi. ¶ Et vel actio editur. d. l. 1. in princ. & §. 1.
5 & C. eod. l. 3. vel instrumentum. d. l. 1. §. edenda. ¶ Editio actionis est futuræ litis demonstratio. d. l. 3. vt is, qui conuenitur, sciat vtrùm cedere, an contendere debeat: &, si contendendum putat, veniat instructus ad se defendendum, cognita actione, qua conuenitur. l. 1.
6 in princ. ¶ Editur autem actio, siue quis copiam describendi faciat, siue in libello complectatur & det, siue dictet, siue aduersarium suum ducat ad album, & ei demonstret iudicium quod dictaturus est, vel id
7 dicat, quo vti vult. d. l. 1 §. 1. ¶ Editio instrumenti est, per quam scriptura in iudicio profertur, vt fides veri constare possit. C. h. t. l. 3. & l. 5. Instrumenti appellationem latè accipe, vt complectatur omnem scripturam, quæ probationis causâ editur, vt acta publica, tam ciuilia, quam criminalia. C. eod. l. 2. & rationes. l. 4. l. quædam. 9. in princ. Ratio autem definitur vltro citróque dandi, accipiendi credendi obligandi, liberandi
8 di sui causâ negotiatio, l. 6. §. rationem. ¶ Edere instrumenta, putà rationes, est dictare; vel tradere libellũ, id est, exemplum; vel codicem, id est, authenticum proferre. l. 6. §. edi autem. Sed edi ratio tum demum intelligitur, cùm à capite editur, vt tota inspici possit. l. argentarius. 10. §. edi autem. & quidem cum die & consule: quamquam alia instrumenta eduntur sine die & consule quo sunt concepta, expresso tantùm die, in
9 quem solutio collata est. l. 1. §. editiones. ¶ Edere instrumenta coguntur alij edicto prætoris, vt argentarij. l. 4. in princ. (Argentario verò, & ei, qui sibi iterum edi postulat, non sine causæ cognitione edi iubet. l. 6. §. prætor ait) data actione in factum. l. quædam. 9. in prin. intra annum. l. vlt. quanti agentis interfit eas sibi editas esse. l. 6. §. ex hoc edicto. d. l. argentarius. §. cùm autem. (Æstimatio autem eius, quod interest, ad illud tempus refertur, quo edi debuit, non ad illud, quo agitur. l. vbi 8. §. is autem.) alij alia actione prætoria, vt negotiorum gestor. ff. de negot. gest. l. 2. Insti. de oblig. quæ qua. ex contr. §. 1. alij actione ciuili, vt procurator actione mandati, socius actione pro socio, tutor actione tutelæ. d. l. quædam. in prin. alij officio iudicis, C. eod. l. 1.

XIV. *De pactis.*

QVinta excusatio est propter pactum. cuius interpretatio paulò altiùs est repetenda. ¶ Conuentio 1 2
& consensus sunt vocabula synonyma: quorum significatio negotiis contrahendis vel transigendis in hoc tractatu concluditur. l. 1. §. conuentionis. ¶ Diuiditur 3
autem conuentio multis modis. I. Alia est nuda, quæ caret causâ: alia non nuda, quia causam adiectam habet. Causa est vis obligationis & actionis pariendæ. l. iuris gentium. 7. §. 1. Nuda conuentio passim vocatur pactio, pactum, nuda pactio, nudum pactum, pactum conuentum, pactum & conuentum, nuda conuentio, simplex conuentio. Quæ verò causam habet, appellatur contractus. Cùm autem è contrario est causa sine mutuo consensu, quasi contractus constituitur, veluti negotiorum geritio. ff. de negot. gest. l. 2. nisi quid commissum fuerit, vt delictum, vel quasi delictum dici debeat. Institut. de oblig. quæ qua. ex contra. in pr. & de obligat. quæ qua. ex deli. in pr. Contractuum alij nomine carent, qui vocantur innominati, veluti do vt des, do vt facias, facio vt des, facio vt facias: alij nomen habent, & appellãtur contractus nominati, vt emptio & venditio, locatio & conductio, societas, mutuum, & alij complures. Nomen contractus voco, quod est proprium contractus, id est, quod simul & conuentionem & causam significat. d. l. iuris gentium. §. 1. II. Alia est publica, alia priuata. Publica est, quæ ad rempub. pertinet, veluti cùm duces belli inter se paciscuntur. Priuata est, quæ inter homines priuatos de re priuata interponitur. atque hæc aut legitima est, aut iuris gentium. l. 5. Legitima est, quæ lege aliqua, hoc est, iure scripto confirmatur l. 6. Quæ quidem diuiditur in pactum legitimum. d. l. 6. d. l. iurisgentium. §. si paciscar ne operis. l. si tibi. 17. §. 1. & 2. & contractum iuris ciuilis, qualis est stipulatio. Institut. de action. §. de constituta. Conuentio iuris gentium similiter diuiditur in pactum nudum, & contractum iuris gentium: atque hic contractus in innominatum & nominatum subdiuiditur. d. l. iurisgentium. III. Conuentio vel fit verbis, vel re, vel per epistolam, vel per nuncium. IV. Vel fit inter absentes, vel inter præsentes. V. Vel est tacita, vel expressa. l. 2. Hæc de consensu & cõuentione dicta sufficiant. ¶ Iam dicamus spe- 4
cialiter de pactis. Pactum & pactio, quamuis re idem sint, tamen ratione differunt. dum enim fit, pactio: cùm factum est, pactum propriè dicitur. quapropter pactum rectè à pactione denominatur. l. 1. §. 1. Vtrumq; autẽ dicitur esse duorum pluriúmve in idem placitum consensus atque conuentio, d. l. 1. §. & est pactio. & ff.

de pol

BIU Cujas

de pollicit. l. 3. in princ. Intellige nudam conuentionem de re aliqua danda, vel facienda, quas differen-
5 tias si addas, pacti definitionem perficies. ¶ Pacti diuisiones multæ sunt. I. Aut est pactum publicũ, quod propriè dicitur fœdus: aut priuatum, quod in legitimum & iurisgentium subdiuiditur. l. 5. Legitimum est, quod lege confirmatur, vt furti, iniuriarum. d.l.5. d.l. iurisgentium. §. si paciscar ne operis. d.l. si tibi. Pactum iurisgentium aut est nudum pactum, quod per se subsistit: aut lex contractus, quæ inest contractu. d.l.iurisgentium. §.quinimmo. & ĩ. de contrah.empt. l.fundi.79.& C.h. t. l.legem.10. & de pact. conuent.l. 1. Sed quia suprà dixi, pactum, & pactum nudum, esse synonyma; hîc autem pactum nudum facio speciem pacti: sciendum est, pactum nudum vocari; vel quia causâ vacat, in qua significatione distinguitur à contractu, & complectitur omnia pacta; vel quia solum est, hoc est, non coheret contractui, in qua significatione est species pacti. II. Aut est expressum, aut tacitum.l.2.3.4. III. Quoddam est pactum in rem, quod generaliter fit veluti ne petatur: quoddam in personam, seu personale, quod personam non egreditur, adeo vt nequidem ad heredem transeat: veluti ne ego à te petam, sed ego ab herede tuo petere possim, & heres meus etiam à te petere possit. l. iurisgentium.7. §.pactorum.l.& heredi.21.in princ. & §.vlt.l.nisi.22.l. idem.25.§.1. quoddam mixtum, quod ex vna parte in rem, ex altera in personam conceptum est, veluti ne ego petam, vel ne à te petatur. l. qui in futurum. 57. IV. Quoddam est generale, quod ad multas: quoddam particulare, quod ad certas res vel obligationes pertinet.l.si vnus.27. §. item ne experiar.l. tres fratres.35. l. emptor.47. §. Lucius. V. Quoddam est obligatorium, quod obligationem constituit: quoddã liberatorium, quod obligationem infirmat.l.si tibi.17.§.1. quoddam transactionis causâ de re dubia factum, vt de lite. C. de transact.l.quamuis.39.aut de fideicommisso conditio-
6 nali. C.eod.l.de fideicommisso.11.& h.t.l.1.l.cùm proponas filios.16. ¶ Pacta valent I. Iure naturali.l.1.in princ.& ĩ. de pecun.constit.l.1. in princ. II. Iure prætorio.d.l.1.in pr.l. iurisgentium. §. ait.prætor. III. Iure
7 ciuili, si lege, aut senatusconsulto, aut principis constitutione confirmentur. ¶ Edictum prætoris de pactis, in hæc verba conceptum est: *Pacta conuenta, quæ neque dolo malo, neque aduersus leges, plebiscita, senatusconsulta, edicta Principum, neque quò fraus cui eorum fiat, facta erunt, seruabo.* d.l. iurisgentium. §. ait prætor. Seruat prætor non solùm pacta iurisgentium, sed etiam legitima. sæpe enim confirmat ius ciuile. s̃. de iust. & iu. l.7. Institut.de bon. poss. §.1. vnde ciuiles quoque actiones proponit. ĩ. si pars hered. petat.l.1.& ĩ. commod. l. 1. in princ. Seruat, inquam, quandoque data actione ex pacto, quandoque data actione informata à pacto, quandoque data exceptione, quandoq; negata actione. tot enim sunt vires pacti.l.6.l.7.§. sed cùm nulla. §. quinimmo. totidémq; significationes verbi *seruare.* ĩ. fam.ercisc.l.inter.44.§.1.& de acquir.rer.domin.l. statuas 41.& C.h.t.l.legem.10. & de pact.conuent.l.1.

XV. *De transactionibus.*

1 SExta vadimonium deserentis excusatio est propter transactionem. s̃. si quis caution. l. 2. nam & ante cautionem iudicio sisti præstitam facta transactio, vocatum in ius excusat, quominùs in ius ire cogatur. s̃.
2 de in ius vocan.l. neque.22.§.1. ¶ Transigi dicitur, si latiùs hoc verbum accipiatur, quotiescumque res aliqua absoluitur & ad exitum perducitur. s̃.tit. prox.l.1. §.conuentionis.& ĩ. de verb.signif.l.transacta.229. sed transactio propriè accepta, est conuentio. C.h.t.l.cùm proponas. 17. l. si quidem. 24. non gratuita. C. eod. l. transactio.38.& de repud.hered.l.3. de re dubia vel litigiosa.h.t.l.1.& C.eod.l.2. ¶ Diuiditur multis mo- 3
dis. I. Vel fit nudo pacto; veluti si quis paciscatur de lite non persequenda.l.2.& C.eod.l. vt responsum.15. l. cùm proponas.17. vel stipulatione Aquiliana, quæ nouat obligationem dubiam & controuersam, ipsáq; per acceptilationem tollitur. l.2.4.& 5. & C. eod.l.4. vel contractu innominato, veluti do vt à lite discedas. C.eod.l.si pro fundo.33.trado tibi bona vt à lite discedas. C.eod. l. 6. Potest etiam nudo pacto, vel contractui addi stipulatio Aquiliana. C. eod.l.3. & d.l.vt responsum. vel stipulatio pœnalis, vt is, qui fidem transactionis rumpet, in pœnam incidat. C.eod.l.promissis. 37. vel vtraque stipulatio, tam Aquiliana, quàm pœnalis, l. pacto.15. II. Aut est generalis, quæ ad bono- 2
rum vniuersitatem, vel ad omnes controuersias pertinet.l.non est ferendus.12.& C.eod.l. sub prætextu.29. aut particularis, quæ de re certa fit. l. qui cum tutoribus.9.& C. eod.l.si de certa.31. III. Aut est pura, aut conditionalis. C.eod.l.si super.9. IV. Aut est iudicialis, aut extraiudicialis. C.eo.l.siue apud acta.28. V. Aut fit in scriptis, aut sine scriptis. C. eod. l.5. & d. l. siue apud acta. VI. Aut est iurata, aut non iurata. C. eod.l. si quis maior.41.

LIBER TERTIVS.

TIT. I. *De postulando.*

DE magistratuum iudiciis tractantes, primo 1
loco ipsorum magistratuum officium & iurisdictionem, deinde horum iudiciorum formam & progressum exposuimus: hoc autem libro, de iis, qui coram magistratibus litigant, verba facturi, ab his, qui postulare dicuntur, incipiamus. ¶ Postulare, 2
vt Vlpianus definit, est desiderium suum, vel amici sui, in iure, apud eum, qui iurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. l.1 §.1. & ĩ. de dam. infec. l.4. §. hoc autem. ¶ Ex hac definitione 3
statim colliguntur duæ diuisiones. I. Quidam pro se, quidam pro aliis postulant: quorum illi, domini litis: hi, aduocati, patroni, causidici, togati, oratores passim appellantur. II. Tam actio, quàm exceptio, postulationis verbo continetur. ¶ Sed ne quiuis sine dele- 4
ctu ad postulandum admitteretur; prætor suæ dignitatis tuendæ, & decoris sui causâ, edictum proposuit, quo tres hominum ordines complexus est, quosdam in totum postulare prohibens, nonnullis tantùm per se postulare permittens, aliis pro se, & pro certis dumtaxat personis postulare permittens. l. 1. in princ. Reliqui hoc edicto non comprehẽsi, tam pro se quàm pro aliis omnibus postulare possunt, exceptis iis, qui aut iure ciuili à postulando remouentur. d. l.1.§. item senatusconsulto.& C.eod.l.2.6. & vlt.& qui legit.perso. stan. in iudic.to.tit. aut sententiâ iudicis prohibentur.l.puto.6.l.Imperator.8. & C. eod.l.1.& ĩ. de pœn. l.moris.9. Si quis aduersus ea fecerit, non solùm à postulando repellitur, sed etiam extra ordinem arbitrio iudicis pecuniariâ pœnâ multatur.l.1.§.qui aduersus.

II. *De his, qui notantur infamiâ.*

INter eos, qui postulare pro aliis prohibentur, infa- 1
mes enumerantur. s̃. tit. prox.l.1.§.secundo loco.§. remouet.& §.ait prætor. ¶ Infamiam definio, existi- 2
mationis læsionem. C.h.tit.l.si furti.8. Existimatio est dignitatis illæsæ status, legibus ac moribus cõproba-

tus,

BIU Cujas

tus. ĩ. de extraordin. cognit. l. pen. §. existimatio. Idcirco infames, integræ dignitatis hominibus opponuntur. C. de re milit. l. 3. ¶ Infamia propriè dicitur, quæ est iuris: alia est infamia facti, quæ non iure, sed re tantùm & opinione hominum infamem facit. ĩ. de obseq. l. 2. immò non propriè infamem facit, sed pudorem dumtaxat apud bonos & honestos viros onerat. l. ob hæc. 20. & C. eod. l. ea quæ. 13. l. verbum. 17. l. interlocutio. 19. ¶ Infamia iuris partim edicto prætoris irrogatur. l. 1. partim iure ciuili. ſ. tit. prox. l. 1. §. ait prætor. & C. de transact. l. si quis maior. 41. partim sententiâ iudicis. l. quid ergo. 13. §. ex compromisso. & paragraphis sequentibus.

III. *De procuratoribus, & defensoribus.*

INfames, vt suprà diximus, aduocati munere fungi nequeunt, quoniam aduocati officium nobile est, vt Doctores colligunt ex l. 7. C. de postul. infames autem ab omnibus dignitatibus arcentur. C. de decurio. l. ne quis. 38. & de dignit. l. 2. sed procuratores fieri non prohibentur. Institut. de except. §. vlt. quia vile & abiectum est procuratorum munus. C. de decurion. l. si quis procurationem. 24. Attamen perquàm necessarius est vsus procuratorum: vt qui rebus suis superesse vel nolunt vel non possunt, per alios possint agere vel conueniri. l. 1. §. vsus. ¶ Procurator est, qui aliena negotia mãdato domini administrat. d. l. 1. in pr. nam si mandato caret, dicitur quidem procurator. ĩ. de negot. gest. l. si ego. 24. & de solut. l. si quis offerenti. 58. & rat. rem habe. l. si sine. 22. §. quòd si procurator. & l. vlt. non tamen verus procurator. ĩ. de indic. l. licet. 56. & quod ius. l. 1. in fin. sed falsus procurator. ĩ. rat. rem habe. l. 3. §. vlt. & de furt. l. falsus. 43. §. 1. l. si iussu. 44. in pr. & C. h. t. l. licet. 24. & de furt. l. falsus. 19. est enim potiùs negotiorum gestor, quàm procurator. ĩ. de negot. gest. l. 2. ¶ Quod ad diuisionem attinet, I. Alius est procurator generalis omnium bonorum, alius specialis, vt vnius rei. l. 1. §. 1. l. procurator cui. 58. cum duabus ll. seqq. l. procurator totorum. 63. & ĩ. iud. sol. l. 3. §. 1. II. Alius est procurator ad lites, alius ad negotia (subaudi extraiudicialia) l. seruum. 33. in princ. l. mutus. 43. in princ. III. Alius est procurator in rem alienam, qui in alterius vtilitatem administrat: alius in rem suam, qui in suam vtilitatem, quasi dominus administrat. d. l. seruum. §. vlt. l. si quis in rem. 34. l. procuratore. 55. IV. Alius est procurator actoris, alius procurator rei. l. 1. & passim. quorum ille nomen generis retinuit; hic propriè defensor appellatur. l. filiusfam. 8. l. minor. 52. l. vlt. & ĩ. de iudic. l. rectè. 63. & de re iudic. l. si cum procuratore. 23. & de except. rei iud. l. si mater. 11. §. hoc iure. Hac igitur ratione angustius est defensoris verbum, quàm procuratoris. item quia procurator dicitur tam in iudicio, quàm extra iudicium. d. l. seruum. in prin. defensor in iudicio tantùm. l. minor. 51. & ĩ. de iudic. d. l. rectè. sed alia ratione latiùs patet: quia procurator sine mandato non est verus procurator, vt suprà exposui; defensor verò æquè dicitur etiamsi mandatum non habeat. l. si procurator. 28. l. Pomponius. 40. §. sed & is. & C. de iureiuran. propt. calumn. l. 2. §. sin autem abfuerit. ¶ Defendere, est id facere, quod dominus in litem faceret, & idoneè cauere. l. sed & hæ. 35. §. defendere. id est, satisdare iudicatum solui. Aut, eandem vicem, quam reus, subire. l. minor. 51. Aut, iudicium vel per se, vel per alium cum satisdatione (sub. iudicatum solui) accipere. d. l. rectè. ¶ Defensor aut est necessarius, qui scilicèt actionem sibi dari postulauit nam qui nomine alieno agit, eum inuicem conuentum defendere tenetur. l. seruum. 33. §. ait prætor. aut voluntarius, qui sponte ad defensionem accedit. C. eod. l. inuitus. 17. & de negot. gest. l. tutori. 20. & ĩ. eod. l. liberto. 31. §. litem. Necessarium sic accipe; non quia districtè cogatur defendere; sed quia, nisi defendat, denegatur ei actio. l. mutus. 43. §. pœna. ¶ Erat olim & alia diuisio: quia procurator dicebatur absentis, cognitor præsentis. Festus in verbo *cognitor*. Ania. in l. si lite. 7. C. Th. de cogn. & procur. Sed Iustinianeum ius cognitores non admisit, vt apparet ex l. si quis 38. §. si quis. ĩ. de pœn. collata cum §. si quis. l. 5. sentent. Pau. tit. 25. ¶ Nouissimè sciendum est, inter dominum & procuratorem, si mandatum interuenerit, mandati actionem nasci. l. licèt. 42. §. ea obligatio. l. qui proprio. 46. §. procurator. & ĩ. manda. l. qui mutuam. 56. §. vlt. Si merces constituta fuerit, actionem locati conducti. ĩ. eod. l. 1. in fi. & Instit. eod. §. vlt. Si nec merces sit constituta, nec gratis procurator gerat, sed tantum accepturus, quantum postea inter ipsum & dominum conuenerit, actionem præscriptis verbis, tamquam ex contractu innominato. ĩ. de præscript. verb. l. si tibi polienda. 22. Instit. de locat. §. qua de causa. Si quis autem domino ignorante ad administrationem accesserit, dari actionem negotiorum gestorum. l. si quis cum. 31. & ĩ. de negot. gest. l. 2. Institut. de obligat. quæ qua. ex contra. §. 1. de quibus actionib. dicetur infrà suis locis.

IV. *Quod cuiuscumque vniuersitatis nomine, vel contra eam agatur.*

PRocuratoris officio fungitur, qui pro vniuersitate interuenit, siue vniuersitatis nomine agat, siue conueniatur. l. 6. §. actor. ¶ Vniuersitatem definio corpus ex distantibus personis. quam definitionem colligo ex l. in rem. 23. §. item quæcumque vers. at in his ĩ. de rei vindicatione. & l. rerum. 30. in prin. ĩ. de vsurpat & vsuc. In vno igitur constitui vniuersitas non potest: quamquam, si vniuersitas ad vnum recidat, placuit ius omnium ab eo retineri, & stare nomen vniuersitatis. l. 7. ¶ Vniuersitatum varia sunt genera, veluti ciuium, publicanorum, nauiculariorum, pistorum: & varia nomina, vt societas, collegium, ciuitas. l. 1. Hi quoque qui pro vniuersitate interueniunt, variis appellantur nominibus: modò namque syndici, modò defensores, modò magistri vniuersitatis vocantur. d. l. 1. §. quibus & passim. & ĩ. rat. rem habe. l. actor. 9. & de muner. l. vlt. §. defensores.

V. *De negotiis gestis.*

PRocuratori adeo similis est negotiorum gestor, vt quandoque procurator appelletur. sed est falsus procurator: quia mandato caret; cùm verus procurator mandatum habeat, vt ſ. notaui. Quare non ineptè dicere possumus procuratorem esse negotiorum gestorem cum mandato; & negotiorem gestorem esse procuratorem sine mandato. ¶ De negotiorum gestore exstat prætoris edictum, in hæc verba conceptum. *Si quis negotia alterius, siue negotia, quæ cuiusque; cùm is moreretur, fuerint, gesserit: iudicium eo nomine dabo.* l. 3. in pr. ¶ Ex hoc edicto non solùm actio, sed etiam compensationis exceptio oritur. d. l. 3. §. pupillus. l. si autem. 8. §. si quocumque. ¶ Est autem hæc actio prætoria, arg. l. actio 47. (nec obstat l. in commodato. 17. §. sicut. ĩ. commoda. quoniam ciuile ibi dicitur, quod à naturali & gentium distinguitur, & sub se prætorium continet, vt & in l. 6. ſ. de iustit. & iu.) bonæ fidei. l. quia tantundem. 7. l. qui sine. 38. & ĩ. de obligat. & act. l. 5. in prin. Instit. de obligat. quæ qua. ex contra. §. 1. ex quasi contractu. d. l. 5. in pr. d. §. 1. propterea

heredi & in heredem competit. l. 3. §. hæc autem. l. succeſſori. 12. Ei verò datur, cuius intereſt. l. actio. 47. in
4 prin. ¶ Diuiditur. I. In directam & vtilem. d. l. actio. Illa datur ex verbis edicti: hæc ex interpretatione; veluti ſi quis non ſponte, ſed neceſſitate coactus, vel neceſſitatis ſuſpicione geſſit. C. h. t. l. curatoris. 17. l. tutori. 20. & arbitr. tut. l. 1. Inſtit. de oblig. quæ qua. ex contr. d. §. 1. aut ea geſſit, quæ poſt mortem rebus hereditariis acceſſerunt. l. 3. §. hæc verba. verſ. ſed ſi quid. II. In directam, quæ datur domino contra goſtorem, vt rationem adminiſtrationis reddat; & contrariam, quæ geſtori aduerſus dominum competit, vt dominus eum indemnem conſeruet, reſtituens, quicquid ei ob negotia geſta abeſt, vel abfuturum eſt. l. 2. l. ſi quis mandatu. 28. Inſtit. de oblig. quæ qua. ex contra. d. §. 1.
5 ¶ Obiter obſerua, actionem directam eſſe verbum homonymum: quia in alia ſignificatione opponitur actioni vtili, in alia opponitur actioni contrariæ. Et his addi poteſt alia ſignificatio, qua actio directa accipitur pro actione principali, & opponitur actioni præparatoriæ. C. de crim. expil. hered. l. 1.

VI. *De calumniatoribus.*

1 NVnc admonendi ſunt aduocati, procuratores, & ceteri, de quibus ſuprà dictum eſt, ne calumnien-
2 tur. ¶ Calumniator in genere eſt, qui per fraudem & fruſtrationem aliquem lite vexat. ff. de verb. ſignif. l. ſi caluitur. 233. vel, qui ſciens prudens per fraudem negotium alicui facit. Paulus lib. 1. ſentent. tit. 5. in qua ſignificatione verbum accipitur à Paulo in l. 6. §. vlt. ff. ad Turpil. & à Iuſtiniano in principio procœmij Inſtitutionum. ſed coarctatur hæc lata ſignificatio ad ſubiectam materiam. nam alibi calumniator appellatur, qui falſa crimina ſciens intendit. ff. ad ſenatuſconſ. Turpill. l. 1. §. 1. In hoc autem edicto calumniator dicitur, qui pecuniam accepit, vt negotium alicui faceret, vel non faceret. l. 1. in princ. & l. penult.
3 ¶ In hunc intra annum in quadruplum eius pecuniæ quam accepiſſe dicetur, poſt annum in ſimplum, in factum actio competit. d. l. 1. in princ. Et cùm accepit: ſiue negotium deinde fecit, ſiue non fecit, tenetur. l. 3. §. 1. Hoc iudicium non ſolum in pecuniariis cauſis, ſed etiam in criminalibus locum habet. d. l. 1. §. 1. Nec datur ei qui pecuniam dedit, vt calumniam aliquis pateretur: ſed ei, propter quem datum eſt, vt calumnia ei fieret. verbi gratiâ, ſi tibi pecuniam dedi vt vexes Titium; hæc actio non mihi, ſed Titio competit. d. l. 3. §. illud. Heredi non competit: quia ſufficere ei debet, quòd pecuniam à defuncto datam poteſt condictione ob turpem cauſam repetere. l. 4. In heredem in id datur, quod ad eum peruenit. l. 5.

LIBER QVARTVS.

TITVLVS I.

De in integrum reſtitutionibus.

1 HIVS tractatus, qui de magiſtratuum iudiciis eſt, quatuor ſunt partes: quarum prima eſt de ipſis iudicibus, altera de ordine & progreſſu iudicij tertia de litigatoribus, vltima de iis rebus ſeu cauſis, de quibus magiſtratus cognoſcunt, vt reſtitutionibus in integrum. l. 3. & 5. Quoniam igitur cetera expoſuimus: nunc de in integrum reſtitutionibus agamus.
2 ¶ Reſtituere eſt in priſtinum ſtatum reducere. ff. ne quid in lo. publ. l. 2. §. reſtituas. Reſtitutionem in integrum Paulus lib. 1. ſentent. tit. 7. in princ. definit redintegranda rei vel cauſæ actionem. Iſidorus verò lib. 5. etymologiarum, cap. 15. cauſæ vel rei reparationem. Ex quibus definitionibus conſtat, reſtitutionem in integrum à Paulo conſiderari, quatenus petitur: ab Iſidoro autem, quatenus à magiſtratu conceditur. ¶ Diui- 3
ſiones plures afferri poſſunt. I. Alia eſt reſtitutio ex ſpeciali aliquo edicto, vt propter metum, vel dolum: alia ex generali clauſula. l. 1. & 2. ff. ex quib. cauſ. maior. l. 1. l. ſed etſi per prætorē. 27. §. vlt. II. Alia eſt in rē, vt quod metus cauſa. ff. tit. prox. l. 9. §. vlt. & l. itē ſi cum exceptione. §. in hac. alia in perſonam, vt de dolo. ff. de dolo. l. ſed ex dolo. 15. §. vlt. ita diuidit Paulus li. 1. ſent. tit. 7. III. Reſtitutio tribuitur vel extraordinariâ prætoris cognitione, vt ex tit. de minorib. ff. de minor. l. quòd ſi minor. 24. §. vlt. vel datâ actione, vt quod metus cauſa. ff. tit. prox. d. l. 9. §. pen. d. l. item ſi cum exceptione. §. 1. & §. hæc autem. ¶ Hæc generaliter dicta 4
ſint de in integrum reſtitutionibus: Deinceps ſingulas reſtituendi cauſas ſpecialiter explicemus.

II. *Quod metus cauſa geſtum erit.*

PRima reſtituendi cauſa eſt metus, de qua agitur 1
hoc titulo, cuius inſcriptio ſumpta eſt ex primis verbis edicti. Ait enim Prætor, *quod metus cauſa geſtum erit, ratum non habebo.* l. 1. ¶ Metum Ariſtot. 3. 2
Ethic. cap. 4. definit προσδοκίαν κακοῦ, id eſt, mali exſpectationem. ¶ Metum verò in hoc edicto accipere 3
debemus, non quemlibet timorem, ſed alicuius maioris mali. l. 5. nec vani hominis, ſed qui meritò in hominem conſtantiſſimum cadat. l. 6. eúmque præſentem, non eius inferendi ſuſpicionem. d. l. 9. ¶ Non 4
habet ratum prætor: quia metum paſſo dat & actionem, & exceptionem quod metus cauſa; ſiue res perfecta ſit, ſiue imperfecta. d. l. 9. §. ſed quod prætor. quinimmo volenti dat etiam priſtinam actionem, quæ ante metum illatum competebat. d. l. 9. §. volenti. non tamen vt vtraque actione vti poſſit, id eſt, actione priſtina per metum ſublata, & actione quod metus cauſa. nam vnâ electâ, altera conſumitur. d. l. 9. §. licet. ¶ Hæc actio quod metus cauſa damnum exigit. l. ſed 5
& partus. 12. §. vlt. nec datur ei, cui nihil abeſt. l. item ſi cum exceptione. 14. in pr. cúmque in rem ſcripta ſit, non ſolùm datur aduerſus eum, qui metum intulit, ſed etiam contra quemlibet alium, qui commodum inde ſenſit. d. l. 9. §. vlt. d. l. item ſi cum exceptione. §. in factum. Qui igitur vim admiſit, iubetur reſtituere, etiamſi ad alium res peruenerit. is verò, ad quem res peruenit, tenetur eam reſtituere etiamſi alius metum fecerit. d. l. item ſi cum exceptione. §. Pedius. ¶ Porrò 6
hæc actio datur intra annum in quadruplum, poſt annum in ſimplum. eâdem l. §. 1. In quadruplo ſimplum eſt, ita vt res reſtituatur, & pœna tripli ſit. ead. l. §. quatenus. Quadruplatur autem, quicquid reſtitui oportuit. ead. l. §. 1. & §. quadruplatur. & §. vltim. & cùm actio arbitraria ſit, pœnam vitabit reus qui metum fecit, ſi ante ſententiam definitiuam, rem reſtituat ead. l. §. 1. & §. hæc autem actio. Simpli actio, quæ poſt annum competit, non ſemper datur, ſed cauſâ cognitâ, hoc eſt, ſi alia actio non ſit. ead. l. §. 1. & 2.

III. *De dolo malo.*

SEcunda reſtitutionis cauſa eſt dolus. hoc igitur 1
edicto prætor dolo captis ſuccurrit. Verba edicti hæc ſunt: *Quæ dolo malo facta eſſe dicentur, ſi de his rebus alia actio non erit, & iuſta cauſa eſſe videbitur: iudicium dabo.* l. 1. in princ. ¶ Dolus duplex eſt: bonus, & malus. Do- 2
lus

BIU Cujas

lus bonus est solertia: velut i si quis aduersus hostem vel latronem aliquid machinetur.d.l.1.§.non fuit.Dolus malus vt rectè Labeo definit reiectâ Seruij definitione(est omnis calliditas,fallacia, machinatio ad circumueniendum fallendum, decipiendum alterum ad-
3 hibita.d. l.1.§. dolum. ¶ Quod ait prætor, *si alia actio non erit*, sic accipiẽdum est, si res alio modo ei ad quem pertinet,salua esse non potest.l.7.in pr. nam & qui exceptione tutus est,actionem de dolo non habet: quia cùm famosa sit hæc actio, non temerè concedi debet. d. l. 1. §.ait prætor. Sed etsi dubitetur, an alia actio sit,
4 hæc actio competit.d.l.7.§.3. ¶ Hæc actio olim intra annum vtilem,hodie intra biennium cõtinuum competit. C. eod. l. vltim. post quod tempus datur actio in factum perpetua. l. itaque. 28. in princ. Similiter in heredem eius qui dolum commisit, perpetuò datur actio non famosa, quatenus ad eum peruenit,vel dolo eius factum est quominùs peruenirent.l. si plures. 17.§. hęc actio.l.in heredem.26.cum tribus legib.sequentib.
5 ¶ Quod ad libellum formandum attinet,in hac actione designari oportet, cuius dolo factum sit; quamuis in actione quod metus causa non sit opus exprimere, quis metum intulerit.l.sed & ex dolo. 15. §. vlt. Item comprehendi debet, quid dolo malo factum sit: scire enim debet actor, qua in re sit circumscriptus, nec in
6 tanto crimine vagari.l.item exigit.16. ¶ Exitus huius iudicii est,vt,nisi arbitrio iudicis fiat restitutio, sequatur condemnatio quanti ea res est. Ideo autem & hîc, & in metus causa actione, certa quantitas non adiicitur, vt possit propter suam contumaciam tanti reus condemnari,quanti actor in litem iurauerit.sed officio iudicis debet in vtraque actione iusiurandum taxatione refrænari. l. arbitrio. 18. in princ. Non tamen semper in hoc iudicio arbitrium iudicis locum habet.nam si manifestum sit,restitui non posse,protinus condemnatio fit in id quod actoris interest. d. l. arbitrio. §.1.

IV. *De minoribus vigintiquinque annis.*

1 TErtia institutionis causa proponitur hoc titulo: quo prætor naturalem æquitatẽ secutus, tutelam minorum vigintiquinque annis susceptt, sciẽs fragile esse & infirmum huius ætatis consilium, & multis captionibus suppositum, multorumque insidiis expositum; post hoc verò tempus virilem vigorem impleri.
2 ¶ Quocirca sic edixit: *Quod cum minore quàm viginti quinque annis natu gestum esse dicetur: vti quæque res erit,*
3 *animaduertam.* l. 1. ¶ Minorem dicimus etiam die natalis sui, ante horam, qua natus est, computatione temporis à momento in momentum,id est,ab hora in horam, facta proinde etsi bis sexto quis natus sit, siue priore siue posteriore die, nihil refert, nam illud biduum pro vno die habetur, & posterior dies intercalatur.l.3.§. minorem. ¶ Gestum autem sic accipimus,
4 qualitercumque gestum sit,id est, siue contractum sit,
5 siue quid aliud contigit. l. 7. ¶ Ait prætor, *vti quæque res erit*: quia restitutio non fit nisi causâ cognitâ. l. verum. 11. §. sciendum. l. non omnia. 44. & s̃. de in
6 integr. restitut. l. 3. ¶ Ait *animaduertam*, cognitione scilicèt prætoria. nam ex hoc edicto nulla propriè actio vel cautio proficiscitur, sed totum pendet ex cognitione prætoris. l. quòd si minor. 24. §. vltim.
7 ¶ Iam verò duæ sunt huius restitutionis causæ, videlicèt si minor sit ab alio circumuentus, vel sua facilitate deceptus & ætatis lubrico lapsus.d.l.1.in princ. d.l.non omnia. Si quid autem fato contigit,quod cuiuis patrifamiliâs quamuis diligentissimo possit contingere; verius est, cessare restitutionem. l. verum. §. item non restituitur. & §.seq. & d.l. quòd si minor. §. non semper. Item in delictis restitutio locum non habet. l. si ex causa. 9. §. nunc videndum. l. auxilium.37. Cessat etiam restitutio, cùm minor mandato alterius gessit. l. cum mandatu. 23. & cùm actus ipso iure non valet; quamuis cum aliis actionibus hoc restitutionis remedium concurrat.l.in causas. 16. & cùm maior factus probauit, quod in minori ætate gessit.l. 3.§. 1. & C.si mai.fa.to.tit. ¶ Tempus huius in integrum re- 8
stitutionis olim erat annus vtilis, hodie est quadriennium continuum. C. de tempor.in integ. restit. l. vlt. quod tempus currit post vicesimum quintum annum completum,nisi per aduersarium stetit, quominùs res finem accipiat. l.intra.39.in princ. Successori minoris tantum temporis cõceditur,quantum defunctus mortis tempore habuit, nisi & successori minor ætas subueniat. nam hæres minor viginti quinque annis ex sua persona legitimum tempus post perfectam ætatem habebit; quoniam hoc ipso deceptus videtur, quòd cùm posset intra tempus statutum ex persona defuncti restitui, hoc non fecit. l.interdum.19. ¶ Im- 9
petrata restitutione minor vti non cogitur: quia licet vnicuique contemnere,quæ pro se introducta sunt. l. si iudex.41.

V. *De capite minutis.*

QVarta restitutionis causa est capitis deminutio. 1
nam si debitor capite minuatur, actio, quæ contra eum competebat, stricto iure extinguitur, sed hoc edicto à prætore restituitur. ¶ Ait prætor, *Qui quæve* 2
postea quam quid cum his actum, contractúmve sit, capite deminuti, deminutæ esse dicentur, in eos eásve perinde quasi id factum non sit,iudicium dabo. l.2.§.1. ¶ Capitis demi- 3
nutio est status permutatio. l. 1. vnde quia status tres sunt partes, libertas, ciuitas, familia: tres etiam sunt species capitis deminutionis: maxima, cùm libertas amittitur, proinde etiam ciuitas, & familia amittuntur: media,cùm ciuitas,consequenter & familia amittitur,libertas retinetur: & minima,cùm tantùm familia mutatur.l.vltim. & Instit. eod. tit. Hoc autem edictum pertinet ad minimam capitis deminutionem. nam qui ciuitatem, aut etiam libertatem amiserunt, conueniri non possunt.d.l.2.in prin. Item in his, quæ post capitis deminutionem cõtracta sunt, locum non habet.d.l.2.§. hi qui. Neque in delictis.d.l.2.§.nemo. ¶ Hoc iudicium cùm sit rei persecutoriũ, perpetuum 4
est,& in heredes,& heredibus datur.d.l.2.§.vlt.

VI. *Ex quibus causis maiores viginti quinque annis in integrum restituuntur.*

QVinta restituendi causa est absentia, vel vincula, 1
vel seruitus, vel alia similis: ex quibus causis prætor maioribus,& contra maiores succurrit, ne huiusmodi casus eis obsint,vel prosint. l. 1.in pr. ¶ No- 2
tandum I. Duabus hoc edictum constare partibus: quarum prior specialiter loquitur de absentibus,& iis qui in vinculis, vel seruitute, vel hostium potestate sunt: Posterior est generalis, & omnes alias causas edicto non expressas complectitur. d. l.1. §.1. Notandum II. Priorem huius edicti partem minùs esse in vsu; quia personis in ea parte expressis extraordinem ius dici solet ex senatusc̃onsultis, & principalibus constitutionibus. l. 2. Notandum III. Prætorem his personis restitutionem polliceri intra annum, id est,intra annum vtilem. Sed hodie ex Iustiniani constitutione pro anno vtili est quadriennium cõtinuum.C.de tempor.in integ.restit. l.vlt. Notandum IV. Prætorem in dicta generali clausula non polliceri restitutionem ita

BIU Cujas

demum, si leges permittant: sed ita polliceri, nisi leges prohibeant. l. nec non. 28. §. 1.

VII. *De alienatione iudicij mutandi causâ factâ.*

1 SExta restitutionis causa est alienatio iudicij mutan-
2 di causâ facta. ¶ Hoc edictum propositum est, ne
3 cuius deterior causa fiat ex alieno facto. l. 1. ¶ Verba autem edicti Baro hîc, & lib. 1. Manualium, sic restituit: *Ne qua alienatio iudicij mutandi causa fiat. si quo dolo malo cessio, quæve alienatio iudicij mutandi causâ facta fuerit, neque arbitrio iudicis prioris iudicij causa restituatur: ei ad quem ea res pertinebit, in eum qui id fecisse dicetur, quanti ea res erit, intra annum quo primùm experiundi*
4 *potestas erit, iudicium dabo.* ¶ Prætor igitur restitutionem fieri iubet. l. 3. §. ex quibus. & C. eod. l. vn. & nisi restitutio fiat, actionem dat ex hoc edicto. d. l. 1.
5 d. l. 3. §. ex quibus. l. ex hoc. 8. in princ. ¶ Sed vt hæc actio competat, multa requiruntur. I. Vt alienatio siue dominij siue possessionis facta sit inter viuos, non in vltima voluntate. l. 4. §. Pædius. d. l. ex hoc edicto. §. alienare. II. Vt facta sit iudicij mutandi causâ. d. l. 4. §. potest. III. Vt facta sit dolo malo. d. l. 4. §. 1. & §. si quis autem. IV. Vt interfit eius qui vult agere. d. l. 3. in fin. d. l. 4. §. penult. V. Vt tempus, intra quod competit,
6 non sit elapsum: de quo mox dicam. ¶ Hæc actio est in factum in id quod interest. d. l. 1. d. l. 4. §. vlt. & respectu actoris non est pœnalis, sed rei persecutoria: respectu autem rei est pœnalis: & ex eius delicto, id est dolo datur. propterea heredi competit: non tamen in heredem, neque post annum datur. d. l. 4. §. vlt. cum tribus lll. seqq. vbi quod dicitur de anno, intelligendum est de anno vtili, vt in ceteris restitutionibus. quare puto ex l. vlt. C. de tempor. in integr. restit. hanc actionem hodie dari intra quadriennium continuum.

VIII. *De receptis, qui arbitrium receperunt vt sententiam dicant.*

1 HActenus de magistratibus & eorum iudiciis dic-
2 tum est: sequitur, vt de arbitris agamus. ¶ Arbitrorum duo sunt genera: vnum eiusmodi, vt, siue æquum, siue iniquum statuat, parêre debeamus: quod obseruatur, cùm ex compromisso ad arbitrum itum est: alterum eiusmodi, vt ad boni viri arbitrium redigi debeat, etiamsi nominatim persona certa sit comprehensa, cuius arbitratu fiat. ℣. pro soc. l. societatem. 76. Nunc de arbitris ex compromisso sumptis dicendum nobis est: quoniam hoc arbitrium simile iudicio est, & ad finiendas lites pertinet. l. 1. & l. quamuis. 37.
3 ¶ Quia verò hi arbitri de recepto tenentur, id est, ideo tenentur sententiam dicere, quia arbitrium receperunt. l. 3. §. 1. & alij quoque, de quibus seq. tit. dicetur, de recepto tenentur: idcirco huius rubricæ partes duæ sunt: prior generalis, *de receptis*, sub qua etiam sequentis tituli tractatus clauditur: (valeat enim sententia Cuiacij existimantis nullos esse in Pandectis generales titulos) posterior specialis, & arbitrorum propria, *qui arbitrium receperunt, vt sententiam dicant.*
4 ¶ Vt hoc arbitrium valeat, I. Requiritur, vt pœna compromissa sit nisi arbitro pareatur: (siue autem pœna numaria sit, siue alia res pœnæ nomine promittatur, nihil refert. l. litigatores. 11. §. quod dicit. & siue minor, siue maior sit pœna, quam res de qua agitur. l. non distinguemus. 32. in princ. item siue sit certa siue incerta. l. non autem. 28.) aut saltem sententiæ stari promissum sit: quo casu, nisi arbitro pareatur, incerti in id quod interest actio cõpetit. l. diem. 27. §. vlt. II. Requiritur, vt is, in quem compromissum est, arbitrium receperit. Recepisse autem arbitrium videtur, non qui hactenus interuenit, vt experiretur, an consilio suo, vel auctoritate litem discutere posset, sed qui iudicis partes suscepit, finémque se suâ sententiâ controuersiis impositurum pollicitus est. l. Pomponius. 13. 5
§. recepisse. ¶ Porrò compromissum fit aut de mutuis litigantium controuersiis; aut de alterius tantùm controuersiis. Rursus vel fit de vna re seu controuersia, vel de pluribus, vel de omnibus. d. l. Pomponius. §. 1. Hoc, quod de rebus controuersiisque omnibus fit, plenum compromissum vocatur. l. quid tamen. 21. §. plenum. quamquàm in alia significatione plenum compromissum dicitur, quod doli clausulam continet. l. ita demum. 31. §. vlt. & iterum in alia significatione, quod est validum. d. l. litigatores. §. quod ait. ¶ Illud non est 6
ignorandum, vel vnum arbitrum, vel duos, vel plures eligi posse. l. item si vnus. 17. §. item si plures. ¶ His 7
ita constitutis, si nolit arbiter sententiam dicere, à prætore cogitur. l. 3. §. 1. d. l. litigatores. §. 1. nisi ex iusta causa excusetur quominùs sententiam dicere compellatur. sunt autem multæ eiusmodi causæ, quas Iurisconsulti passim hoc tit. declarant. Sed qualem sententiam arbiter dicat, ad prætorem non pertinet, dummodò dicat, quod sibi videtur. l. qualem. 19. in princ. Dicere autem sententiam existimamus eum, qui ea mente aliquid pronunciat, vt secundum id litigatores discedere à tota controuersia velit. d. l. qualem. §. 1. Nec debet sententia litigatoribus absentibus dici. l. diem. 27. §. si quis. Item non debet esse sententia incerta. l. quid tamen. 23. §. Pomponius. nec de qualibet re, sed de ea tantùm, de qua compromissum est, quia non licet arbitro fines cõpromissi egredi. l. non distinguemus. 32. §. de officio. & §. vlt. l. de his. 46. ¶ Dictam 8
sententiam arbiter mutare non potest: quia desiit esse arbiter. quod de sententia definitiua accipiendum est: nam post interlocutionem, cùm maneat arbiter, poterit eam mutare. d. l. qualem. §. vlt. & l. seq. ¶ Arbi- 9
tri sententia non omnino iudicis sententiæ comparatur. ℣. de his qui notant. infam. l. quid ergo. 13. §. pœna grauior. Quod igitur dictum est, arbitri sententiæ standum esse, siue æqua, siue iniqua sit. d. l. diem. §. stari. sic debet intelligi, vt, nisi ei sententiæ stetur, pœna ex stipulatione peti possit. l. 2. aut, si pœna non sit adiecta compromisso, sed simpliciter se sententiæ staturum aliquis promiserit, incerti actione teneatur in id quod interest, vt ℣. notaui ex l. diem. §. vlt. Ceterùm ex arbitri sententia neque actio neque exceptio datur. d. l. 2. nisi partes eam sententiam vel consensu expresso, id est, subscriptione; vel consensu tacito, id est, decem dierum silentio probauerint. C. eod. l. 5.

IX. *Nautæ caupones stabularij vt recepta restituant.*

QVemadmodum arbitri ita & nautæ, caupones, 1
stabularij de recepto tenentur: quia cùm necesse sit plerumque eorum fidem sequi, & res eorum custodiæ committere; nisi hoc esset statutum, occasio eis daretur cum furibus aduersus illos quos recipiunt coëundi: præsertim cùm ad eiusmodi fraudes admittendas maximè sint propensi. l. 1. §. 1. ¶ Ait igitur 2
prætor, *Nautæ, caupones, stabularij, quod cuiusque salum fore receperint, nisi restituent, in eos iudicium dabo.* l. 1. in princ. ¶ Nautæ, caupones, stabularij dicuntur, qui 3
nauem, cauponam, stabulum exercent. d. l. 1. §. qui sunt igitur. & §§. seqq. ¶ Recipi autem res videtur, etiamsi 4
non sint assignatæ. d. l. 1. §. recipit. modò illius negotij occasione, quod exercent, non extra illud negotium accipiant

5 accipiantur. l.3 .§. eodem. ¶ Ergo hi custodiæ nomine tenentur. d. l. 1. in fin. & l. 5. in princ. etiamsi dolo & culpâ careant, nisi quid vi fatali aut maiori contigerit. d. l.3. §. 1. ac factum quoque vectorum aut via-
6 torum præstant. d.l. 1. in fin. l.2. l.3. in princ. ¶ Hæc actio est in factum honoraria. d.l.3.§.1.& cùm rei persecutionem contineat, perpetua est; & tam heredi,
7 quàm contra heredem competit. d.l.3. §. pen. ¶ Iam verò præter dictam actionem hæ personæ etiam ex quasi maleficio propter furtum factum aut damnum datum tenentur ex prætorio edicto, cuius verba in Pandectis non exstant, sed à Barone lib. 1. Manualium sic restituuntur: *Si furtum factum, damnúmve iniuria datum ab eis, quorum opera & ministerio nautæ caupones & stabularij in naue caupona & stabulo vtuntur, esse dicetur: in factum in exercitores cauponas & stabularios in*
8 *duplum iudicium dabo.* ¶ Hæc actio non est de recepto vt superiori, illi tamen similis est. I. Quia est in factum. l. penul. §. in factum. II. Quia non præstatur hac actione damnum extra nauem stabulum vel cauponam datum. l. vlt. §. ceterum. III. Quia hæc actio est perpetua, & datur etiam heredi. d.l.vlt.§. hæc iudicia.
9 ¶ Sed ab illa differt. I. Quia hoc casu tenetur quis suæ culpæ nomine, quòd malis ministris vtatur. d. l. vlt.§. hæc autem. II. Quia hîc non præstatur factum vectorum, aut viatorum. l. pen. §. in. factum. III. Quia hæc actio est in simplum. d.l.vlt.§.hæc actio. IV. Quia
10 in heredem non datur. d. l. vlt. §. hæc iudicia. ¶ Nouissimè sciendum est, de furti actione aduersus prædictas personas ff. lib. 47. tit. 4. specialiter tractari.

IVLII PACII
A BERIGA I. C.
ISAGOGICORVM IN PANDECTAS
PARS II.

LIBER QVINTVS.
TITVLVS I.
De iudicijs, & vbi quisque agere, vel conueniri debeat.

1 DIximvs iudicare senatum, magistratus, arbitros, & iudices propriè dictos, id est, iudices pedaneos, qui nullam iurisdictionem, sed tantùm iudicandi facultatem habent, adeo vt sententiam suam exequi non possint, sed eam executioni mandet prætor qui iudicem dedit. ff. de re iudic. l.à Diuo Pio. 15. in princ. Cùm igitur de aliis sufficienter dictum sit, nunc agemus de iu-
2 dicibus pedaneis, & eorum iudicijs. ¶ Horum iudiciorum præparatoria sunt, quæ hactenus exposuimus. nam ligaturus non adibat statim iudicem, sed prætorem: qui quidem prætor rem expediebat, siue cognitio maior esset, quàm vt iudici pedaneo committi posset, veluti de in integrum restitutione; siue manifestum esset ius actoris, adeo vt prætor illico iuberet reum soluere; siue manifesta esset actoris calumnia, ita vt prætor ei actionem denegaret. Quòd si res iudicis pedanei notionem non superaret, ac dubia esset: prætor iudicem dabat, qui de causa cognosceret, ac pronunciaret. ff. de iureiur. l. nam posteaquam. 9. in pr. Hinc est, quòd omnia superiori parte Pandectarum exposita, id est, non solùm quæ de iure & legibus, & quæ de personis ac rebus, sed etiam quæ de Senatoribus & magistratibus, eorúmque iudiciis dicta sunt, τὰ πρῶτα, id est iuris primordia appellantur. C. de vete. iu. enucl. l. 2. §. igitur. His itaque expositis, iam ad ipsa iudicia enarranda transgrediamur. ¶ Iudicium 3
est inter actorem & reum coram iudice controuersia, quæ per eundem iudicem cognoscitur & dirimitur.
¶ Sunt autem iudicia ideo constituta, vt sint legiti- 4
mum & publicum vnicuique præsidium, ne quis per semetipsum, sed per iudicem ius suum repetat. l. Iulianus ait. 17. l. quippe. 78. & ff. quod met. cau. l. extat. 13. & C. de Iudæ. l. nullus. 13. ¶ Iudiciorum præpa- 5
ratoria sunt vocatio in ius, libelli siue actionis editio, & si qua alia ante litem contestatam fiunt. Principium est litis contestatio. ff. rat. rem. habe. l. amplius. 15. & C. de lit. contestat. l. vn. Finis est sententia definitiua, per quam controuersia finem accipit. ff. de re iudic. l. 1. & l. iudex. 55. Media sunt, quæ inter litis contestationem & sententiam definitiuam sunt interiecta, vt probationes, & iudicis interlocutiones. Consequentia sunt, quæ iudicium finitum, id est sententiam definitiuam sequuntur, vt sententiæ executio, vel appellatio. ¶ Iudiciorum diuisiones multæ sunt: sed hæ, 6
quas subiiciam, maximè huic loco cõueniunt. I. Aliud est iudicium ciuile, quod est iure ciuili constitutum: aliud prætorium, siue honorarium, quod edicto prætoris constitutũ est. Inst. de action. §. sed istæ. II. Aliud est directum ex verbis legis vel edicti, aliud vtile ex mente & interpretatione. III. Aliud est iudicium bonæfidei, aliud stricti iuris, aliud arbitrarium. Bonæfidei est; ex cuius natura iudici permissum est statuere, quod ex bono & æquo sibi videtur. Stricti iuris est, in quo iudicis potestas est limitata, & stricto iuri adligata atque adstricta. Arbitrarium est, quod ex sua natura est stricti iuris, sed ex accidenti fit bonæfidei: veluti quia res per stipulationẽ promissa petitur alio loco, quàm quo solui debuit. Instit. de action. §. actionum. & §. præterea. IV. Aliud est iudicium primæ instantiæ, aliud secundæ instantiæ siue appellationis. C. de appellat. l. à proconsulibus. 19. V. Aut est iudicium cognitionale, quod vtroque litigatore præsente peragitur: aut μονομερὲς, id est, altera parte absente. ff. ad senatusconsul. Trebell. l. vlt. & C. de legib. l. vlt. & de tempor. & reparat. appellat. l. 5. §. illud. & de quæst. l. 3. & No. 49. cap. 1. No. 53. cap. 1. & 2. No. 90. VI. Aliud est iudicium simplex, in quo actor & reus sunt personæ distinctæ: aliud duplex, in quo vterque litigantium est actor, vterque reus, vt familiæ erciscundæ, communi diuidundo, finium regũdorum. l. in tribus. 73. & ff. famil. erciscund. l. inter. 44. §. qui familiæ. & commu. diuid. l. 2. §. 1. VII. Aliud est directum, cùm aliquis ex sua persona conuenitur: aliud obliquum, cùm ex persona alterius conuenitur; vt pater vel dominus de peculio conuenitur ex contractu filij vel serui. Institut. quod cum eo. §. vltim. & de noxal. action. §. omnis. VIII. Aliud est iudicium vniuersale, quod est de iuris vniuersitate, veluti de hereditate: aliud speciale de aliqua speciali re vel causa, vt rei vindicatio; aliud ge-

BIU Cujas

nerale, quod multas causas complectitur, vt negotiorum gestorum, tutelæ, pro socio. ff. de petit. hered. l. item videndum. 18. §. vlt. & l. seq. & de rei vindic. l. 1. in pr. & pro socio. l. pro socio. 38. in princ. IX. Aliud est iudicium de re, aliud de pœna, aliud mixtum. Insti. de action. §. sequens. X. Aliud est iudicium simpli, aliud dupli, aliud tripli, aliud quadrupli. Instit. eod. §. omnes. XI. Aliud est iudicium principale, vt hereditatis petitio, & rei vindicatio: aliud præparatorium, vt querela inofficiosi testamenti, & actio ad exhibendum. ff. de procur. l. ad rem. 56. l. ad legatum. 62. & ff. ad exhibendum. l. 1. & l. 3. §. est autem. XII. Aliud est famosum, quod infamiam damnato irrogat: aliud non famosum. ff. de his qui notant. infam. l. 1. Inst. de pœn. teme. litig. §. ex quibusdam. XIII. Aliud condemnat in solidum: aliud cum limitatione aliqua, veluti quatenus est in peculio, vel in quantum reus facere potest. Instit. de action. §. sunt præterea. XIV. Aut est in rem, aut in personam, aut mixtum. Insti. eod. §. 1. & §. quædam. Quod est in rem, subdiuiditur: quia vel est de statu personæ, id est, præiudicium: vel est petitorium, id est de rei proprietate, vt rei vindicatio: vel possessorium, id est, de possessione, vt cùm agitur hypothecariâ. ff. de rei vindicat. l. is qui. 24. & de euictio. l. si cùm venditor. 66. in princ. & C. de rei vindic. l. ordinarij. 13. XV. Alia sunt iudicia ordinaria, in quibus solemnes formulæ obseruantur: alia extraordinaria, in quibus formularum subtilitas necessaria non est. ff. de negot. gest. l. actio. 47. §. 1. sed hodie sublatis veterum formulis. C. de formul. l. 1. Omnia iudicia sunt extraordinaria. Insti. de interd. §. vlt. XVI. Aut est iudicium ciuile, aut criminale. ff. de furt. l. vlt. & Instit. de iniur. §. in summa. XVII. Vel est iudicium publicum, vel priuatum. hanc diuisionem cum suis subdiuisionibus exequemur in septima parte huius operis. XVIII. Aliud est iudicium directum, vt quod datur deponenti vel commodanti contra depositarium vel commodatarium: aliud est iudicium contrarium, veluti quod datur depositario contra depositorem, & commodatario contra commodatorem. Notandum est, ferè easdem esse diuisiones actionis & iudicij. Proinde ad probandas iudiciorum diuisiones suprà non
7 semel citata fuisse loca de actionibus loquentia. ¶ Ad generalem iudiciorum tractatum hoc etiam pertinet, vt intelligatur, quod sit forum competens. quò spectat posterior rubricæ pars, *vbi quisque agere, vel conueniri debeat*. Cùm igitur prior pars, quæ est de iudiciis, exposita fuerit: nunc ad posteriorem partem notetur regula, quòd actor sequitur forũ rei. C. de iurisd. omn. iudic. l. 2. & vbi in rem actio. l. 3. Reus autem sortitur forum ex variis causis, veluti domicilio, contractu, delicto. quòd si pluribus locis forum sortiatur: electio est actoris, quo eorum locorum agere velit. l. heres. 19. §. vlt.

II. *De inofficioso testamento.*

1 Sequentes huius secundæ Digestorum partis tituli in explicandis iudiciis realibus, personalibus, & mixtis consumuntur. Iudicium reale partim est vniuersale, vt de hereditate: partim speciale, vt rei vindicatio. ff. de rei vindic. l. 1. in princ. Vniuersale subdiuiditur in præparatorium, & principale. nam petitio hereditatis est iudicium principale, quod per se intentatur; querela autem inofficiosi testamenti est illius petitionis præparatoria: quandoquidem testamentum inofficiosum ideo petitur rescindi, vt eo rescisso hereditas ab intestato petatur. quocirca primò de inofficioso testamento, postea de petitione hereditatis dicendum est. Caue autem admittas sententiam Cuiacij, qui putat querelam inofficiosi testamenti esse petitionem hereditatis ex causa inofficiosi. constat enim ex l. 6. §. 1. hanc non esse petitionem hereditatis, sed præparatoriam illius petitionis, vt rectè Doctores tradũt.
¶ Testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia 2
de eo quod post mortem nostram fieri volumus. ff. qui testam. fac. poss. l. 1. ¶ Inofficiosum testamentum di- 3
citur, quod sit contra officium pietatis, iis personis exheredatis, vel præteritis, quibus natura aut pietatis iure successio debetur. l. 2. 3. & 5. ¶ Vocatur autem 4
querela inofficiosi testamenti: quia propriè loquendo, neque est actio, cùm ea ius nostrum non persequamur; nec accusatio, cùm non detur ad pœnam; sed est querela quædam, qua conquerimur de iniqua exheredatione, vel præteritione. ¶ Cuiuscumque testamen- 5
tum dici potest inofficiosum, atque adeo etiam veterani. l. Papinianus. 8. §. Papinianus. excepto testamento militis, siue paterfamiliâs siue filiusfamiliâs fuerit. l. si institutus. 27. §. de inofficioso. & C. eod. l. de inofficioso. 9. l. testamentum. 24. etiamsi post missionem intra annum moriatur. d. l. Papinianus. §. si quis in militia. & testamento filiifamiliâs, qui de peculio quasi castrensi testatus est. C. eod. l. vlt. nisi fuerit clericus. No. 123. cap. 19. ¶ Hæc querela datur I. Liberis testatoris: 6
nisi sint sui heredes, & sint in eo testamento præteriti; quia tunc testamentum est ipso iure nullum, adeo vt opus non sit, vt per inofficiosi querelam rescindatur. Institut. de exheredat. lib. in princ. II. Parentibus. III. Fratribus, dummodò non sint fratres vterini, & scriptus heres sit persona iuris vel facti infamiâ notata. l. 1. 3. 4. & 5. l. pater. 14. & l. seq. in princ. & C. eod. l. fratres. 27. & Instit. eod. §. 1. IV. Heredibus dictarum personarum, id est, liberorum, vel parentum, vel fratrum, si querela per defunctum præparata sit. l. 6. §. vlt. & l. seq. isque in ea proponendæ querelæ voluntate perseuerauerit. l. nam etsi. 15. §. 1. ¶ Excluduntur au- 7
tem ab hac querela, I. Qui non est successurus ab intestato. Quid ergo si hic de inofficioso egerit, & casu aliquo obtinuerit; Victoria ei non prodest. sed cùm patremfamiliâs intestatum efficiat, ei succedent, qui vocantur ab intestato. d. l. 6. §. si quis. II. Qui quartam partem eius quod ab intestato acciperet, consecutus est. d. l. Papinianus. §. quoniam. Inst. eod. §. vlt. ¶ Nota 8
Iustinianum quædam noua hîc statuisse, nam constituit I. Vt etiam is, qui minus habet quartâ, remoueatur à querela inofficiosi testamenti, ac tantùm supplementum quartæ petere possit, seu supplementum legitimæ: nam hæc quarta vulgò vocatur legitima. C. eod. l. omnino. 30. II. Vt hæc legitima sit maior, quàm quarta, sic distinguens, vt si quidem quatuor sint, vel pauciores, quibus legitima debetur, hæc legitima sit triens, si verò sint plures, sit semis. No. 18. cap. 1. III. Vt liberi, vel parentes, etiamsi hanc legitimam obtineant, putà iure legati, vel fideicommissi, tamen de inofficioso quæri possint; nisi vel heredes sint instituti, vel ex iusta causa exheredati. No. 115. cap. 3. 4. & 5. Vbi etiam causas enumerat, propter quas solas licet parentes vel liberos exheredare. ¶ Hæc actio datur I. Cõtra quem- 9
cumque heredem scriptum. l. Papinianus. 8. §. si Imperator. l. pen. §. 1. II. Contra eum, qui ex causa fideicommissi hereditatem tenet. C. eod. l. 1. III. Contra heredis scripti heredem. IV. Contra fiscum, qui heredis illius scripti bona tamquam vacantia occupauit. C. eo. l. si heredum. 10. ¶ Datur autem intra quinquennium 10
à die aditæ hereditatis computandum. C. eod. l. si quis filium. 34. in fi. l. scimus. 36. §. vlt. quinquennio elapso non datur, nisi ex magna causa. d. l. Papinianus. §. vlt.

¶ Porrò

11 ¶ Porrò sicut is qui non possidet hereditatē, de inofficioso testamento agit: ita qui possidet, si ab eo hereditas petatur, in modum contradictionis querelam inducit. verbi gratiâ, si filius testatoris exheredatus paternam hereditatem possideat, & à scripto herede conueniatur petitione hereditatis: rectè ei opponet exceptionem inofficiosi testamenti. d. l. Papinianus. §.
12 si filius. ¶ Quod ad euentum huius iudicij attinet: aut pro herede scripto iudicatur, aut contra testamentum. Priori casu is qui de inofficioso egit, si quid ei in testamento relictum fuerit, id amittit. d. l. Papinianus. §. meminisse. Posteriori casu paterfamiliâs intestatus fit. l. 6. §. si quis & videtur non habuisse ius testandi. l. qui repudiantis. 17. §. cùm contra. & l. seq. Quòd si plures sint heredes scripti, quorum alij hoc iudicio obtineant, alij succumbant: paterfamilias pro parte sit testatus, pro parte intestatus. l. nam etsi. 15. §. vltim. l. circa. 24.

III. *De hereditatis petitione.*

1 EXposito iudicio petitionis hereditatis præparatorio: ipsa principalis actio, id est hereditatis peti-
2 tio congruè subiicitur. ¶ Hereditas accipitur vel pro successione in ius defuncti, per quam res hereditariæ acquiruntur; vel pro ipsis rebus hereditariis. In priori significatione definitur successio in vniuersum ius, quod defunctus habuit mortis tempore. D. de verb. signif. l. nihil. 24. & de diuers. reg. iur. l. hereditas. 62. In posteriori significatione à Marco Tullio in Topicis definitur, pecunia quæ morte alicuius ad quempiam peruenit, cùm ei, nec legata sit: nec possessione retenta. Vtraque significatio potest hoc titulo accipi. nam qui hereditatem petit, is successionem sibi adiudicari, consequenter res hereditarias sibi restitui pe-
3 tit. ¶ Hæc actio. I. Est realis. ff. de rei vindic. l. sin autem. 27. §. sed & is. ideóque vocatur petitio: quoniam hoc est proprium nomen actionum in rem. ff. de verb. signif. l. pecuniæ. 178. Eadem ratione appellatur etiam vindicatio. l. legitimam. 8. Sed quamuis præcipuè & principaliter sit in rem: tamen adiunctas etiam habet quasdam præstationes personales; veluti eorum, quæ possessor à debitoribus hereditariis exegit: aut ab iis, quibus res hereditarias vendidit. l. sed & etsi lege. 25. §. petitio. qua ratione dicitur esse actio mixta. C. eo. l. 7. II. Est ciuilis. ff. de possess. hered. petit. l. 1. III. Est vniuersalis. ff. de rei vindic. l. 1. vt notaui etiam ff. de iudic. diuis. 8. IV. Est bonæ fidei. C. h. t. l. vlt. in fi. Instit. de actio. §. actionum. V. Eam auctoritatem habet, vt nihil in eius præiudicium fieri debeat. l. 5. in fi. & l. 7.
4 ¶ Directa hereditatis petitio tam heredi scripto, quàm legitimo competit. l. 1. & 3. sed primum scripto, deinde legitimo: quia si locus sit scripto, legitimus excluditur. C. eod. l. si scripti. 9. vtilis datur bonorum possessori. ff. tit. seq. Sed hæc est actio prætoria. Item fideicommissario vniuersali. ff. tit. 6. quia ex Trebelliano Senatusconsulto pro herede habetur. Instit. de fideicom. heredit. §. restituta. ¶ Datur I. Contra eum, qui
5 vel ius vel rem hereditariam aut pro herede aut pro possessore possidet. l. regulariter. 9. Pro herede possidet, qui putat se esse heredem. pro possessore possidet prædo, qui scit se possidere hereditatem ad se non pertinentem. l. pro herede. 11. l. qui interrogatus. 12. l. nec vllam. 13. in prin. Debitor ergo hereditarius, tamquam iuris possessor, tenetur. d. l. nec vllam. §. vlt. videlicèt si ideo nolit soluere, quòd se esse heredem contendat: alioquin si vero heredi soluere sit paratus, sed neget petitorem esse heredem, non tenetur hereditatis petitione. l. si debitor. 42. II. In heredem possessoris. d. l. nec vllam. §. Neratius. & §. heredem. III. In eum, qui se liti obtulit. d. l. nec vllam. §. non solùm. nisi manifestissimis probationibus ostēdat actorem ab initio sciuisse se non possidere. l. qui se liti. 45. IV. In eum, qui dolo desiit possidere. d. l. nec vllam. §. penult. V. Est actio vtilis in eos, qui à possessore causam habent, veluti qui ab eo emerunt hereditatem. d. l. nec vllam. §. quid si quis. & §. si quis sciens. cum duobus §§. seqq. ¶ In hanc actionem veniunt 6
I. Vniuersæ res hereditariæ, siue sint corpora, siue iura. l. item videndum. 18. §. vlt. Exceptis seruitutibus, quæ propria actione peti debent. l. & non tantùm. 19. §. vlt.
II. Corpora non hereditaria, quorum periculum ad heredem pertinet, vt res defuncto pignori datæ, vel commodato, vel depositæ. d. l. & non tantùm. in prin.
III. Quæ hereditatis causâ comparata sunt, vt mancipia, & pecora. & c. l. item veniunt. 20. in prin. IV. Non solùm ea, quæ mortis tempore erant in hereditate, sed etiam quæ postea accesserunt, vt partus, fructus, &c. quoniam hereditas augmentum recipit, & deminutionem. d. l. item veniunt. §. item non solùm. Hîc sciendum est, malæ fidei possessorem omnimodò fructus restituere: bonæ autem fidei possessorem eatenus teneri, quatenus locupletior factus est. d. l. item veniunt. §. pridie.

IV. *Si pars hereditatis petatur.*

SVperior titulus est de petitione assis, id est, totius 1
hereditatis: hic autem est de petitione partis. l. 1. in princ. siue certa pars petatur, vt triens, vel semis; siue incerta. d. l. 1. §. interdum. ¶ Ne propterea intel- 2
ligas hoc esse iudicium particulare. quāuis enim singulæ res hereditariæ sint res particulares: tamen hoc non obstat, quominùs petitio partis hereditatis sit actio vniuersalis: quia pars hereditatis non est res hereditaria: atque omnis heres iure vniuersali succedit, siue ex parte siue ex asse succedat.

V. *De possessoria hereditatis petitione.*

POst ciuiles actiones heredibus propositas, ratio- 1
nem habet prætor eorum, quos ipse velut heredes, hoc est, bonorum possessores facit. l. 1. Quocirca hæc quoque actio rectè vocatur hereditatis petitio: quoniam hereditatis vocabulo latiùs sumpto etiam bonorum possessio continetur. D. de verb. signif. l. hereditatis. 138. ¶ Et per hāc actionem tantundem con- 2
sequitur bonorum possessor, quantum heres superioribus actionibus. l. 2.

VI. *De fideicommissaria hereditatis petitione.*

TRiplex est hereditatis petitio. I. Ciuilis vero he- 1
redi competens, de qua ff. tit. 3. & 4. dictum fuit. Altera prætoria, quæ datur bonorum possessori, de qua ff. tit. prox. Tertia fideicommissaria, quæ ex senatusconsulto Trebelliano datur fideicōmissario vniuersali, quasi heredi: quæ actio proponitur hoc titulo. Ergo nec est, propriè loquendo, actio ciuilis, quia non est ex lege xij. tabularum: nec prætoria, quia non est edicto prætoris introducta, sed ex Senatusconsulto descendit. l. 1. ¶ Eadem autem recipit, quæ supe- 2
riores hereditatis petitiones. l. 2. ¶ Ei datur, cui re- 3
stituta est hereditas fideicommissa. d. l. 1. eiúsque successori. l. 3. in princ. ¶ Sed in eum, qui hereditatem 4
restituit, non competit. d. l. 3. §. 1.

LIBER

LIBER SEXTVS.

TITVLVS I.

De rei vindicatione.

POST actiones de vniuersitate competentes, subiicitur actio specialis, qua singulæ res vindicantur. l. 1. in princ. ¶ Omnis actio in rem appellatur vindicatio. ĵ. de oblig. & act. l. actionum. 25. in princ. Inst. de action. §. appellamus. sed alia est vindicatio dominij rei corporalis, de qua hîc agitur: alia seruitutis, de qua ĵ. si vsusfr. petet. & ĵ. si seru. vindic. alia possessionis, vt actio hypothecaria. ĵ. de euict. l. si cùm venditor. 66. in princ. vindicationis igitur species est rei vindicatio, (nam res, & rei dominium, in iure passim pro eodem accipiuntur) qua dominus rem suam corporalem ab alio possessam petit. Instit. eod. §. 1. id est, se dominum declarari. l. & ex diuerso. 35. §. 1. & consequenter rem sibi restitui petit. l. qui restituere. 68. ¶ Hæc actio est ciuilis. Instit. de action. §. sed istæ. realis (quod est accipiendum de actione directa: nam vtiles, de quibus mox dicam, prætoriæ sunt) specialis, in rem. l. 1. §. 1. petitoria. l. is qui destinauit. 24. l. qui petitoria. 36. in princ. & Instit. de interdict. §. retinendæ. arbitraria. l. qui restituere. 68. & ĵ. de in lit. iur. l. 4. & 5. ¶ Directa datur vero domino. l. in rem. 27. in princ. contra possessorem, id est, contra eum, qui rem detinet, & habet restituendi facultatem. l. officium. 9. Vtilis competit, si is conueniatur, qui pro possessore habetur, (veluti qui dolo seu culpâ desiit possidere. l. sin autem. 27. §. sed & is. l. cùm autem. 52. l. si culpa. 63. & qui se liti obtulit quasi possideret. l. is qui se obtulit. 25. & l. seq.) aut is agat, qui pro domino habetur. Talis autem est primò superficiarius, id est, qui superficiem in alieno solo habet. l. prætor. 75.

II. *De publiciana in rem actione.*

SECUNDÒ is, qui rem vsucapere cœpit, nec dum vsucapionem absoluit. huic enim, quasi domino, id est, quasi vsuceperit. l. 1. §. 1. & Instit. de act. §. namque si cui. contra quemcumque possessorem, præter quàm contra verum dominum. l. pen. & vlt. prætor dat vtilem in rem actionem, quæ ab auctore Publicio vocatur Publiciana. d. §. namque si cui. ¶ Et est ciuili in rem actioni simillima. l. 7. §. in Publiciana. nam æquè ac rei vindicatio, est specialis, in rem. d. l. 1. §. 1. d. §. namque si cui. petitoria. d. l. 7. §. Publiciana. arbitraria. Instit. de act. §. præterea. ¶ Sed ab ea differt I. Quia illa est ciuilis, hæc prætoria. d. l. 1. in princ. Institut. de action. §. sed istæ. II. Quia illa domino competit: hæc ei, qui nôdum dominium acquisiuit. d. l. 1. §. 1. III. Quia illâ petuntur tantùm res corporales. ĵ. tit. prox. l. 1. §. 1. Instit. de action. §. 1. hac verò tam res corporales, quàm incorporales. l. 6. l. si ego. 11. & l. seq.

III. *Si ager vectigalis, id est emphyteuticarius petatur.*

TERTIÒ emphyteuta, qui fundum in perpetuum vel ad longum tempus conduxit. l. 1. 2. & 3. ¶ Notandum primò emphyteutam differre à superficiario: cum vterque habeat dominium vtile, non directum quia superficiarius ius habet in superficie, & in ædificio, non in solo: emphyteuta verò tam soli quàm superficiei vtile dominium habet. ¶ Notandum secundò, ciuitates, quæ agros steriles & incultos habent, solitas esse eos colendos & fruendos dare vel in perpetuum, vel ad longum tempus. Hi agri vocantur vectigales: quia illa pensio ciuitati debita, appellatur vectigal. vocantur etiam emphyteuticarij, ἀπὸ τοῦ ἐμφυτεύειν, quod est inserere; quia potissimum arborum inserendarum causâ ita colendi dabantur. postea priuati quoque homines cœperût ita fundos suos fruendos dare, cúmque dubitaretur, num hic contractus esset venditio, an locatio: Zeno Imperator constituit esse specialem contractum, â venditione & locatione seiunctum. C. de iu. emphyt. l. 1. & Instit. de locat. & conduct. §. adeo. ¶ Ergo Emphyteutæ datur, quasi domino, vtilis in rem actio contra quemcumque possessorem, atque adeo etiam contra ipsum dominum. l. 1. in fi.

LIBER SEPTIMVS.

TITVLVS I.

De vsufructu, & quemadmodum quis vtatur fruatur.

A VINDICATIONE corporum transitu ad vindicationes rerum incorporalium. quamquam Publicianam, quæ suprà exposita fuit, ad res quoque incorporales produci, suprà docui. In rerum incorporalium numero est seruitus. ŝ. de rer. diuis. l. 1. in fi. Institut. de reb. incorp. vers. vlt. & libertas, quæ seruituti opponitur. De vindicatione igitur seruitutis & libertatis, hoc & sequenti libro dicendum est. ¶ Seruitus accipitur tribus modis, id est, pro constitutione iurisgentium, qua seruus domino suo seruit. ŝ. de sta. homin. l. 4. §. 1. II. Pro iure in re aliena, secundum quod seruus alienus aut res aliena nobis vel prædio nostro seruit. ĵ. de seru. l. 1. De hac seruitute debet accipi regula illa, quòd nemini res sua seruit. ĵ. si vsusfr. petet. l. 5. & de seruit. præd. vrban. l. in re communi. 25. III. Pro seruitute prædiali, qua alicuius prædium alterius prædio seruit. ĵ. de seruit. in rubr. & ĵ. loca. l. locare. 44. Hoc loco secunda significatio accipitur. ¶ Et in hac significatione non solùm vocatur seruitus, sed etiam ius. ŝ. de rer. diuis. d. l. 1. in fi. Insti. de rebus corpor. & incorp. d. vers. vlt. Cùm enim in omni seruitute duo spectentur termini dominans & seruiens: illius respectu appellatur ius, & huius ratione nominatur seruitus. ¶ Harum seruitutum duo sunt genera. nam aliæ sunt personales, aliæ reales seu prædiales. ĵ. de seru. d. l. 1. Personalis seruitus est, qua res vel persona personæ seruit, vt vsusfructus, & vsus. Realis seu prædialis est, qua prædium alieno prædio seruit. de realibus dicetur libro sequenti: hic liber est de personalibus. ¶ Inter quas primum locum obtinet vsusfructus, qui definitur ius alienis rebus vtendi fruendi, saluâ earum substantia. l. 1. Hæc definitio cõuenit vero & propriè dicto vsuifructui, quem Doctores formalem appellant, quia veram vsusfructus formam habet. Cuiacius autem in l. qui vsumfructum. 58. D. de verbor. obligat. vsumfructum nudum vocat, quia est separatus à proprietate, id est à rerum dominio. Hotoman. in l. 3. C. h. t. eadem ratione merum vsumfructum nominat. Alius est vsusfructus cum proprietate coniunctus, ita vt dominium plenum ex proprietate & hoc vsufructu constet: & secundum hunc vsumfructum dominus rebus suis vtitur fruitur. ĵ. de vsufr. accresc. l. 4. l. si proprietas. 9. & de

& de vſu.& vſufr.leg.l.ſi alij.19.l. Sempronius.26.§. ſi fundus. & de except.rei iudic.l.ſi cùm argentum.27.§. penult. & de verb. oblig. d.l.qui vſumfructum.58. & l.ſi ita ſtipulatus.126.§.1. hunc Doctores vocãt vſumfructum cauſalem: quia cùm dominus plenæ proprietatis poſſit vſumfructum alij conſtituere; nemo autem poſſit ad alium transferre, quod ipſe non habet. ĩ.de diuerſ. reg. iur. l. nemo poteſt. 54. certè vſusfructus in plena proprietate, tanquam in ſua cauſa non aliter latet, quàm calor in ſole, qui etſi non eſt calidus, tamen res calefacit. Alius eſt quaſi vſusfructus earum rerum quæ vſu conſumuntur: qui ſimiliter eſt coniunctus cum proprietate, ſed ita vt, propter cautionem de reſtitutione facienda, videatur eſſe quo-
6 dammodo vſusfructus, vt tit.5. declarabitur. ¶ Nunc ad verum vſumfructũ reuertamur, cuius multæ ſunt proprietates. Prima proprietas eſt, quòd cùm omnes ſeruitutes regulariter ſint indiuiduæ, vſusfructus eſt diuiduus.l.5.& ĩ.de vſu & habitat.l.vſus.19.& ſi ſeru. vindic.l.4.§. ſed etſi. & fam. erciſcun. l. heredes.25.§. an ea.& §.ſeq.& de ſeruit.legat.l.vlt.& ad Trebell.l.1. §.ſi vſusfructus.l.ſi is qui.80. & de verbor. oblig. l.ſtipulationes non diuiduntur.72.in princ. & de accept.l.
7 & per iuſiurandum.13.in princ. ¶ Secunda proprietas eſt, quòd vſusfructus eſt ius in corpore; adeo vt eo corpore ſublato, neceſſe ſit vſumfructum tolli l.2.
8 ¶ Tertia proprietas eſt, quòd vſufructuarius rectè colere, & quaſi bonus paterfamilias vti debet, ita vt cauſam proprietatis deteriorem non faciat.l.ſi cuius. 13. in princ. & §. fructuarius. & Inſtit. de rer. diuiſ.§.
9 ſed ſi gregis. ¶ Quarta proprietas eſt, quòd omnes fructus ad fructuarium pertinent.l.7.in pr. non tamen eius fiunt, niſi ab ipſo, vel eius nomine ab alio percipiantur.l.arborib.12.§. Iulianus.& Inſtit. de rer. diuiſ.
10 §.is verò. ¶ Quinta proprietas eſt quòd fructuarius quædam onera ſuſtinere debet, veluti modicam domus fructuariæ refectionem, & ſtipendium, vel tributum, vel ſalarium, vel alimenta, quæ ab ea re, cuius habet vſumfructum, relicta ſunt, & alia eiuſmodi onera. l.7.§.quoniam.l.ſi pendentes. 27.§. ſi quid cloacarij. l.
11 vſufructu.52. ¶ Sexta proprietas eſt, quòd non ſolùm ipſe fructuarius vti frui poteſt, ſed etiam hoc ius in alium transferre. l. ſi cui vſusfructus. 67. tamquam per alium vtatur fruatur. l.arboribus.12.§. vſufructuarius. l. non vtitur.38. & duab.ll.ſeqq. Non tamen poteſt alium vſufructuarium conſtituere, quia hoc eſt ius perſonale; ideóque fructuarius tantùm poteſt efficere, vt ex eius perſona alius vtatur fruatur, id eſt, non tamquam fructuarius, ſed tamquam concedente fructuario, vtatur fruatur. Inſtit. hoc tit. §.
12 finitur. verſ.nã cedendo. ¶ Ex his proprietatibus prima & ſecunda ad priorem rubricæ partem, quæ eſt generalis, *de ſeruitutibus* pertinent. reliquæ ad poſteriorem partem, quemadmodum quis vtatur fruatur, referri debent.

II. *De vſufructu accreſcendo.*

1 SEptima proprietas in iure accreſcendi cernitur. nam ſi pluribus idem vſusfructus legatus ſit, deficientis portio non reuertitur ad proprietatem, ſed
2 collegatario accreſcit. l.1. ¶ Nota I. Triplicem eſſe legatariorum coniunctionem. aut enim ſunt coniuncti re & verbis, veluti, *Titio & Mæuio fundum, Tuſculanum do lego: Titio & Mæuio vſumfructum fundi Tuſculani do lego.* aut verbis tantum, veluti, *Titio & Mæuio fundum Tuſculanum*, ſiue *vſumfructum fundi Tuſculani* pro æquis partibus *do lego:* aut re tantùm, veluti, *Titio fundum Tuſculanum do lego, Mæuio eundem fundum Tuſculanum do lego:* vel, *Titio vſumfructum fundi Tuſculani do lego, Mæuio vſumfructum fundi Tuſculani do lego.* Denique dicuntur re coniuncti, quibus eadem res legata eſt. verbis coniuncti, quibus eâdem oratione legatum eſt. re & verbis coniuncti, quibus vna & eadem res eâdem oratione legata eſt. verbis tantùm coniuncti, quibus eadem res pro partibus pro indiuiſo eâdem oratione legata eſt. D. de legat.iij.l.re coniuncti.89. & de verb.ſignific. l. triplici.142. ¶ Nota II. Tres diffe- 3
rentias inter legatum proprietatis, & vſusfructus. Prima differentia eſt, quòd proprietas tantùm ab initio accreſcit: quia ſi vnus ex collegatariis legatum repudiet, eius portio non manet penes heredem, ſed collegatario, qui coniunctus eſt, accreſcit; ſed poſtquam legatarius legatum acquiſiuit, licèt poſtea legatum amiſerit, tamen eius portio collegatario accreſcere non poteſt: vſusfructus autem quandocumque amittatur, confructuario accreſcit. l.1.§. interdum. Altera differentia eſt: quia in proprietate legata verbis coniunctus præfertur re coniuncto. d. l. re coniuncti. in vſufructu autem legato tantùm abeſt vt verbis coniuncti præferantur re coniunctis, vt nequidem ius accreſcendi habeant.l.1.in prin.& §.vlt.l.2.& l.3.in prin. Tertia differentia eſt: quòd vſusfructus perſonæ accreſcit, etiam ſi partem ſuam amiſerit: proprietas verò accreſcit rei, id eſt, pars parti accreſcit, perinde ei non accreſcit, qui partem ſuam amiſit.l.interdum.10. & ſ.de vſufr.l.ſi Titio.33.§.1.& ĩ.de excep.rei iud.l.& an eadem.14.§.1. ¶ Nota III. Eos qui re tantùm con- 4
iuncti ſunt, interdum vocari diſiunctos, habita ſcilicèt verborum ratione, quia verbis diſiuncti ſunt, vt in d.l.1.§.interdum.& Inſtit.de legat.§.ſi eadem.

III. *Quando dies vſusfructus legati cedat.*

OCtaua proprietas eſt, quòd dies vſusfructus le- 1
gati cedit ab adita hereditate. ĩ. quan.di.leg.ced. l.3.& C.de caduc.toll.l.vn.§. excepto. licèt proprietatis legatæ dies cedat â morte teſtatoris.d.l.vn.cùm igitur. & §. in nouiſſimo. ¶ Legati dies cedere dicitur, 2
cùm legatum deberi incipit, ita vt ad heredes legatarij tranſmittatur, ſi ſit res quæ tranſmitti poſſit. ĩ. quan.di.leg.ce.l.3.& l.5.in princ.& de verb.ſignif.l.cedere diem. 213. ¶ Quod dixi de vſufructu, etiam in vſu legato locum habet.l.vn.§.dies.& ĩ.quan.dies leg. ced. l.2. ¶ Hæc autem obtinent in vſufructu vel vſu 3
purè legato, nam legatum in diem, non priùs cedit, quàm dies venerit.d.l.vn.§.item.& ſi dies ante aditam hereditatem veniat, expectanda eſt hereditatis aditio.d.l.2.

IV. *Quibus modis vſusfructus, vel vſus amittitur.*

NOna proprietas eſt, quòd vſusfructus non poteſt 1
perpetuò durare, & à proprietate ſeiunctus eſſe, ne proprietas ſit inutilis; ſed certis modis extinguitur, & ad proprietatem reuertitur. ſ. de vſufr. l.3.§. ne tamen. ¶ Finitur autem morte, & maxima vel media 2
capitis deminutione fructuarij, & non vtendo per modum & tempus, & conſolidatione cum proprietate, & rei interitu. Inſtit. de vſufr. §. finitur.

V. *De vſufructu earum rerum, quæ vſu conſumuntur, vel minuuntur.*

QVæ ſuprà dicta ſunt, in vero vſufructu locum 1
habent: à quo differt quaſi vſusfructus ſenatuſconſulto conſtitutus in iis rebus quæ in abuſu conſi-

BIU Cujas

stunt. Sunt autem sex differentiæ. I. Verus vsusfructus in iis rebus consistit, quæ vsu non consumuntur, vt fundo, vel ædibus: quasi vsusfructus verò in iis rebus, quæ vsu consumuntur, vt vinum, oleum, frumentum; vel quasi consumuntur, vt pecunia numerata, quæ non propriè consumitur; sed dum impenditur, assidua permutatione quasi consumitur. Insti. de vsufruct. §. constituitur. In iis autem reb. quæ vsu minuuntur, & paulatim atteruntur, vt vestimenta, tam verus quàm quasi vsusfructus constitui potest, vt docui in Analysi Instit. d. §. constituitur. II. Verus vsusfructus constituitur tam inter viuos quàm in vltima voluntate. Instit. eo. §. 1. & ſ. eod. l. 6. dictus autem quasi vsusfructus constituitur solùm in vltima voluntate; quia senatusconsultum hunc quasi vsumfructum constituens, tantùm de vsufructu legato loquitur. l. 1. & 2. Inst. de vsufru. d. §. constituitur, vers. sed vtilitatis. Ratio non est obscura: quia cùm natura huius quasi vsusfructus sit, vt proprietas ad fructuarium transferatur, ísque aliquando tantundem restituere debeat: certè si hoc fieret inter viuos, nihil aliud esset, quàm mutuum. III. Quia is qui verum vsumfructum habet, non est rei dominus, sed vtitur fruitur re aliena ſ. de vsufr. l. 1. qui verò habet quasi vsumfructum earum rerum quæ vsu consumuntur, dominus est. l. 7. & Inst. de vsufr. d. §. constituitur. vers. itaque. IV. Quia in rebus quæ vsu non consumuntur, vsusfructus ab vsu differt, quandoquidem fructuarius plus iuris habet, quàm vsuarius. j. de vs. & hab. l. 2. in princ. l. si habitatio. 10. §. vlt. Instit. eod. in prin. in rebus autem quæ vsu consumuntur, nihil refert, vtrùm vsusfructus, an vsus legatus sit. l. quoniam. 10. §. 1. V. Quia vsusfructus finitur multis modis, quos notaui in calce superioris tituli: quasi vsusfructus, tantùm fructuarij morte; vel capitis deminutione extinguitur. d. l. quoniam. in prin. & j. de vsufr. quemad. ca. l. 7. VI. Quia verum vsumfructum habens, eo finito restituere debet quod inde extabit. j. eod. l. 1. in princ. & §. vlt. qui verò habet quasi vsumfructum rerum quæ vsu consumuntur, is aut eandem quantitatem, id est eiusdem generis, aut æstimationem restituit. d. l. 7. d. §. constituitur. vers. itaque.

VI. *Si vsusfructus petetur, vel ad alium pertinere negetur.*

1 POstquam de vero, & de quasi vsufructu dictum est: consequens est, vt vindicationes horum iurium
2 nomine competentes exponamus. ¶ Horum, vt & ceterarum seruitutum nomine, datur duplex in rem actio, videlicèt confessoria, quæ significatur illis rubricæ verbis, *Si vsusfructus petetur*: & negatoria, quæ sequẽtibus rubricæ verbis indicatur, *vel ad alium perti-*
3 *nere negetur*. Instit de act. §. neque. ¶ Confessoria datur fructuario vsumfructum vindicanti, non domino fundi; quia qui proprietatem habet, vsumfructum formalem non habet, obstante regula illa suprà tradita, quòd nemini res sua seruit. Hac igitur actione petitur vsusfructus formalis, non causalis. Datur autem hæc actio tam aduersus dominum, quàm aduersus quemlibet extraneum possessorem, qui non patitur
4 fructuarium vti frui. l. 5. §. vtrùm. ¶ Negatoria è contrario datur domino proprietatis neganti ius vtendi fruendi aduersario competere, proinde rei suæ liber-
5 tatem asserenti. d. l. 5. §. sicut. ¶ Hæ actiones inter se similes sunt. I. Quia vtraque est vindicatio: sed altera vindicat seruitutem, altera libertatem. II. Quia vtraque datur tam possidenti, quàm non possidenti. l. pen. §. vlt. quod in vindicatione rerum corporalium non obtinet. Instit. de action. §. æquè. vers. quod genus. III. Quia in vtramque veniunt etiam fructus, id est, vtilitas & omnis causa. d. l. 5. §. in his, & duob. §§. seqq.

VII. *De operis seruorum.*

SImilis, vsusfructui est operarum seruilium obliga- 1
tio: quia opera serui est fructus, qui ex seruo percipitur. l. 3. & 4. ¶ Sed inter legatũ vsumfructũ serui & 2
legatas operas interest. I. Quia dies vsusfructus legati cedit ab adita hereditate. j. quan. di. leg. ced. l. 3. & C. de caduc. toll. l. vn. §. excepto. Operæ autem ex die petitionis cedunt. j. de vsu & vsufr. lega. l. 7. II. Quia vsusfructus morte vsusfructuarij, vel non vtendo finitur. Instit. de vsufr. §. finitur. quibus modis operæ non finiuntur. l. 2. & j. de vsu & vsufr. leg. l. 2. III. Quia si seruus ab alio vsucapiatur, operæ finiuntur. j. de vsu & vsufr. leg. l. 2. Vsusfructus autem non finitur. ſ. de vsufr. l. locum. 17. §. proprietarius. & j. de vsurp. & vsucap. l. iusto. 44. §. non mutat. ¶ Quæ de operis ser- 3
uorum dixi, eadem de operis aliorum animalium dicenda puto: nam & ceterorum animalium operas posse dici, verius est. j. vsufr. quemad. caue. l. 5.

VIII. *De vsu, & habitatione.*

SEcunda seruitus personalis est vsus. Vsum hic in- 1
tellige ab vsufructu separatum: de quo recte dictum est, fructum sine vsu constare. l. per seruum. 19. §. vlt. alius est vsus, sine quo fructus esse non potest. eod. l. §. 1. sic quinque vel separata à decem accipi possunt, vel vt pars decem sic vsumfructum ſ. tit. prox. docui spectari vel coniunctum cum proprietate, vel tanquàm seruitutem à proprietate seiunctam. ¶ Hic 2
vsus iisdem modis constituitur, quibus vsusfructus, sed ab eo differt, I. Quia fructuarius non solùm vtitur, sed etiam fruitur. ſ. de vsufr. l. 1. & passim. vsuarius non fruitur, sed tantùm vtitur. l. 1. & 2. in princ. propterea fructuarius percipit omnes fructus. ſ. de vsufr. l. 7. in princ. vsuarius autem ad vsum tantummodò quotidianum quædam percipit. Instit. h. t. §. 1. II. Quia vsuarius ipse vti debet, nec potest ad alium transferre facultatem vtendi. quod tamen fructuario cõceditur. d. §. 1. III. Quia vsusfructus est diuiduus, vsus est indiuiduus. l. vsus. 19. ¶ Hæc de vsu dicta sint, quem 3
habitatio imitatur, & idem ferè iuris continet. l. si habitatio. 10. in princ. sed locari potest. C. de vsufruc. l. cùm antiquitas. 13. & neque non vtendo amittitur, neque capitis diminutione. d. l. si habitatio. in princ. quia magis in facto quàm in iure consistit. ſ. de cap. min. l. penult.

IX. *Vsusfructuarius quemadmodum caueat.*

HIc tractatus in vltimum locum reiectus fuit, tam- 1
quàm communis fructuariò & vsuario. quamuis enim solius vsufructuarij mentio in rubrica fiat tamen certum est, vsuarium similiter cauere debere. ¶ Ca- 2
ueri intellige satisdatione, quæ prætoria est. l. 1. in pr. l. 5. §. 1. ¶ Hæc stipulatio seu cautio duas habet clau- 3
sulas. etenim qui hæc iura habent; & se vsuros boni viri arbitratu, & suo iure finito restituturos se quod inde extabit, promittunt. d. l. 1. in princ. quarum clausularum prior toties committitur, quoties, quis aliter vtitur, quàm vti debet. Posterior semel tantum, vsufructu finito. d. l. 1. §. habet.

LIBER

LIBER OCTAVVS.

TITVLVS I.

De seruitutibus.

SVPERIORE libro de seruitutibus personalibus dictum est: hoc libro de rerum seruitutibus agemus: quæ vocantur etiam seruitutes prædiales, vel seruitutes prædiorum. ff. commu. prædior. l. 1. §. 1. & seruitutes simpliciter, vt in hac rubr. & in l. 2 locare. 44. ff. loca. ¶ Huiusmodi seruitus nihil aliud est, quàm ius, quo prædium alieno prædio seruit. 3 ¶ Quare sicut aliud est prædium vrbanum, nempe ædificium habitandi causâ vbicumque extructum: aliud rusticum, id est, quoduis aliud prædium, vt ager, area, stabulum ab ædificio separatum. ff. commu. præd. d. l. 1. in princ. & in quib. caus. pign. tac. contrah. l. 4. §. 1. & de verbor. signif. l. vrbana prædia. 198. & C. de præd. minor. l. si prædium. 16. & Inst. h. t. §. 1. ita seruitutum aliæ sunt vrbanæ, aliæ rusticæ, id est, vrbanorum vel rusticorum prædiorum. l. 1. & ff. de rer. diuis. l. 1. in fi. & 4 ff. de reb. corpor. vers. vlt. ¶ Nota distinctionem ac denominationem harum seruitutum, secundum communem & veram opinionem, à qua Corasius temerè recessit, à potiore parte sumi, id est, à prædio dominante, non à seruiente, adeo vt talis sit seruitus, quale est prædium dominans, cui seruitus præstatur.

II. *De seruitutibus prædiorum vrbanorum.*

VRbana igitur seruitus est, qua vrbanum vel rusticum prædium vrbano prædio seruit: vt ius immittendi stillicidij in alienum tectum, vel alienam aream: vel tecti proiiciendi supra alienas ædes, vel supra alienam aream.

III. *De seruitutibus prædiorum rusticorum.*

RVstica seruitus est qua rusticum vel vrbanum prædium rustico prædio seruit: vt ius eundi ad nostrum fundum per alienum fundum, vel per alienas ædes.

IV. *Communia prædiorum tam vrbanorum, quam rusticorum.*

MVlta sunt vtrique seruitutum generi communia. I. Omnes seruitutes sunt incorporales. ff. de seruit. l. seruitutes prædiorum. 14. idcirco neque propriè tradi possunt, sed vsus & domini patientia pro traditione habetur. ff. eod. l. vlt. neque per se possideri d. l. seruitutes prædiorum. in princ. sed qui prædium possidet, etiam seruitutem, quæ ei prædio præstatur, possidere intelligitur. ff. de seruit. præd. vrban. l. si ædes meæ. 32. II. Omnes habent causam continuam. ff. eod. l. foramen. 28. licèt non omnes habeant possessionem, id est vsum continuum. d. l. seruitutes prædiorum. nemo enim potest (exempli gratiâ) continenter per fundum alienum ire, sed potest ire quandocumque vult, quia seruitus habet causam cõtinuam, id est, quia fundus semper seruit, etiam tunc cùm seruitus non possidetur, id est, cùm per fundum non itur. II. Natura seruitutis non est, vt seruiens aliquid faciat, sed vt patiatur, putà duci aquam ex suo fundo: vel, ne faciat, veluti ne ædes suas altiùs tollat. ff. de seruit. l. quoties. 15. Excipitur seruitus oneris ferendi: quia dominus columnæ vel parietis seruientis reficere tenetur, vt onus sustinere possit. ff. de seruit. præd. vrban. l. cum debere. 33. & ff. si seruit. vindic. l. 6. §. etiam. IV. Omnes sunt indiuiduæ, & per partes acquiri nequeunt. ff. de seruit. l. si pro parte. 11. l. viæ. 17. quamuis pro parte retineri possint. ff. eod. l. vt pomum. 8. Excipitur hîc quoque seruitus oneris ferendi, quæ, quantum ad columnam vel parietem reficiendum, diuidua est: adeo vt si plures sint eius domini, singuli pro partibus reficere teneantur, & pro partibus conueniri possint. ff. si seru. vindic. l. 6. §. si ædes. V. Omnes seruitutes tam inter viuos quàm in vltima voluntate constitui possunt. l. potest. 16. & Instit. de seruit. §. vlt. VI. Neque locis religiosis imponi possunt. l. 4. neque prædiis alienis. l. 6. VII. Purè tantùm constitui possunt, non ex die, nec ad diem, nec sub conditione. ff. de seruit. l. 4. in princ. vsus tamen seruitutis putà aquæductus, vel itineris, diuersis temporibus, & horarum vel dierum interuallis distingui potest, veluti vt alternis diebus eatur, vel aqua ducatur. d. l. 4. §. vlt. & l. 5. VIII. Alienatum prædium sequuntur. l. cùm fundus. 12.

V. *Si seruitus vindicetur vel ad alium pertinere negetur.*

COmmunes omnibus seruitutibus sunt etiam 1 actiones confessoria & negatoria: quæ quidem sunt in rem non in personam. l. 2. in prin. l. 6. §. hæc autem actio. ¶ Et iis, atque in eos competunt, qui præ- 2 diorum domini sunt. l. 1. d. l. 2. §. 1. d. l. 6. §. hæc autem actio. id est, confessoria datur domino prædij dominantis, qui seruitutem sibi competere contendit. Negatoria verò datur domino alterius prædij, quod ipse negat seruire, sed contendit esse liberum. d. l. 2. in prin. Hæc datur etiam ei cuius prædium seruit, contra eum cui non seruit. l. 4. §. competit. illâ tenetur, quicumque vsum seruitutis impedit. l. si quis. 10. §. agi. ¶ Commu- 3 nia vtrique actioni hæc sunt. I. Vtraque datur non solùm non possidenti, sed etiam possidenti ne inquietetur. d. l. 6. §. 1. & l. sicut. 8. §. sed si quæritur. II. In vtramque veniunt etiam fructus, id est, interesse. l. 4. §. 1. d. l. 6. §. penult. III. Vtroque iudicio non solùm res præstatur, sed etiam officio iudicis cautio requiritur, ne in posterum ius victoris imminuatur, aut prohibeatur. l. 5. l. egi. 12.

VI. *Quemadmodum seruitutes amittuntur.*

DEnique commune omnibus seruitutibus est, vt certis modis extinguantur. I. Confusione, id est, si idem vtriusque prædij dominus esse cæperit. l. 1. II. Permissione actus contrarij seruituti: veluti si cùm vicini ædes altiùs me inuito tolli non possint, ego permittam vt altiùs tollantur. l. si stillicidij. 8. III. Rei interitu. l. si locus. 14. IV. Si heres prædio sub conditione legato seruitutem imposuerit, & legati conditio existat. l. is cui. 11. §. heres. & ff. de cond. & dem. l. si fundum. 105. V. Seruitus rustica amittitur non vtendo per statutum tempus. l. si communem. 10. §. 1. & l. seq. in princ. l. Labeo. 17. & l. vltim. Statutum autem tempus est decennium, sed hoc tempus duplicatur, & fiunt viginti anni: siue is, cui seruitus præstatur, absit, C. de seruit. l. pen. siue talis sit seruitus, vt vsus eius saltem alternis mensibus aut annis sit interruptus. l. 7. Seruitus autem vrbana non amittitur non vtendo, nisi aduersarius libertatem vsucapiat. Hinc est, quòd ius tigni immittendi in parietem vicini, non amittitur non vtendo, nisi dominus parietis seruientis foramen claudat, atque ita in possessione libertatis se constituat, & libertatem vsucapiat. l. si communem. 10. §. si is qui. l. is cui. 11. l. Labeo. 17. & l. si quis alia. 18.

BIU Cujas

LIBER NONVS.

TITVLVS I.

Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.

1 IVDICIIS realibus transgreditur ad personalia, quæ de damno competunt, & partim sunt ciuilia, partim prætoria. Ciuilia vel sunt ex iure antiquo, vel ex iure nouo. Ius antiquum dicimus legem xij. tabularum. Ius nouum, omnes leges posteriores xij. tabulis. ſ. de cap. min. l. 7. ¶ Ex
2 lege xij. tabularum est actio de pauperie l. 1. in princ.
3 ¶ Inscribitur autem hic titulus, *si quadrupes pauperiem fecisse dicatur*, à primis verbis edicti. nam prætor hanc actionem in edicto proposuit. d. l. 1. §. ait prætor. vt & alias actiones ciuiles. ſ. si pars hered. petet. l. 1. & de possess. hered. petit. l. 1. & ſ. de reb. cred. l. 1. & ſ. com-
4 mod. l. 1. & l. in commodato. 17. §. sicut. ¶ Hæc actio ei competit, cui quadrupes aliena, non propter loci iniquitatem, vel nimium onus, vel alterius culpâ; sed ingenitâ sibi feritate, præter naturam generis sui nocuit (vt quia equus calcitrosus calce percussit, vel bos cornupeda, cornupetiit) l. 1. §. in bestiis: ei (inquam) competit, cui ita quadrupes nocuit, aduersus dominum quadrupedis. d. l. 1. §. & cùm etiam. vt vel damnum sibi resarciat, vel animal noxæ dedat. d. l. 1. in pr.
5 Instit. eod. in prin. ¶ Quòd si animal non quadrupes pauperiem fecerit, actio vtilis competit, non directa cessantib. verbis legis, quæ nominatim de quadrupe-
6 de loquitur. l. pen. ¶ Pauperies autem definitur damnum sine iniuria facientis datum: quoniam animal quod sensu (id est, intellectu) caret, non potest videri fecisse iniuriam. d. l. 1. §. 1.

II. *Ad legem Aquiliam.*

1 EX nouo iure est actio legis Aquiliæ de damno per
2 iniuriam dato. Instit. h. t. in princ. ¶ Quæ lex plebiscitum est, cùm eam Aquilius tribunus plebis rogauerit. l. 1. ¶ Et vel est actio directa, si homo liber
3 damnum dederit: vel noxalis, si seruus alienus deli-
4 querit Instit. de noxal. action. §. sunt autem. ¶ Rursus vel est actio directa ex verbis legis competens, cùm aliquis suo corpore in corpus damnum dedit: vel est in factum ciuilis siue vtilis Aquilia, cùm aliquis occasionem damni dedit, veluti cùm pecus inclusit, atque ita fame necauit: vel est in factum prætoria ad legem Aquiliam accommodata, cùm corpus non est læsum, sed alio modo damnum datum, veluti si quis seruum compeditum misericordiâ ductus soluerit, isque fu-
5 gerit. Instit. h. t. §. vltim. ¶ Huius legis tria sunt capita. Primo capite is qui alienum mancipium vel pecudem iniuriâ (id est, dolo, vel culpâ) occidit, in tantùm condemnatur, quanti id eo anno retrorsum computato plurimi fuit. Pecudum autem appellatione significantur quadrupedes, quæ gregatim pascuntur, vt oues, boues, equi, sues. l. 2. l. ait lex. 21. Instit. eod. in princ. §. 1. §. ac ne is. §. is autem. Et ex verbis quidem legis æstimatur corpus peremptum, ex interpretatione autem adiicitur æstimatio eius quod interest: veluti quia seruo occiso, qui ab alio heres institutus fuerat, dominus per eum acquirere hereditatem non potuit: aut quia vnâ ex pari mularum occisâ, altera, quæ supersit, de-
6 pretiata est. Institut. eod. §. illud. ¶ Secundum caput non est in vsu. l. si seruus 27. §. huius legis. Instit. eod. §. caput. neque satis constat, quid eo capite continere-
tur. ¶ Tertium caput est de omni alio damno præter 7
mancipium, aut animal, quod pecudum numero sit, occisum. Ex hoc autem capite similiter dolus vel culpa punitur: sed res tanti æstimatur, quanti plurimi fuit eo mense retrorsus computato. d. l. si seruus. §. tertio autem. & §. seq. l. quemadmodum. 29. §. vlt. l. qui occidi. 30. §. in hac.

III. *De his qui effuderint vel deiecerint.*

EXpositæ sunt duæ ciuiles actiones de damno: se- 1
quuntur duæ prætoriæ. ¶ Prior est, quam hæc ru- 2
brica pollicetur, actio in factum aduersus eum, ex cuius habitatione aliquid solidum deiectum, vel liquidum effusum est, quod alteri nocuit. Ac regulariter in hanc actionem venit duplum damni dati. Sed si homo liber eo facto sit occisus, pœna est quinquaginta aureorum si aliter hominis liberi corpori nocitum sit, tanti reus damnatur, quantum iudici æquum videbitur, habita ratione, non ipsius corporis, quod, cùm liberum sit, nullam recipit æstimationem; sed impensarum in curationem factarum, & operarum, quibus ob illud factum caruit, vel cariturus est. Si verò seruus insciête domino fecerit, noxalis actio est: ac dominus poterit, seruum noxæ dedendo, pœnam vitare. l. 1. in pr. & §. hæc in factũ & §§. seqq. 3. 4. 5. 6. & l. vlt. ¶ Nota 3
primo, hanc actionem dici Aquiliam. l. 5. §. cùm autem. quoniam à prætore introducta est exemplo legis Aquiliæ, & accommodata ad legem Aquiliam. ¶ No- 4
ta secundò hanc actionem esse perpetuam & heredi quoque dari: nisi homo liber periisse dicatur: quo casu est actio pœnalis, popularis, annua in qua tamen mouenda extraneis præferuntur hi qui adgnatione vel affinitate defunctum contingebãt. Sed si homini libero nocitum sit, ipsi agere volenti perpetua est actio, alij perpetua. d. l. 5. §. hæc autem. ¶ Nota tertiò, eum, 5
qui ob hoc damnatus est, quòd hospes vel alius de cœnaculo deiecit vel effudit, posse in factum agere contra deiectorem: vel locati, si ei cœnaculum locauit. d. l. 5. §. cùm autem. ¶ Posterior est actio popularis in 6
factum aduersus eum, qui in suggrunda vel protecto supra eum locum quà vulgò iter fit, aut in quo consistitur, id positum habet, quod, si cadat, alicui nocere potest pœna est decem aureorum, & si seruus inscio domino posuerit, similiter est actio noxalis l. 5. §. prætor ait. ¶ Protectum est, quod parieti affixum, vlte- 7
riùs eminet. Suggrunda est protecti species, id est, pars tecti prominens, quæ stillicidium arcet à pariete. ¶ Si neque in suggrunda, neque in protecto positum 8
sit, sed in pergula, vel simili loco, ad huius actionis similitudinem datur actio vtilis. d. l. 5. §. pen. ¶ Vtra- 9
que autem actio, id est, tam de deiectis vel effusis, quàm de periculosè positis, est ex quasi delicto. Instit. de oblig. quæ qua. ex del. §. 1.

IV. *De noxalis actionibus.*

ACtionum noxalium aliæ sunt ciuiles, aliæ prætoriæ. Instit. h. t. §. sunt autem. Postquàm igitur 1
seorsum expositæ sunt actiones duæ noxales ciuiles, tit. 1. & 2. ac totidem prætoriæ, ſ. tit. prox. nunc subiicitur generalis titulus *de noxalibus actionibus*. nõ est enim nouum, vt specialibus generalia in iure subiiciantur. ſ. ad leg. Aquil. l. si seruus. 27. §. & non negat. Sic libro superiori titulis, *de seruitutibus prædiorum vrbanorum*, &, *de seruitutibus prædiorum rusticorum*, subiectus fuit titulus generalis, *communia prædiorum*. Sic libro tertio Codicis specialibus titulis, *familiæ erciscundæ*, & *communi diuidundo*, subtexitur titulus generalis, *communia vtriusque iudicij*. & libro sexto post speciales tractatus

de

de legatis, & de fid eicommissis datur titulus generalis, *communia de legatis & fideicommissis*. Eadem est ratio tituli, *communia de successionib.* eodem lib. ¶ Actio noxalis est, quæ ex serui aut quadrupedis facto in dominum redditur, ita vt in arbitrio domini sit, vtrum æstimationem seu pœnam soluere, an seruum seu quadrupedem noxæ dedere malit. l. 1. & Instit. eod. in prin. & ĵ. de re iudic. l. 6. §. 1. ¶ Nota I. Noxiam esse ipsum delictum, vt furtum, vel damnum: noxam verò accipi vel pro noxia, vel pro corpore quod nocuit, vel pro pœna. l. 1. & s̃. si quadr. pauper. fecis. dic. l. 1. §. 1. & s̃. tit. prox. l. 1. in fin. principij. & Instit. h. t. §. 1. ¶ Nota II. Vt dominus dictum beneficium noxæ dedendi habeat, duo requiri. Vnum est, vt nesciuerit, aut saltem prohibere non potuerit, ne noxia committeretur. l. 3. Alterum est, ne per mendacium neget se habere seruum in potestate. nam si id neget, ac deferente aduersario nolit se nec in potestate habere, nec dolo feciſse quominùs haberet, hoc beneficium non habet. l. quoties. 21. §. prætor ait. & §. seq. ¶ Nota III. Noxam caput sequi: adeo vt actio noxalis contra eum detur, qui nunc, cum agitur, est dominus; non contra eum, qui tempore admissi delicti dominus erat, ac postea dominus esse desiit. Quòd si seruus, qui deliquit, manumittatur: in ipsum redditur actio directa, quia per manumissionem incipit habere caput: quemadmodum è contrario, si homo liber, qui deliquit, in seruitutem redigatur, actio, quæ in eum directa erat, in dominum eius reddetur noxalis. Instit. eod. §. omnis. ¶ Nota IV. Si seruus domino noxiam commiserit, nullam actionem nasci Instit. eod. §. si seruus. ¶ Nota V. Noxales actiones oriri ex priuatis delictis, non ex publicis criminib. D. de ædil. edic. l. quid sit fugitiuus. 17. §. noxas. ¶ Nota VI. Actionem noxalem olim locum habuisse etiam ex delictis filiorum familiâs. Sed hodie filijfamiliâs non possunt noxæ dedi: proinde ex eorum delictis non parentes actione noxali, sed ipsi filijfamiliâs delinquẽtes directa actione sunt conuenienti. Instit. h. t. §. vlt. ¶ Nota VII. Corpore noxæ dedito; noxalem actionem extingui, & eius corporis dominium ad eum transire, cui deditur. sed si seruus deditus, postea noxam ei resarcierit, ad libertatem etiam eo inuito perducitur auxilio prætoris. Instit. eod. §. dominus.

LIBER DECIMVS.

TITVLVS I.

Finium regundorum.

EXPOSITIS iudiciis in rem, & iudiciis in personã, supersunt iudicia mixta, quæ simul & in rem sunt & in personam. Instit. de action. §. quædam. aut saltem aliquid reale, & aliquid personale in his spectatur: vt cùm dicitur actio ad exhibendum esse in personam, & propter vindicationes introducta esse. ĵ. ad exhib. l. 1. l. 3. §. est autem. ¶ Horum iudiciorum mixtorum alia sunt à re ad factum, id est, ad distinctionem, vel diuisionem seu partitionem, vel exhibitionem; de quibus hoc libro differitur: alia à facto ad iudicium, de quibus libro sequenti dicetur. ¶ Ad agrorum distinctionem pertinet iudicium finium regundorum. datur enim inter confines de finibus regundis, id est, dirigendis. ¶ Fines agrorum sunt spatium quinque pedum, quod ex lege Manilia purum à cultura relinqui debet, vt illac iri sine alterius incommodo, agri colendi causâ, & aratrum circumduci possit. Ergo de hoc spatio est quæstio finalis, id est, de finibus agrorũ, quæ per hoc iudicium terminatur. vltra quinque pedes autem quæstio proprietatis est, ad rei vindicationem pertinens. C. Th. h. tit. l. 3. ¶ Hæc actio I. Est ciuilis ex lege xij. tabularum. l. vlt. II. Mixta, vt dixi, quia est in rem & in personam. l. 1. Instit. de action. d. §. quædam. Continet enim distinctionem agrorum, & præstationes personales, vel propter adiudicationem, vel propter alias causas. Inst. de offic. iudic. §. pen. III. Duplex. quia vterque ligator actoris & rei partes sustinet. l. iudicium. 10. & ĵ. commu. diuidun. l. 2. §. 1. IV. Arbitraria. l. 7. V. Perpetua, ita vt tantùm longissimi temporis, hoc est, triginta annorum præscriptione tollatur. C. eod. l. vlt. & de anna. except. l. 1. §. 1. vers. nemo itaque. VI. Directa vel vtilis. Directa datur dominis agrorum confinium. vtilis, quasi dominis, vt emphyteutis. l. 4. §. finium.

II. *Familiæ erciscundæ.*

SEquuntur iudicia, quæ ad diuisionem rerum communium spectant. Aut diuiduntur vniuersæ res hereditariæ, iudicio familiæ erciscundæ: aut res singulæ, iudicio communi diuidundo. ¶ Familia hîc significat hereditatem. l. 2. in princ. id est, res hereditarias, vt in l. pronunciatio. 195. §. 1. ĵ. de verbor. significat. Nam ipsum successionis ius lege vel testamento est inter heredes diuisum, nec debet ampliùs à iudice diuidi: Immo nec actiones hereditariæ actiuæ vel passiuæ, cùm ipso iure ex lege xij. tabularum sint inter heredes diuisæ. C. de hered. act. l. 2. & de except. l. 1. in hoc iudicium veniunt vt diuidantur, sed fortasse vt adiudicentur, si ita expedire videatur. l. 2. §. vlt. & l. 3. ¶ Erciscere est vetustum verbum, quod significat diuidere. ¶ Hoc igitur iudicium datur inter coheredes de hereditate diuidenda. l. 2. in princ. id est, de corporibus hereditariis arbitrio iudicis diuidendis, & indemnitate inuicem præstanda, si cui fortè ex parte alterius adiudicetur, vel aliquis heres solus fructus perceperit, aut damnum in rebus hereditariis dederit. Instit. de offic. iud. §. si familiæ. ¶ Nota heredes ante diuisionem hereditatis à iudice vel ex communi consensu factam, habere partes pro indiuiso: sed per hanc diuisionem fiunt in corporibus diuisis partes pro diuiso. In corporibus vtroque modo partes constitui possunt. hereditas autem, quæ est ius incorporale. s̃. de rer. diuis. l. 1. §. quædam. non recipit partes pro diuiso, sed tantùm pro indiuiso. s̃. de rei vindicat. l. Pomponius. 8. in fi. Ergo testator aut lex facit inter heredes partes pro indiuiso: iudex autem facit partes pro diuiso. ¶ Hæc actio I. Est ciuilis, vt pote quæ introducta est lege xij. tabularum. l. 1. in princ. II. Vniuersalis. l. heredes. 25. §. pluribus & §. iudex. III. Mixta, id est, in rem & in personam. l. item Labeo. 22. §. pen. Instit. de action. §. quædam. In rem est, quia singuli heredes portiones suas petunt. In personam propter præstationes personales, de quibus paulo antè dixi. IV. Duplex: quia vterque litigantium subit vicem actoris & rei. l. inter. 44. §. qui familiæ. & s̃. tit. prox. l. iudicium. 10. & de iudic. l. in tribus. 13. & ĵ. tit. prox. l. 2. §. 1. V. Bonæfidei. Instit. de action. §. quædam. VI. Ex quasi contractu. Instit. de oblig. quæ qua. ex contractu. §. idem iuris. VII. Semel tantùm intentari potest. l. si filia. 20. §. familiæ. VIII. Directa, vel vtilis. Directa datur inter veros heredes. l. 1. in princ. l. 2. in princ. Vtilis est cum bonorum possessoribus, aliisque similibus successori-

BIU Cujas

bus,qui loco heredum habentur. l.2.§. si quarta. l.sed & eius.24.§.1. Hæc dicta sint de hereditatis diuisione.

III. *Communi diuidundo.*

Singulæ autem res diuiduntur iudicio communi diuidundo; siue ex causa societatis siue sine societate communes sint.l.2.& Instit.de oblig.quæ qua. ex contra.§. si inter. Accedunt autem præstationes personales, vt in superioribus iudiciis: veluti quia ex re communi aliquis fructus percepit, aut in ea damnum dedit. l. 3. aut quia alicui aliquid ex parte socij adiudicatum est. Instit.de offic.iudic.§. eadem. ¶ Est igitur hæc actio. I. Mixta in rem & in personam.l.4.§. sicut & Instit.de action.§.quædam. II.Ciuilis. III. Duplex. l.2.§.1.& 3.de iudic.l. in tribus.13. & fin. regund.l.iudicium. 10. IV. Bonæfidei. d.l. 4.§. hoc iudicium & Instit.de action.§.actionum. V. Specialis. Instit. de offic. iudic. d.§. eadem. VI. Directa,vel vtilis. Directa est inter dominos rei communis corporalis. d. l.4. in princ.Vtilis est, si aut quasi domini agant (vt emphyteutæ. l.7.in princ. & bonæfidei possessores. l.6.in princ.d.l.7.§.qui in rem.& missi in possessionem eiusdem rei.d.l.7.§.item si duo.)aut domini iuris, (vt fructuarij.d.l.7.§. sed etsi. & §.cùm de vsufructu.& 3. de vsufr.l.si cuius.13. §. si inter. vsuarij.l.item.10.§.1.habentes seruitutem prædialem. l.arbor.19.§.vlt.& creditores qui eandem rem pignori acceperunt. d.l.7. §.si duo) aut qui dominium alienarunt, ita vt tantum ob præstationes personales agatur.d.l.6.§.vlt.

IV. *Ad exhibendum.*

CVm dictum sit de rebus distinguendis, & diuidendis;supereſt,vt de exhibendis dicamus. ¶ Exhibendi verbum in iure variis modis accipitur: sed in præsentia, exhibere, nihil aliud est, quàm in eadem causa præstare,in qua fuit, cùm iudicium acciperetur, vt quis copiam rei habens persequi possit actione destinauit nullo modo læsa, l.Iulianus. 9. §. quantum, ¶ Actio ad exhibēdum siue exhibitoria datur ei cuius interest, dummodò pecuniariter interſit. l. pen. & ex iusta ac probabili causa. nam si quis ideo ad exhibendum agere velit, quia ipse ab alio eadem actione conueniatur, aut quia dolo desiit rem possidere, item fur vel raptor rem exhiberi cupiens, non auditur. l.3. §.si mecum. Immo tabulas testamenti, vel codicillos,vel aliud ad testamentum pertinens, nemò præter heredem hac actione petere potest. d. l. 3. §. si quis extra, ¶ Datur autem contra eum, qui facultatem exhibendi habet: siue ciuiliter possideat, siue naturaliter possessioni incumbat: proinde datur etiam contra depositarium, commodatarium, & conductorem. d.l.3.§. vlt. l. 4. l. 5. in princ. & C. eod. l.pen. ¶ Ex diuersis causis competit. d. l. 3. §. 1. quia diuersæ sunt causæ, propter quas nostra interest rem exhiberi: sed potissimum introducta est in eorum gratiam, qui vindicaturi sunt. l. 1. qualicumque in rem actione, putà hypothecariâ. d.l.3.§.est autem. ¶ Porrò hæc actio est arbitraria. d.l.3.§. ibidem subiungit. & Instit. de action. §. præterea. cuius effectus est, vt nisi reus arbitrio iudicis rem exhibeat, in id condemnetur quod actoris interest. d.l.3.§.sciendum.l.Iulianus.9.§.penult. & vlt. quapropter hoc iudicium est mixtum: non solùm quia est personale, & præparatorium actionis in rem. d.l.1. d.l.3.§. est autem. & C. eod. l.1, sed etiam quia contra possessorem seu detentorem agitur, & iudicis interlocutio est de re, sententia verò definitiua de eo quod interest.

LIBER VNDECIMVS.

TITVLVS I.

De interrogationibus in iure faciendis, & interrogatorijs actionibus.

POSTQVAM expoſuimus iudicia mixta,quæ sunt à re ad factum, id est, ad distinctionem, vel diuisionem,vel exhibitionem; consequēs est vt agamus de iis, quæ sunt à facto ad iudiciū, quoniam ex aliquo facto actio & iudicium oritur. Hoc factum aut est iudiciale,aut extraiudiciale, aut ad religionem pertinens, ¶ Primum factum iudiciale est interrogatio in iure, id est, apud magistratus vel alios iudices, vbi iuris dicendi, vel iudicandi causâ consistūt,facta.l.4.§.1. ex qua nascitur interrogatoria actio, quæ nō est species actionis ab aliis distincta, sed qualitas quædam, vt institoria, tributoria, de peculio &c. Verbi gratiâ, si interrogatus de seruo qui damnum dedit,respondeat suum esse seruum: tenebitur actione Aquilia interrogatoria. l. si quis interrogatus. 8. Item si quis interrogatus responderit se esse heredem debitoris, vel commodatarij, tenebitur certi condictione interrogatoria, vel interrogatoria commodati actione. l.de ætate,11.§. qui interrogatus. Sed interrogatoriæ actiones in desuetudinem abierunt, quia nemo cogitur ante iudicium cœptum de iure suo respondere, quare probationis tantùm causa vtimur interrogationibus, vt aduersarius sua confessione conuincatur. l. 1. §. 1. ¶ Porrò interrogatus, vel confitendo vel mentiendo se onerat.d.l.4. in princ. Exempli causâ,si heres ex quadrante, vel qui omnino non est heres, responderit se esse heredem ex asse, in assem quasi heres tenetur d. l. de ætate. §. qui ex quadrante. & qui,cùm esset ex semisse heres. dixit se esse heredem ex quadrante, in solidum propter mendacium conuenitur, quasi heres ex asse, d. l. de ætate. §. si cùm esset. Item qui interrogatus non respondit,sed tacuit: perinde in solidum tenetur,ac si negasset. ead. l. §. qui tacuit. nihil enim interest, neget quis, an taceat interrogatus, an obscurè respondeat, vt incertum dimittat interrogatorem. ead.l.§.nihil interest. ¶ Nota primò, si quis sine interrogatione respondeat, eum pro interrogato haberi.l.si sine.9.in pr. ¶ Nota secundò confessiones ita demum ratas esse, si id, quod in confessionem venit, iuri & naturæ sit consentaneum. l. si is cuius. 14. in fin.

II. *De quibus rebus ad eundem iudicem eatur.*

SEcundum factum iudiciale est actionis intentatio: qua fit, vt plures ad eundem iudicem ire iubeantur. Nam si plures, familiæ erciscundæ: vel communi diuidundo, vel finium regundorum agant: omnes coram eodem iudice litigare debent.l.1. & si ex pluribus tutoribus vnus, eò quòd ceteri contutores non sint soluendo, tutelæ iudicio conueniatur: eo postulante,omnes ad eundem iudicem mittuntur.l.2.

III. *De seruo corrupto.*

PRimum factum extraiudiciale est, si quis alienum seruum receperit, aut corruperit. quamuis enim serui tantùm corrupti in rubrica mentio fiat, tamen non minùs de seruo alieno recepto siue occultato cauetur hoc edicto, & tractatur sub hoc titulo: quo is qui alienum seruum recepit aut corrupit, prætoria actione

actione tenetur in duplum quanti ea res est. l.1.in prin.
2 l.si quis seruum.9.§. datur. ¶ Hæc actio perpetua est: & heredi quoque competit, non in heredem, quia est
3 pœnalis.l. hæc actio.13. ¶ De filiofamiliâs, & filiafamiliâs corrupris est actio vtilis, non directa. l. vt tan-
4 tum. 14.§.1. ¶ Differt autem hæc actio ab actione legis Aquiliæ: quoniam corruptus seruus dicitur, cuius animus deterior, seu cuius mores deteriores facti sunt: Lex autem Aquilia ad corporis læsionem pertinet.

IV. *De fugitiuis.*

1 SEcundum factum extraiudiciale est, si quis seruum
2 fugitiuum receperit & celauerit. ¶ Fugitiuus est, vt Osilius definit, qui extra domini domum, fugæ causâ, quò se à domino celaret, mansit. ff. de ædilit. edi.l.quid sit fugitiuus in princ.vel, vt Cælius, qui ea mente discedit, ne ad dominum redeat. eod.l.§.1. vel vt Cassius, qui certo proposito dominum relinquit. eod.l.§. Cassius. Erro est, qui frequenter & sine causa vagatur, & temporibus in res nugatorias consumptis, seriùs domum redit.eod.l.§.erronem. Sed hoc loco fugitiui appellatione etiam erro continetur. l.1.§. fugi-
3 tiuum. ¶ Qui seruum fugitiuum celauit, furti tenetur. l.1.in princ. & ex constitutionibus, si priuati hominis seruum occultauit, eum eum alio simili, vel viginti solidis restituit. Si secundò eum suscepit, eum cum duobus aliis vel quadraginta aureis reddit. Si tertiò eum celauit, eum cum tribus aliis vel sexaginta aureis domino repræsentat. C. eod. l. 4. Si seruum fiscalem occultauit, non solùm eum restituit, sed etiã duodecim libris argenti fisco inferendis multatur. C. eod. l. pen.

V. *De aleatoribus.*

1 TErtium factum extraiudiciale est, aleatoribus domum præbere, vel ludendi causâ vim inferre.
2 ¶ Alea est fortunæ lusus, vt chartis, vel talis. ¶ Pœna
3 suscipientis aleatores est, vt vbicumque & quandocumque iniuria vel damnum impunè ei detur: ob furtum autem ei factum *actio tam in rem quàm* in personam ita demum denegetur, si domi lusus tempore hoc
4 passus sit. l.1.in princ.& §.item.& §.seq. ¶ Pœna compellentis ludere est arbitraria. d.l.1.in princ. & §. vlt.&
5 l. 2. ¶ Præterea qui aleæ ludo victus est, soluere non cogitur: immo, si soluat, repetere potest: & eo non repetente, quiuis alius potest repetere præsertim pater vel defensor ciuitatis, vt in opera ciuitatis id expen-
6 dat. C. eod. l.1. & 2. ¶ Permittuntur autem, & extra omnem pœnam sunt ludi, qui virtutis causâ fiunt. l.2. §.1. & l.3. quorum *quinque genera nominatim enumerantur*: nempe saltus sine conto; saltus conto suffultus; Quintiana, vulgò Quintana; lucta equorum agitatio. quibus ludis in singulas vices numum vnum deponere permittitur eis qui sunt valde locupletes, ceteri multò minori summa certare debent. C. eod. d.l.1.& 2.

VI. *Si mensor falsum modum dixerit.*

QVartum factum extraiudiciale est falsa modi seu mensuræ renunciatio. Qui hoc fecit. l.1.§. vlt. ex edicto prætoris. d.l.1.in princ. ei tenetur cuius interest falsum modum renunciatum non esse. l.3.§.1. actione perpetua l.4. quæ non solùm ad agrorum, sed etiam ad aliarum rerum mensuram pertinet. l.5.§. vlt.& ll. seqq.

VII. *De religiosis, & sumptibus funerum, & vt funus ducere liceat.*

1 SVpersunt facta ad religionem, id est, ad sepulturas
2 pertinentia. ¶ Primum factũ est, si quis mortuum intulerit, quò ius inferendi non habuit. hic tenetur actione in factum prætoria, pecuniaria. l.2.§. prætor ait. perpetua. l.7.in princ. Nam qui in locum alienum intulit: aut tollere quod intulit, aut loci pretium præstare cogitur. d.l.7. in princ. Qui in locum publicis vsibus destinatum intulit, si dolo malo fecit, extra ordinem modica coërcitione plectitur. si dolo caret, absoluitur. l. ossa. 8.§. si in locum. Qui verò in alterius arcam lapideam, in qua adhuc mortuus non fuit conditus, mortuum intulit vtili in factum actione tenetur: quia non propriè in sepulchrum vel locum alterius intulisse dici potest. d.l.7.§.1. ¶ Qui igitur mor- 3
tuum intulit, quo inferre non debuit, ea illatione non facit locum religiosum. l.2.§. si vsumfructum. & §. seq. cum sim. religiosum enim locum facit illatio mortui, vel præcipuæ partis. i. capitis. l.2. in pr. l. cùm in diuersis. 44. in princ. in locum in quem inferre licet. d.l.2.§. si vsufructum. & §§. seqq. l.3. & 4. cum sim. sepulturæ causâ facta. d.l.2.§. de ea. id est, hoc animo, vt ibi maneat tanquam æternæ sedi traditus, non alio transferatur, etsi interdum arcam transferre postea conceditur. l. Diui fratres. 39. & l. seq. Huc spectat prima rubricæ pars, *de religiosis*. ¶ Secundum factum proponi- 4
tur in secunda partæ rubricæ, *& sumptibus funerum:* nempe si quis in funus ad alium pertinens impenderit. Huic prætor. l.si quis sepulchrum. 12.§. prætor ait. si repetendi sumptus causâ funerauit. l. etsi quis. 14.§. sed interdum. nec sumptum nimis modicum contumeliosè fecit. d.l. etsi quis. §. iudicem. aliis actionibus cessantibus. d.l. etsi quis. §. Labeo. dat actionem funerariam. d.l. etsi quis. §. hæc actio, aduersus eos, ad quos funus pertinet. d.l. si quis sepulchrum. §. prætor ait. vt heredes & similes personas. d.l. etsi quis. §. vltim. & ll. seqq. qua actione id tantùm repetitur, quod funeris causâ impensum est. d.l. etsi quis. §. hæc actio. ¶ Fune- 5
ris autem causa sumptus factus dicitur, sine quo funus duci non potuit, veluti ad mortui delationem, & loci, in quod inferatur, emptionem. d.l. etsi quis. §. funeris. & §. seq. ¶ Hæc actio ex bono & æquo oritur. d.l. etsi 6
quis. §. hæc actio. ne aut insepulta cadauera iaceant, aut quis de alieno funeretur. d.l. si quis sepulchrum. §. hoc edictum. Eiusque fauor tantus est, vt placuerit impensam funeris omne creditum præcedere, cùm bona defuncti soluendo non sunt. l. pen. & ff. de reb. auctor. iud. possid. l. quæsitum. 17. & C. de iu. delib. l. vlt. §. in computatione. ¶ Tertium factum est, si quis prohi- 7
beatur funus ducere, vt indicat tertia rubricæ pars, *& vt funus ducere liceat*. Ne quis autem ducere prohibeatur, ad curam magistratus pertinet. l. ne corpora. 38. ¶ Exposui tria facta ad religionem pertinentia, 8
quæ in hac rubrica proponuntur: reliqua duo sequenti rubrica continentur.

VIII. *De mortuo inferendo, & sepulchro violando.*

QVartum factum est, si quis prohibeatur mortuum 1
inferre, quò inferendi ius habet. ¶ Ei qui in- 2
ferre prohibetur, duplex remedium prætor tribuit. Nam liberum arbitrium ei permittit, vtrùm malit statim interdicto prohibitorio vti, quo consequatur, ne vis sibi fiat, quominùs mortuum inferat; an aduersario vim facienti cedere, & quouis aliò inferre, deinde in factum agere in id quod sua interest prohibitum non esse. ff. tit. prox. l. liberum. 9. Interdictum illud proponitur hoc titulo, l.1.in prin. ¶ Quintum factum est, 3
si quis prohibeatur ibi sepulchrum ædificare, vbi mortuum sepeliendi ius habet, huic prætor dat simile interdictum prohibitorium, ne ei vis fiat, quominùs eo loco ædificet. d.l.1.§. prætor ait. ¶ Absoluta est iudi- 4
ciorum diuisio in realia, personalia, & mixta.

IVL.

IVLII PACII
A BERIGA I. C.
ISAGOGICORVM IN PANDECTAS
PARS III.

1 ALIAM iudiciorum diuisionem deinceps persequitur, quòd alia sunt de obligatione, alia de dominio, alia mixta, alia de statu hominis, alia de possessione: in quibus causis enarrandis quatuor partes Digestorum
2 consumuntur, tertia, quarta, quinta, & sexta. ¶ Obligatio vel nascitur ex contractu, vel ex delicto. Appellatione contractus intelligo etiam quasi contractum, quod in iure non est nouum: & appellatione delicti, etiam quasi delictum. Sed de delictis alio commodiori loco disseretur: nunc de contractibus dicendum.
3 ¶ Quorum alij sunt reales, id est, de re aliqua fiunt, vt emptio, locatio, &c. alij personales, qui ad solam personarum coniunctionem pertinent, vt sponsalia, & nuptiæ. Reales hac tertia parte declarantur, quos solos plerumque intelligimus, cùm de contractibus loquimur.
4 ¶ Contractus est conuentio causam à iure habens, per quam parit ciuilem obligationē & actionem. Et est vel nominatus, vel innominatus, vt exposui ad tit. ſ. de pactis. Contractus autem nominati aut re perficiuntur, aut verbis, aut literis, aut consensu. Instit. de oblig. §. vlt. in fin. De literarum obligatione (quia vetus eius contrahendæ ratio in desuetudinem abiit, noua autem à Iustiniano introducta est. Instit. de liter. oblig.) non agitur in Pandectis: ideóque hoc membrum omittitur in l. 1. §. 1. ff. de oblig. & action. Stipulationis, quæ verbis contrahitur, expositio in septimam huius operis partem reiecta est. supersunt ergo in hac tertia parte explicandi contractus nominati, qui re, aut consensu celebrantur. & contractus innominati, qui quidem omnes re perficiuntur. ff. de rer.
5 permut. l. 1. §. item emptio. ¶ Cùm audis contractum re perfici, intellige rei traditione, vt in mutuo contingit. Verbis autem contrahi intellige, cùm verba necessariò requirūtur, & sunt potissima causa obligationis. & similiter literis, cùm scriptura necessariò requiritur, & obligat. Consensu autem cùm solus consensus ad obligandum sufficit, vt in emptione & venditione accidit. omnes enim contractus rem requirunt: non omnes rei traditionem. nam & emptio quæ nudo consensu constat, sine re, quæ veneat, nulla est. ff. de contrah. empt. l. nec emptio. 8. in princ. sed rem requirit, in quam consentiatur, non vt eius traditione contractus perficiatur. ff. eod. l. in venditionibus. 9. & de oblig. & actio. l. 2. §. 1. Rursus omnes contractus consensum desiderant. ſ. de pact. l. 1. §. cōuentionis. sed non omnes solo consensu perficiuntur.
6 ¶ De contractibus nominatis, qui re perficiuntur, à duodecimo libro agitur vsque ad librum decimum septimum. De iis qui consensu celebrantur, libro decimo septimo, decimo octauo, & duobus titulis decimi noni dicetur. Reliqui tres tituli sunt de contractibus innominatis. Quædam autem diuersis locis obiter inseruntur, vt suis locis explicabitur.

LIBER XII.
TITVLVS I.
De rebus creditis, si certum petetur, & de condictione.

HIVS rubricæ partes duæ sunt. Prior 1
de rebus creditis, est generalis, & toti huic tertiæ parti communis. C. de veter. iu. enucle. l. 2. §. in tertia. quia rerum creditarum appellatio ad omnes contractus extenditur. l. 1. ¶ Posterior est, *si certum petetur, & de* 2
condictione. Eadem enim actio à primis, (vt probabile est) verbis edicti vocatur actio si certum petetur. ſ. de interrog. in iu. fac. l. 1. & ff. de condict. tritic. l. 1. & certi condictio. l. certi 9. in princ. & §. quoniam. & concisè condictio. d. l. certi. §. pen. Quamquàm non omnis condictio est certi: sed alia est certi, alia incerti quarum illa rem certam, hæc incertam persequitur. verùm hîc de sola certi condictione agitur. ¶ Certi 3
condictio est actio personalis ex quacunq; causa competens, ex qua certum petitur. d. l. certi. Certum est, quod apparet quid, quale, & quantum, sit, vt Stichus, vini Campani optimi amphoræ centum. nisi hęc omnia appareant, est res incerta, vt homo, vinum. l. 6. & ff. de verb. oblig. l. stipulationum. 74. §. 1. & l. seq. Itaque res certa vel est corpus seu species, vt Stichus: vel quantitas vt vini Campani optimi amphoræ centum. Res incerta aut est genus, vt homo: aut quantitas, vt vinum, & id quod interest (idcirco actio præscriptis verbis, qua petitur id quod interest, incerti condictio nominatur. ſ. de pact. l. 7. §. sed etsi in alium. & ff. de præscript. verb. l. 6. l. si dominus. 8. in fi. & C. de rer. permut. l. 6.) aut res incorporalis. nam omnis res incorporalis est incerta, ideóque incerti condictione petitur, vt seruitus. ff. de condict. indeb. l. sed etsi. 22. §. 1. possessio. ff. eod. l. indebiti. 15. §. 1. liberatio. ff. eod. l. is qui. 31. ¶ Quamuis autem (vt dixi) hæc actio com- 4
petat ex omni causa & omni obligatione, ex qua certum debetur, tamen hoc titulo potissimum agitur, id est, de mutuo: quia reliquæ causæ partim? habent alia loca, quibus tractantur, vt legatum, & lex Aquilia, &c. partim non semper certæ sunt: proinde modò certi, modo incerti condictionem pariunt, vt ex sequentibus titulis discemus. ¶ Mutuum est contractus, quo 5
pecunia sic datur, vt accipientis fiat, & eo tempore, de quo inter contrahentes conuenit, tantundem ex eodem genere & eiusdem bonitatis reddatur. ¶ Pe- 6
cuniæ appellatione hîc continentur res numero, pondere, vel mensura constantes, vt numi, aurum, argentum, vinum, frumentum, l. 2. & Instit. quib. mod. re contrah. oblig. in princ. ¶ Intellige pecuniam sic 7
dari, vt, si numero constet numeretur: si pondere, appendatur: si mensura, metiatur: alioqui non erit mutuum, sed contractus innominatus, veluti si pecunia in sacculo sine numeratione detur. ¶ Ficta quoque 8
traditio mutuum sustinet: veluti si tecum paciscar, vt quam pecuniam apud te deposui, eam mihi ex mutui causa debeas. nam breui manu videris pecuniam depositam mihi restituisse, deinde mutuo à me accepisse. l. singularia. 15. ¶ Mutuum transfert rei do- 9
minium in accipientem, vnde Paulo videtur mutuum ex eo dictum, quòd de meo tuum fit. l. 2. §. appellata.

II. *De*

BIU Cujas

II. *De iureiurando siue voluntario, siue necessario, siue iudiciali.*

1 SVperiori titulo dixi, ex mutuo semper dari certi condictionem, quia quod mutuò datum est, semper est certum: alias verò causas esse, ex quibus modò certum, modò incertum petitur: proinde modò certi, modò incerti, condictione agitur. Harum prima est iusiurandum: quia modò iurat aliquis sibi rem certam deberi, vt decem; modò incertam, vt hominem.
2 ¶ Iusiurandum est diuini numinis assumptio, ad id,
3 quod asseritur, confirmandum. ¶ Eius diuisiones hæ notentur. I. Aut est simplex inuocatio, veluti, *Testis est mihi Deus.* ad Rom. 1. vers. 9. & alibi. & apud Virgil. 6. Æneid.

—Per sydera iuro,
Per superos, & si qua fides tellure sub ima est.

Aut est imprecatio, vt in illa Romanorum formula apud Festum in verbo Lapidem: *Si sciens fallo, tum me dies Iuppiter, salua vrbe arceque bonis eijciat, vti ego hunc lapidem.* II. Aut iuratur per Deum, aut per creaturam, vt per caput iurãtis, vel per principẽ. l. 7. §. vlt. & l. seq. l. si duo. 13. §. vlt. & C. de reb. cred. l. 2. III. Aliud est iusiurandum voluntarium, quod extra iudicium præstatur ex conuentione partium: aliud necessarium, quod præstatur lege iubente: aliud iudiciale, quod in iudicio defertur, vel refertur. h. rub. vide nostrum comment. in l. 1. C. de reb. cred. IV. Aliud est iusiurandum de veritate, veluti, iuro rem meam esse, vel, rem mihi deberi: aliud de opinione, siue (vt Doctores loquuntur) de credulitate, veluti, iuro me bona fide litigare, quia puto me habere bonam causam. C. de iureiur. propt. calum. l. 2. in princ. V. Tot sunt iuramentorum genera, quot sunt ea, de quib. iuratur: proinde sunt etiam diuersi effectus iurisiurandi: & modò datur ex iureiurando actio in rem, (veluti si quis iurauerit rem suam esse. l. nam posteaquam. 9. §. 1. & §. vlt. d. l. si duo. §. 1.) modò actio in personam, (veluti si quis iurauerit se emisse. d. l. si duo. §. si quis iurauerit. quod iusiurandum Doctores vocant obligatorium: vnde datur actio modò certi, modò incerti vt paulò antè notaui) modò exceptio aduersus actionem in rem, (veluti si iurauerit rem petitoris non esse. l. sed si possessori. 11. in princ.) modò exceptio aduersus actionem in personam, veluti, si quis iurauerit se furtum non fecisse. d. l. si duo. §. idem Iulianus. quod iusiurandum Doctores vocant liberatoriam. Inueries etiam quoddam nominati iusiurandum decisorium; id est, per quod lis deciditur & controuersia tollitur: quia statur iuri iurando. ẽ. de dolo. l. quòd si deferente. 21. & C. de reb. cred. l. 1. Item iusiurandum suppletorium probationis, videlicèt cùm actor semiplenè probauit, vt iudex dubitet, vtrùm reum absolui, an condemnari, æquius sit: tunc enim inopiâ probationis defert iusiurandum. l. admonendi. 31. & C. de reb. cred. l. 3. Sed hoc quoque est litis decisorium, quia secundum eum iudicatur, qui
4 iurauit. ¶ Nota primò, vt iusiurandum valeat, & effectum sortiatur, opus esse, vt non temere sed iudice vel aduersario deferente præstitum sit. l. 3. in princ. & vt iuratum sit, sicuti delatum fuit, ne fortè is cui delatum est vt per Deum iuret, per caput suum iuret. d. l. 3. §. vlt. & vt iusiurandum non sit religionis publi-
5 cè improbatæ. l. 5. §. pen. ¶ Nota secundò nihil referre, vtrùm is, cui iusiurandum delatum est, iurauerit, an, cùm iurare paratus esset, remissum ei sit iusiuran-
6 dum. l. 6. l. nam posteaquam. 9. §. 1. ¶ Nota tertiò, actionem, quæ ex iureiurando competit, esse prætoriam. Instit. de action. §. in personam. & §. item si quis. quæ modò vocatur vtilis. l. quòd si iurauit. 29. modò in factum. l. sed si possessori. 11. §. 1. & C. de reb. cred. l. actori. 8. ¶ Ac tum demum est species actionis à ceteris distincta, cùm quis extra iudicium iurauit sibi aliquid deberi, non expressâ causâ propter quam debeatur. nam si vel causam expressit, vel in iudicio iurauit, tunc non est species actionis, sed qualitas. verbi gratiâ si iurauit se emisse, est vtilis actio ex empto. d. l. si duo. §. si quis iurauerit. si verò iurauit se pignori dedisse, habet vtilem pigneratitiam. ead. l. §. Marcellus. at si in iudicio iurauit, habet vtilem actionem iudicati. d. l. actori. ¶ Nota quartò, si duo sint iuramenta con- 8
traria, posterius prævalere: veluti si me deferente iuraueris te non debere, deinde ego te deferente iurauero te debere. l. in duob. 28. §. vlt. vel te non iurasse. d. l. quòd si iurauit.

III. *De in litem iurando.*

POstquàm dixit de iureiurando in genere, speciali- 1
ter agit de iureiurando in litem, quod deferente iudice. l. 3. l. 4. §. 1. & §. iurare. in iudicio bonæ fidei, vel arbitrario. l. 5. & 6. præstatur ab actore. l. pen. rem pro libitu etiam vltra verum pretium æstimante. l. 1. propter dolum vel contumaciam aduersarij. l. 2. §. 1. non propter culpam. d. l. 4. §. vlt. l. 5. §. pen. ¶ Sed iudex po- 2
test quantitatem taxare, intra quam iuretur. d. l. 4. §. iurare. item potest ex magna causa minoris reum condemnare, quàm actor iurauerit. d. l. 4. §. pen.

IV. *De condictione causâ data causâ non secutâ.*

SEcunda causa, propter quam modò certi, modò in- 1
certi condictione agitur, est, cùm aliquid ob rem datur, vel promittitur, id est, ob causam futuram. ¶ Nota primò, interdum dari vel promitti propter 2
causam, id est, propter causam præteritam, quæ est causa procatarctica, veluti quia negotia mea gessisti: interdum propter rem, id est, propter causam futuram, quæ est causa finalis, veluti vt negotia mea geras. sic enim res & causa propriè loquendo distinguuntur. ff. tit. prox. l. 1. ¶ Nota secundò vtramque aut esse lici- 3
tam, vt in dictis exemplis: aut illicitam, veluti, quia vi coactus tibi promisi, vel, vt hominem occidas. In hac rubrica causa dicitur, quæ est futura & honesta. in seq. rubrica turpis causa vocatur, quæ est futura: iniusta autem, quæ est præterita. ¶ Nota tertiò, hanc 4
rubricam esse de datione, sed in legibus huic rubricæ subiectis agi etiam de promissione. ¶ Nota quartò, 5
hanc rubricam sumptam esse (vt probabile est) ex primis verbis edicti. nam quæ *causâ* (id est, ob causam) *data* sunt, *causâ non secutâ* (id est, si ea causa secuta non sit) cõdictione repetuntur. Planior tamen lectio esset, ac mihi magis arrideret, si scripti alicuius libri auctoritate confirmaretur, *De condictione causa dati*, vt lib. 4. Codicis, *De condictione ob causam datorum.* ¶ Nota 6
quintò, hanc esse plerumque certi cõdictionem veluti si decem data repetantur; interdum esse condictionem incerti, veluti si, cùm mihi rem incertam deberes, acceptò tibi tuli, vt aliquid faceres: nam hæc actio etiam ei datur, qui acceptò tulit; quia nihil interest, vtrùm aliquid datione, an acceptilatione ad quempiam peruenerit. l. si mulier. 10. ¶ Nota sextò, 7
eum, qui ob causam dedit, posse re integra pœnitere, & condicere: quia verum est, causam nondum esse secutam. l. 5. ¶ Nota septimò, ex dictis colligi defini- 8
tionem huius actionis. Nam condictio causa data, siue ob causam, est actio personalis, qua is qui ob rem dedit vel cauit, id ob eam rem non secutam repetit.

BIU Cujas

V. *De condictione ob turpem, vel iniustam causam.*

1 TErtia causa, quæ primis huius rubricæ verbis proponitur, est datio vel promissio ob turpem cau-
2 sam, id est, ob rem futuram illicitam. ¶ Nota primò, hîc non spectari, an res seu causa secuta sit, sed vtra ex parte sit turpitudo. Nam datum ob turpem causam, si solius dantis turpitudo sit, veluti si meretrici datum sit, non repetitur. Si vtriusque, similiter non repetitur, veluti si pecunia data sit, vt malè iudicetur, vel stupri aut adulterij causâ. l. 3. & 4. in princ. & §. 1. Si solius accipientis, repetitur, veluti si tibi pecuniam dedi, ne de-
3 linqueres. l. 2. in princ. & §. 1. d. l. 4. §. quoties. ¶ Nota secundò, ex turpi promissione, licèt ex vtraque parte sit turpitudo, tamen non esse actionem efficacem: sed si promissor ex hac causa soluerit, non repetit: quia in pari causa melior est cõditio possidẽtis. l. pen. & C. de
4 condict. ob turp. cau. l. 5. ¶ Nota tertiò. nihil referre vtrùm sit res turpis secundum naturam, vt adulterium. d. l. 5. an iuris dispositione. C. eod. l. 3. vbi dux seu magister militum à milite veterano pecuniam extor-
5 serat, ne eum inter tyrones retraheret. ¶ Nota quartò, condictionem ob turpem causam esse actionem personalem, qua is, qui ob rem turpem dedit, vel cauit, cùm ipse sit turpitudinis expers, repetit etiam si res sit
6 secuta. ¶ Nota quintò, hanc actionem modò esse certi condictionem, vt cùm certa pecunia data repetitur;
7 modò incerti, vt cum liberatio condicitur. ¶ Quartam causam indicant posteriora rubricæ verba, *vel iniustam causam.* Quare si cui datum sit ex iniusta causa, putà ex stipulatione per vim extorta: aut si quouis modo aliquid ex iniusta causa ad eum peruenerit, id ab eo repeti per hanc condictionem potest. l. 6. & 7. quæ promiscuè vocatur condictio ex iniusta causa, vel, ob iniustam causam: vt in hac rubrica, & in rub. C. de condict. ex lege. & sine cau. vel iniust. cau. ¶ Sed & ante solutionem quid vetat liberationem condici, vt
8 in aliis similibus casibus? ¶ Ergo hæc actio similiter est modò certi, modò incerti condictio: quia modò
9 rem certam, modo incertam repetit.

VI. *De condictione indebiti.*

1 QVinta causa est solutio, vel promissio indebiti. Si indebitum solutum repetatur, certi condictio est. D. de donat. l. 2. §. item si ei & de doli except. l. 7. §. 1. qua illud ipsum quod solutum fuit, aut tantundem repetitur. l. 7. (Nam si species soluta sit, vt Stichus, illud ipsum condicitur quod datum est. si verò quantitas sit soluta, vt decem, tantundem repetitur, quasi ex mutuo. ff. de oblig. & act. l. 5. §. is quoque. Instit. quib. mod. re contrah. oblig. §. 1.) quòd si indebitum sit promissum, liberatio cõdicitur incerti cõdictione, vel
2 agenti opponitur doli mali exceptio. ff. tit. prox. l. 3. & de act. emp. l. 5. in fi. & C. h. t. l. 3. ¶ Nota primò, indebitum hîc accipi naturaliter, non ciuiliter. l. si quod. 64. quia quod naturaliter tantùm debetur, vt ex pacto nudo, solutum non repetitur. l. naturaliter. 13. quod verò ciuiliter tantùm debetur, vt quia perpetua obstat exceptio, solutum repetitur. l. si non sortem. 26. §. indebitum. & §. adeo. Nisi vel ea exceptio sit introducta odio creditoris, vt exceptio senatusconsulti Macedoniani l. qui exceptionem. 40. vel solutum sit ex ea causa, ex qua per inficiationem rei conuenti lis crescit in duplum. Instit. de oblig. quæ qua. ex contra. §. vltim.
3 ¶ Nota secundò, nihil referre, an sit omninò indebitum, an ei non debitum cui solutum promissúmve est, an ab eo non debitum qui soluit seu promisit, si modò suo, non veri debitoris nomine id fecit. l. quod nomine. 8. l. si pœnæ. 19. §. 1. l. seruus cuiusdam. 36. vers. vlt. l. in summa. 65. §. vlt. & C. eod. l. 5. & ff. de hered. petit. l. 5. & l. si quid possessor. 31. in princ. & ff. de solutio. l. cùm quis. 38. §. de peculio. ¶ Nota tertiò, debi-
4 tum in diem, si ante diem soluatur, non repeti. l. in diem 10. debitum autem sub conditione, si pendente conditione soluatur, repeti. l. sub conditione. 16. in pr. ¶ Nota quartò, si totum solutum sit indebitum, totum
5 repeti, si pars sit indebita, partem repeti. l. si is qui hereditatem. 45. ¶ Nota quintò, eum, qui indebitum
6 soluit vel promittit, aut id facere scientem: aut per ignorantiam iuris, veluti si heres legata soluat vltra dodrantem, ignoratione legis Falcidiæ: aut per ignorantiam facti, veluti si heres legatum ex testamento soluat, ignorans id fuisse in codicillis ademptum. Primo casu non repetit, quia censetur donare. l. 1. l. quod quis. 50. & ff. pro empt. l. 7. §. seruus. & de diuers. reg. iur. l. cuius per errorem. 53. Secundo casu similiter non repetit, quia ignorantia iuris non excusat. Tertio casu repetit. ff. de iu. & fa. ignor. l. penult. §. vltim. & C. eod. l. cùm quis. 10. & ad leg. Falcid. l. error. 9. Quin etiam duobus casibus iuris ignorantia condictionem tribuit. Primus casus est, si testator heredi necessitatem remiserit cauendi de legatis præstandis, & heres ignorans testatorem posse cautionem remittere, caue-
7 rit legatariis. ff. vt in possess. legat. l. 1. vers. si verò hoc non potuisse. Alter casus est, si mulier per ignorantiam senatusconsulti Velleiani, ei soluerit, apud quem pro alio interceſſit. C. ad senatusconsul. Velleia. l. quamuis 9. ¶ Nota sextò, eum, qui dubitat an debeat, non
8 minus condicere quàm is qui falsò putat se debere: vterque enim ignorat. C. h. t. l. vlt. ¶ Nota septimò, ex dictis colligi definitionem condictionis indebiti, est enim actio personalis, qua quis id repetit, quod per ignorantiam facti soluit, aut se soluturum cauit.
9 ¶ Nota Octauò, ideo solutum condici, quia dominium translatum est in accipientem: alioqui res non conditeretur, sed vindicaretur. l. interdum 2. 9. Sed qui rem alienam soluit, possessionem condicit: vt & is, qui falsò existimans possessionem rei debere, tradidit. l. indebiti. 15. §. 1. ¶ Nota nonò, non solùm ipsam rem
10 solutam debere restitui ei qui per errorem soluit, sed etiam fructus & alias accessiones. d. l. indebiti. in princip.

VII. *De condictione sine causa.*

SExta causa est, si res nostra apud alium sine causa 1
sit, ad quam repetendam datur condictio sine causa. Nam hæc condictio est actio personalis, qua quis id repetit, quod ad se pertinet, & apud alium est sine causa. ¶ Nota primò, tribus modis contingere, vt res 2
sit apud aliquem sine causa. I. Si ab initio nulla sit causa: veluti si promissum sit nomine dotis, cùm matrimonium iure non consistat. II. Si causa non sit secuta: veluti si quis promiserit spe accipiendæ mutuò pecuniæ, quam postea non accepit. III. Si causa sit finita: veluti si is qui chirographum creditori dedit, pecuniam, cuius obligatio eo chirographo continebatur, creditori soluerit. l. 1. §. pen. l. 4. l. vlt. & C. de condict. ex le. l. 2. & l. vlt. ¶ Nota secundò, hanc condi- 3
ctionem concurrere cum aliis condictionibus, vt cum condictione ob causam, quando causa non est secuta: item cum condictione indebiti, & cum condictione ex iniusta causa, quod enim est indebitum, sine causa soluitur aut promittitur. & iniusta causa, pro nulla habetur. l. 1. ¶ Nota tertiò, cùm hac actione tam promis- 4
sum quàm solutum repeti possit, modò esse certi, mo-

dò

dò incerti condictionem. d.l.1.& l.3.sicut & de superioribus condictionibus diximus.

LIBER XIII.

TITVLVS I.

De condictione furtiua.

1 SEPTIMA causa est furtum. Cùm autem ex furto nascantur plures actiones, nempe rei vindicatio, actio ad exhibendum, condictio furtiua, & actio furti.l. 7.§.1. & Instit. de oblig. quæ ex delic.§. vltim.& cognitio extraordinaria. ff. de furt. l.vlt.hoc
2 loco de furtiua tantùm cõdictione dicendum. ¶ Quæ quidem est personalis actio rei surreptæ & fructuum persecutoria, ei competens qui furtum passus est, aduersus furem & heredem eius pro qua parte est heres. d.l.7.§.1. & §. seq.l. in re furtiua. 8.§. vlt. & ll. seqq. & Instit. de oblig. quæ ex del.§.vlt. Est autem arbitraria. ideòque ex hac causa in litem iuratur. ff.de in lit.iur.l.
3 cùm furti.9. ¶ Et partim est certi, partim incerti condictio. Illa datur soli domino rem suam condicenti. l.1.& ff.de furt.l.eum qui.14.§.qualis. hæc non domino condicenti possessionem, vt creditori, cui pignus
4 surreptum fuit l.& ideo.12.§.vlt. ¶ Nota hanc actionem non tolli, nec morte furis. d.l.7.§.1. & l.in condictione.9. nec rei interitu.d.l.in re furtiua. in prin.& l. vlt. nec transactione de furto.d.l.7.in princ.sed tolli, si res domini facto ad alium transferatur. l. siue. 10.§. tamdiu. aut domino offeratur, vel obligatio nouetur. l.parui.17.

II. *De condictione ex lege.*

1 OCtaua causa est, si noua lex, (id est legibus xij. tabularum posterior. ff. de cap. min. l.7.) obligationem introducat, neque caueat, quo genere actionis experiri oporteat. tunc enim datur condictio ex ea lege.l.vn. verbi gratiâ Iustiniani constitutione datur actio ex donatione nudo pacto facta. C.de donat. l.si quis argentum. 35.§. vlt. hæc igitur actio est con-
2 dictio ex lege. No.162.cap.1. ¶ Quare condictio ex lege est actio personalis, competens ex obligatione per nouam legem introducta, non cauentem, quo
3 genere actionis experiri oporteat. ¶ Et est certi condictio, si rem certam persequatur: incerti, si rem incertam.

III. *De condictione triticiaria.*

1 NOna causa est obligatio cuiuscumque rei præter pecuniam numeratam. Hinc oritur condictio, quæ in hac rubrica vocatur triticiaria. in l.1. in princ. triticario, vel à tritico, vt Cuiacius ex Stephano Græco interprete tradit, quod ita in facto contigit, vt qui primus hac actione expertus est, de tritico egerit, proinde tritici mentio in formula agendi facta fuerit: vel à Triticio prætore, quemadmodum Publiciana à Publicio, vt aliis quibusdam videtur, quæ coniectura si cui placet, is semper triticiariam, numquam triticariam vocare debet. ¶ Hæc condictio est actio per-
2 sonalis, quæ datur ad rem arbitrio iudicis pro ratione locorum ac temporum æstimandam.l.pen.§.vlt. Quoniam igitur est condictio, non datur domino, nisi ob rem furto surreptam, aut vi raptam, aut quam quis vi inuasit. l.1.in fin.& l.2. Et quia de re æstimanda competit, quælibet res in eam venit, siue certa siue incerta, præter pecuniam numeratam.d.l.1.in princ.

IV. *De eo quod certo loco dari oportet.*

DEcima causa est, si quis certo loco dare debeat. 1
nam si eo loco conueniatur, & certum debeat, certum ab eo petetur. sed si alio loco agatur, etiamsi certum quid in obligationem stricti iuris, putà in stipulationem vel mutuum deductum sit, tamen incertum peti debet data iudici facultate æstimandi quanti actoris vel rei interfit, suo potiùs loco solui, quàm vbi petitum est.l.2. in princ. & C. vbi conu.qui cer.lo.da. promis.l.vn.& Instit.de action.§. plus autem. vers. loco. id enim quod interest, inter res incertas numeratur. vt notaui ff.de reb. cred.§.3. ¶ Nota primò, si ex 2
contractu bonæfidei, vt emptione & venditione, aliquid certo loco debeatur, rectè eam actionem proponi, & manere bonæfidei, vbicumque agatur, si verò debeatur ex contractu stricti iuris, vt ex stipulatione; tunc si quidem eo loco agatur quo solui debuit, rectè id simpliciter petitur, quod in obligationem deductum est,& actio est stricti iuris. sed qui alio loco agit, si simpliciter id petit, quod stipulatus est, plus loco petere dicitur, quare ne in pœnam plus petentis incidat, in libello conuentionali mentionem eius loci facere debet. qua ratione actio arbitraria fit, quia iudex (vt dixi) æstimat quanti actoris vel rei interfit eo potiùs loco solui de quo conuenit, quàm eo quo iudicium motum est.l.7. & C. vbi conuen. qui cer. lo.da. prom.l.vn.& Instit. de actio.d.§.plus autem.vers.loco. ¶ Nota secundò, hanc actionem vtilem à prætore da- 3
ri: quia directa actio alibi intentari non potest, quàm vbi solui debet.l.1. ¶ Nota tertiò, hanc non esse spe- 4
ciem actionis, sed adiectionem & qualitatem, quæ accedit actioni ex stipulatu, vel ex mutuo, vel alij actioni stricti iuris.l.2.§.1.l.5.6.& 7.

V. *De pecunia constituta.*

VNdecima causa est, si quis certum quid, vel in- 1
certum se soluturum constituerit. l.1.§.debitum. & l. qui autem. 14. in princ. ¶ Constitutum est con- 2
uentio, id est nudum pactum.l.1.in princ. de re debita, vel alia eius loco soluenda.d.l.1.§. an potest. intra aliquod tempus: quod si non est in conuentione expressum, subauditur modicum tempus, hoc est, decem dierum. l. promissor.21.§.1. ¶ Nota primò, constitu- 3
tum sustineri iure prætorio, non iure ciuili, quia sine stipulatione fit.l.1.in princ. & l.vlt.& Instit.de actio.§. in personam. & §. seq. ¶ Nota secundò, constitutum 4
ita demum valere, si id, quod constituitur, debitum sit vel naturaliter. d.l.1.§.pen.vel iure prætorio d.l.1.§. vlt. vel ciuiliter, ita vt ei non obstet exceptio. l.3.§.1. Nihil autem referre, vtrùm is, qui debet, an alius constituat: nec vtrùm ei cui debetur, an alij constituatur. l.5.§. quod exigimus. ¶ Nota tertiò, constituto non 5
nouari præcedentem obligationem, sed ei accedere. l. item illa.18.§.vlt.l.vbi.28.& ff. de in rem ver.l.si filiusfamiliâs.15.& de administr.rer.ad ciuit. pertin.l.3.§.in eum. ¶ Nota quartò, actionem, quæ hinc oritur, mo- 6
dò vocari constitutoriam.l.nec enim.20.modò constitutæ pecuniæ.l. si post. 22. & C. eod.l.1. & 2. & D.de donat. l. qui id quod.33. in princ. modò de constituta pecunia.l.5.§. Iulianus. l.promissor.23.l.quidam.26.§. vlt. Instit.de action.§. in personam.& §. seq.modò de constituto. d.l.5.§.1.l. Titius. 24. & ff. de solut. l. si ita. 59. ¶ Nota quintò, hanc actionem esse præto- 7
riam, personalem.d.§. in personam. rei persecutoriam. d.l.item illa.§.è re.perpetuam.C.eod.l.2.

BIU Cujas

VI. *Commodati, vel contra.*

1 DIctum est de actione ex mutuo, & aliis causis: quarum nonnullæ appellatione promutui continentur nam promutuum est omnis prærogatio, seu repræsentatio ac datio in antecessum, vt cum aliquid ob rem datur. ff. loca. l. ex conducto. 15. §. item cùm quidam. & de statulib. l. Sticho. 40. §. item quæro an eorum, nunc dicendum consequenter de actionibus ex commodato: non enim, vt vna est actio ex mutuo, quia mutuum est contractus μονόπλευρος, nempe certi condictio; ita vna est actio commodati sed hinc duplex actio oritur, quia hic contractus est δίπλευρος, id est, vltrò citróque obligatorius: altera directa, altera contraria. vtraque autem in hac rubrica proponitur nam verbo, commodati, κατ' ἐξοχὴν significatur actio directa: & eâ partic. *contrà*, vocatur actio contraria. Similis est expositio sequentium titulorum, *De pigneratitia actione, vel contrà: Depositi, vel contrà: Mandati,*
2 *vel contrà.* ¶ Commodatum est contractus, quo res gratis traditur certi vsus gratiâ, vt eo finito eadem species restituatur. Dixi *contractus*, vt ponerem genus commodati. ff. de pact. l. 7. §. 1. Dixi *res*. Intellige rem mobilem, vel immobilem reprobata est enim sententia Labeonis distinguentis inter commodatum, & vtendum datum: quasi commodetur tantùm res mobilis, vtenda verò detur res immobilis. l. 1. §. 1. Dixi *gratis*: quia commodatum est gratuitum: accedente autem mercede, non est commodatum, sed locatio & conductio. Institut. quibus mod. re contrah. oblig. §. item is cui. vers. commodata. Dixi *traditur*: quia hic contractus rei traditione perficitur. ff. de oblig. & act. l. 1. §. is quoque. Instit. quib. mod. re contrah. oblig. d. §. item is cui. Adieci *certi*: quia nisi certi vsus gratiâ tradatur, non erit commodatum, sed precarium. Dixi *eo finito*: quia commodatarius ante vsum finitum rem restituere non cogitur. l. in rebus. 17. §. sicut. Dixi *eadem species restituatur*: quia vt ex mutuo reddendum est idem genus, ita ex commodato eadem species. ff.
3 de reb. cred. l. 2. in princ. ¶ Actio commodati est ciuilis. d. l. in rebus. §. sicut. personalis. Instit. de action. §. rei persequendæ. bonæfidei. l. 3. §. in hac. & C. eod. l. 2.
4 & Instit. de act. §. actionum. ¶ Directa actione commodatarius tenetur ad eandem (vt dixi) speciem reddendam in eodem statu, id est, non deterioratam. l. 3.
5 §. 1. ¶ Contraria actione commodatarius à commodatore recipit impensas nõ modicas bonafide in rem commodatam factas. d. l. in reb. §. possunt. etsi quid damni passus est ob rei commodatæ vitium commodatori non ignotum. d. l. in rebus. §. item qui sciens. & l. penult. vel ob intempestiuam commodantis repetitionem. l. in commodato. 17. §. sicut. & vt rem vel pretium à commodatore recipiat, si fortè re non apparente commodator à commodatario æstimationem accepit, deinde ipsam rem est consecutus. d. l. in commodato. §. vlt.

VII. *De pigneratitia actione, vel contrà.*

1 CVm quatuor sint contractus, qui re perficiuntur, mutuum, commodatum, pignus, depositum; ac dictũ iam sit de personalibus actionib. ex mutuo, & ex cõmodato: nunc explicandæ sunt personales actio-
2 nes ex pignore. ¶ Pignus est, quod creditori nexum &
3 obligatũ est in rei creditæ securitatem. ¶ Quod si tradatur creditori, propriè vocatur pignus, præsertim si sit res mobilis, si verò eius possessionem debitor retineat, propriè appellatur hypotheca, præsertim si sit res immobilis. l. si rem alienam. 9. §. propriè. & ff. de verb. signif. l. plebs. 238. §. pignus. & Instit. de actio. §. item Seruiana. ¶ Cõstituitur autem pignus aut con- 4
uentione partium, & vocatur pignus conuentionale: auctoritate iudicis, & appellatur ius prætorium: aut testamento, & dici potest pignus testamentarium. l. non est mirum. 26. & ff. de pact. d. l. 1. §. conuentionis. & §. seq. Prætorium pignus diuiditur in prætorium propriè dictum, cùm quis mero prætoris officio in possessionem mittitur, de quo agitur. C. de prætor. pign. & pignus iudiciale, quod ad sententiam iudicis executioni mandandam capitur iussu eius qui iudicem dedit, de quo tractatur. C. si in cau. iudic. pign. cap. sit. nam iudicis pedanei sententiam, non ipse qui sententiam dixit, sed is qui iudicem dedit, exequitur. ff. de re
iudic. l. à Diuo Pio. 15. in prin. ¶ Nota primò, pignus 5
modò significare rem pigneratã, vt in tit. de distract. pignor. modò ius creditoris in ea re, vt in tit. quibus mod. pign. soluit. modò contractum, quo pignus constituitur. vt ff. de pact. d. l. 1. §. vlt. ¶ Nota secundò, pi- 6
gnus conuentionale esse contractum. d. l. 1. §. vlt. quo res creditori nexa, id est, obligata traditur in rei creditæ securitatem. Instit. quib. mod. re contrah. oblig. §. vlt. hac lege vt soluto debito, vel aliter satisfacto. l. si rem alienam. 9. §. omnis. eadem species reddatur. d. §. vlt. & ff. de oblig. & act. l. 1. §. creditor. ¶ Nota tertiò, 7
ex pignore dari Saluianum interdictum, de quo ff. lib. 43. tit. 33. & actionẽ Seruianam siue hypothecariam, quæ est prætoria in rem. Instit. de actio. §. item Seruiana. de qua dicam tit. 4. libri 20. & actionem pigneratitiam ciuilem personalem, de qua hîc tractatur.
¶ Nota quartò actionem pigneratitiam, vocabulo latè 8
sumpto, dici quamcumque actionẽ ex pignore orientem, ita vt complectatur etiam actionem prætoriam in rem. ff. ad exhib. l. 3. §. est autem. & ff. quib. mod. pign. solu. l. Titius. 9. in fine principij. & ff. de except. rei iudic. l. duobus. 19. l. penult. §. 1. vers. cùm autem, sed, propriè loquendo, pigneratitiam actionem accipi, pro ea quæ est ciuilis in personam. vt hoc titulo.
¶ Hæc igitur actio pigneratitia est ciuilis, personalis, 9
C. de distract. pign. l. vlt. rei persecutoria. l. si seruus. 31. l. debitor. 40. §. vlt. & C. eod. l. 5. bonæfidei. Instit. de actio. §. actionum. datúrque etiam heredibus, & contra heredes. C. h. t. l. nec creditores. 10. ¶ Diuiditur 10
autem in directam, & contrariam. Directâ debitor, postquàm creditori totum debitum soluit, aut aliter satisfecit. d. l. si rem alienam. §. omnis. rem pigneratam repetit. d. l. debitor. §. vlt. & C. eod. l. pen. etsi quid damni dolo aut culpâ creditoris in ea re datum est. C. eod. l. 7. de quo si dubitetur, creditor eo nomine debitori cauere tenetur. l. creditor. 15. ¶ Contraria da- 11
tur creditori aduersus debitorem. l. tutor. 16. §. 1. vt ab eo indemnis seruetur, si fortè per id quod pignori accepit, damnum passus sit. l. si seruus. 31. aut si deceptus sit accipiens (verbi gratiâ) æs pro auro. l. 1. §. vlt. d. l. si rem alienam. in princ. d. l. tutor. §. 1. l. si quis in pignore. 36. aut si in rem pigneratam impensas fecit necessarias. l. si necessarias. 8. vtiléve. d. l. si seruus. Datur etiam ad petendam rem pigneratam, si, debito nondum soluto, debitor eam possideat dolo malo. l. 3. vel precariò. l. si pignore. 22. §. penult.

LIBER XIV.

TIT. I. *De exercitoria actione.*

EXPOSITÆ sunt actiones ex mutuo, com- 1
modato, pignore; post quas enarranda est actio depositi: sed priùs declarãtur qualitates quædam

quædam dictis actionibus cõmunes: quamquam aliis quoque actionibus accommodari possunt. Hæ qualitates partim oriuntur ex eo quòd aliquis per alium obligatur; partim ex eo quòd pro alio obligatur. Illarũ tria sunt genera: vel enim nascuntur ex negotiatione, vel ex patria potestate, vel ex vtraque causa, vt ex sequentibus dilucidiùs apparebit. Negotiatio duplex est; maritima, & terrestris. Ex negotiatione maritima oritur qualitas exercitoria. ¶ Nam actio exercitoria datur ei qui cum magistro nauis contraxit, aduersus exercitorem qui magistrum naui præposuit. l. 1. in prin. & §. penult. dummodò cum eo tamquàm cum nauis magistro, id est, ex ea causa cui præpositus fuit, contraxerit. d. l. 1. §. non autem. ¶ Exercitor est, ad quem omnes obuentiones & reditus ex naui perueniunt, siue sit dominus siue conductor nauis. d. l. 1. §. exercitorem. ¶ Magister est, cui totius nauis cura incumbit. d. l. 1. §. magistrum nauis. quia vel ab exercitore naui præpositus est, vel à primo magistro quem exercitor præposuit. d. l. 1. §. magistrum autem. ¶ Hæc actio est prætoria. d. l. 1. in princ. & §. penult. l. 5. §. 1. & Institut. quod cum eo. §. eadem. in personam, rei persecutoria, in solidum. l. 1. §. vlt. l. 6. §. 1. & Instit. quod cum eo. §. eâdem. & §. ceterùm. perpetua, & ad heredes transitoria l. 4. §. vlt. ¶ Cum hac actione concurrit actio directa contra magistrum, qui contraxit. d. l. 1. l. est autem. & §. penult. & contra ipsum exercitorem, quasi ipse contraxerit, dum contrahi cum magistro promisit. Institut. quod cum eo. §. vlt. ¶ Non est autem species actionis, sed qualitas siue adiectio. nam si quis magistro mutuum dederit, est certi condictio exercitoria. si commodauit, est commodati exercitoria. & ita de ceteris actionibus dicendum. ac similis expositio in sequentes actiones institoriam, tributoriam, de peculio. &c. quadrat. Non sunt igitur hoc loco explicandæ omnes causæ, ex quibus magister nauis directa actione tenetur, & exercitorem obligat actione exercitoria: sic enim omnes contractus hoc loco declararentur: sed hi suis locis longè rectiùs enarrantur.

II. *De lege Rhodia de iactu.*

VNa est causa huius loci propria, si merces in mare leuandæ nauis & vitandi naufragij causâ proiectæ sint. ¶ Nam lege Rhodia, quam Romani non minùs quàm Athenienſium leges, & Lacedæmoniorum mores. Instit. de iu. natur. §. & non ineleganter. receperunt, iustissimè cauetur, vt damnum commune sit, & omnium contributione sartiatur damnum, quod alicui ob iactum illum accidit. l. 1. vector autem contra alios, qui vnà vehuntur, nullam habet actionem; quia cum eis non contraxit, sed cum magistro agere ex locato vel conducto potest (prout merces vehendas locauit, aut locum in naui cõduxit) vt merces aliorum retineat, donec contributio fiat. l. 2. in pr. Scimus autem per magistrum obligari exercitorem. ¶ Nota primò, hîc fieri contributionem cùm propter mercis. d. l. 1. & passim to. tit. aut instrumenti nautici iactum. l. 3. vel deteriorationem. l. 2. §. 1. l. 4. §. 1. l. 5. §. 1. nauis seruata est. d. l. 5. in princ. l. 7. vel cùm est à piratis redempta. d. l. 2. §. si nauis. ¶ Nota secundò, omnes contribuere, quorum interest iacturam fieri, proinde etiam dominum nauis teneri d. l. 2. §. 1. ¶ Nota tertiò, si quis vectorum non sit soluendo, hoc non onerare magistrum nauis: quia non tenetur eorum fortunas excutere, quos in nauim recipit. d. l. 2. §. si quis ex vectoribus. ¶ Nota quartò, omnes res contributionem debere, etiam nauem, vestimenta, anulos, exceptis iis quæ consumendi causâ in naui sunt, vt vino, & pane. d. l. 2. §. cùm in eadem. ¶ Nota quintò, contributionem fieri pro rata portione, æstimatis tam rebus amissis, quàm iis quæ seruatæ sunt, vt intelligatur, quantum amissum, vel seruatum sit. d. l. 2. §. portio. ¶ Nota sextò, res amissas æstimari quanti emptæ fuerint: nec ad rem facere, quòd pluris vendi possunt; quia dãni accepti, non lucri cessantis ratio habetur: res autẽ seruatas æstimari, quanti vendi possunt. d. §. portio. ¶ Nota septimò, si res iactæ postea apparuerint, exonerari collationem, quæ si iam facta fuit: tunc ij, qui soluerunt, agent cum magistro, vt is ab iis repetat, quibus contributum fuit, & quod exegerit, iis reddat, qui contribuerunt. d. l. 2. §. pen.

III. *De institoria actione.*

QVemadmodum ex negotiatione maritima nascitur actio exercitoria, ita ex terrestri oritur institoria. ¶ Quæ quidem ei qui cum institore. l. 1. quatenus institor est, id est, ex ea causa, cui fuit præpositus, contraxit. l. 5. §. non tamen. l. pen. §. vlt. aduersus eum competit, qui institorem illum tabernæ aut cuiuis negotiationi præposuit. d. l. 1. Institut. quod cum eo. §. eâdem. ¶ Institor est, qui tabernæ, aut cuiuis negotioni præpositus est, ex eo dictus quòd negotio gerendo instat. l. 3. 4. & 5. ¶ Hæc actio est prætoria. d. l. 1. & Instit. d. §. eâdem. in personam rei persecutoria, in solidum. l. 1. §. 1. & 2. & C. eod. l. 2. & Institution. d. §. eâdem. & §. ceterùm. perpetua, & tam heredibus, quàm in heredes competens. l. nouissimè. 15. ¶ Cum hac actione concurrit actio directa, vt cum actione exercitoria, quasi ipse contraxerit, qui institorem præposuit. Instit. quod cum eo. §. vlt. ¶ Expositæ sunt duæ actionum qualitates, exercitoria, & institoria, quæ ex negotiatione oriuntur. Proinde vt his actionibus sit locus, nihil refert, vtrum quis filium vel seruum suum, an quemlibet extraneum naui vel tabernæ seu negotiationi præposuerit. d. l. 1. & Institut. quod cum eo. d. §. eâdem.

IIII. *De tributoria actione.*

TRibutoria verò qualitas, non minùs patriam vel dominicam potestatem, quam negotiationem requirit. ¶ Ac tributoria dicitur à tribuendo, id est, distribuendo & diuidendo. Nam si filiusfamilias vel seruus, sciente nec contradicente patre vel domino, in peculio negotietur, creditores eius aduersus patrem vel dominum hanc actionem habent, vt merx peculiaris inter omnes creditores pro rata portione diuidatur, ita vt nec patris vel domini, nec occupantis melior sit conditio. l. 1. in princ. §. scientiam. & §. pen. l. 5. §. mercis. l. 6. & Instit. quod cum eo. §. introduxit. & §. ceterùm. ¶ Nota primò, bonæfidei possessorem, & fructuarium in merce ad eos pertinente pro dominis haberi, & quasi dominos hac actione teneri. d. l. 1. §. vlt. & l. 2. ¶ Nota secundò, prætorem permittere patri vel domino, vt mercem peculiarem inter omnes creditores proportione geometrica distribuat, sed si eius dolo malo factum sit, quominùs ita distribueretur, in eum datur hæc actio, vt quanto minus alicui tribuerit, præstet. l. 7. §. si cuius. & Instit. quod cum eo. & §. introduxit. ¶ Nota tertiò, hanc actionem esse prætoriam. d. l. 1. in princ. personalem, rei persecutoriam, perpetuam, qua heres de eo dumtaxat tenetur, quod ad se peruenit. l. 7. 8. & 9. in princ.

BIU Cujas

V. *Quod cum eo qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur.*

1 SEquuntur qualitates actionum ex patria vel dominica potestate orientes, quæ sunt tres, de peculio, de in rem verso, quod iussu, omnes prætoriæ. l.1.& Instit.h.t.§. si igitur. & §. præterea.& de action. §. in personam. Sed priusquam hæ declarentur, generalis datur titulus, *Quod cum eo qui in aliena potestate est*, id est, cum filiofamilias vel seruo, *negotium gestum esse dicetur.* 2 ¶ Verbum *gestum*, hîc latè accipitur, vt omnem contractum & quasi contractum complectatur, sicut accipitur etiam in edicto de minoribus. ff.de minor.l.7. Alibi propriè accipitur, vt ad obligationes re contractas coangustetur. ff. de verb.signif.l. 3 Labeo libro primo.19. ¶ Si negotium cum seruo gestum sit, actio de peculio, vel de in rem verso, vel quod iussu in dominum competit: contra seruum nulla est actio; quia seruus iure Romano pro mortuo habetur.ff.de diu.reg.iur. l.quod attinet. 32.l. seruiturem. 209. Qui verò cum filiofam. contraxit, non solùm patrem dictis actionibus habet obligatum, sed etiam contra ipsum filiumfamiliâs directam habet actionem: quia filiusfamiliâs ex omnibus causis tamquam paterfamiliâs obligatur, & ob id agi cum eo tamquàm cum patrefamiliâs potest. ff. de oblig. & act. l. filiusfam.39. Tenetur ergo in solidum. Sed si emancipatus, vel exheredatus à patre fuerit, vel paterna hereditate abstinuerit: prætor causâ cognita in eum actionem dat in id quod facere potest. l. 2. in pr. 4 ¶ Quoniam igitur hic titulus est generaliter conceptus de eo quod cum filiofamilias vel cum seruo gestum est: rectè in eo proponuntur quatuor prætoriæ actiones ex eodem fonte manantes, id est, tres illæ, quæ in patrem vel dominum redduntur, de peculio, de in rem verso, quod iussu.l.1.& dicta actio in filium competens. d. l. 2. in princ. Sed hæc latè hoc eodem titulo exponitur: reliquæ libro sequenti enarrabuntur.

VI. *De senatusconsulto Macedoniano.*

1 QVod superiori titulo diximus, ex contractu filiifam. tam in ipsum quàm in patrem actionem dari, patitur hanc exceptionem, nisi mutua pecunia filiofamiliâs data sit: hunc enim contractum senatusconsultum Macedonianum irritum reddit. l. 1. in 2 princ. ¶ Nota primò hoc senatusconsultum vocari Macedonianum à Macedone quodam, qui occasionem dedit senatusconsulto, vt Carsania occasionem dedit edicto de postulando. ff. de postul. l. 1. §. secundo loco. Fuit autem Macedo, non filiusfamiliâs, qui contracto ære alieno, vt haberet vnde solueret, parentis vitæ insidiatus sit, vt Theophilus falsò putat in §.pen.Inst. quod cum eo. sed improbus fœnerator, qui filiisfamiliarum mutuam pecuniam dare solebat. 3 d. l. 1. in princ. ¶ Nota secundò, hoc senatusconsultum extra numeratam pecuniam creditam non habere locum, nisi quid in eius fraudem factum sit, putà frumento mutuò dato, vt filiusfamiliâs ex eius venditione pecuniam redigeret, qua vteretur.l. 4 3. §. pen. ¶ Nota tertiò, Iureconsultos hoc titulo modò actionem ex dicto mutuo denegasse, modò exceptionem tribuere: non quòd actio denegari dicatur, quæ propter exceptionem est inefficax, vt malè Cuiacius interpretatur: sed quia, si manifestum sit contra senatusconsultum factum esse, prætor actionem denegat. si verò res sit dubia, dat actionem cum hac exceptione, nisi contra Macedonianum senatusconsultum pecunia credita sit, vt tam de actione, quàm de exceptione apud iudicem datum quæratur. Sic ex iureiurando vel denegatur actio, si cõstet fuisse iuratum: vel datur exceptio, si dubitetur an iuratum sit.ff.de iureiur.l.nam posteaquàm.9.in princ.

LIBER XV.

TITVLVS I.

De peculio.

DEINCEPS specialiter enarrantur actiones, seu potiùs qualitates actionum, quæ in patrem ex contractu filij, & in dominum ex contractu serui competunt. Appellatione autem cõtractus intelligimus etiam quasi contractum, vt in l.1.§. debitum autem ex quacumque causa. ff.de constit.pecun.& aliis locis. Prima est actio de peculio. ¶ Peculium dicitur quasi 2 pusilla pecunia, seu pusillum patrimonium. l.5.§. pen. Et est vniuersitas eorum, quæ filiusfamiliâs aut seruus, patre seu domino permittẽte, habet à paternis vel dominicis rationibus separata. Dixi *vniuersitas.* vt enim patrimonium, ita etiam peculium est vniuersitas quædam l. si ex duobus. 32. in fin. princ. Intellige vniuersitatem iuris, non facti: ideóque peculium non petitur rei vindicatione, qua vniuersitas facti, vt grex, peti potest. ff. de rei vindic. l.1.§. vlt. l. vindicatio.56. Dixi, *quod filiusfamilias aut seruus habet:* quia propriè loquendo, patrimonium est patrisfamiliâs, peculium est filijfamilias, vel serui. l. quoties. 47. §. vlt. & ff. de pecul.legat.l.denique.8.§.vlt.& de verb.signif.l.paterfamiliâs.182. & C. de inoff. testam. l.vlt.§.vlt.cum simil. etsi μεταφορικῶς peculium dicitur esse quasi patrimonium filiifamiliâs vel serui. d. l. si ex duobus. in fi. princ.l.peculium.& ex eo.39. & ff. de statulib. l. si decem. 17. & Institut. de actio. §. actiones. & quidam ὑποκοριστικῶς patrimonium suum appellare peculium solent.ff.ad Trebell.l.cogi.16.in princ. Dixi, *habet.* Intellige filium vel seruum in peculio habere, deducto eo, quod patri vel domino debet.l.5.§.vlt. & computato in peculium eo, quod pater vel dominus aut ipsi filio vel seruo nat uraliter debet.l.7.§.pen.aut dolo malo fecit quominùs in peculio esset.l.summa.21.in prin. Dixi, *domino aut patre.* Intellige his verbis contineri etiam eum qui pro parte dominus est nec non bonæfidei possessorem, fructuarium & vsuarium, quibus casibus pro dominis habentur, & per seruum acquirit, ac de peculio obligatur, vt ex re sua & ex operis serui.l.1.§.vlt.& l.2. *Dixi permittente:* quia non tam spectatur, quod seruus aut filius tenet, quàm quod dominus vel pater peculij nomine habere concessit: & totum hoc ex patris vel domini voluntate pendet. d.l.5. §. vlt. Permissionem autem intellige siue expressam, siue tacitam nam & domino ignorante seruus rem in peculio habere potest, quia dominus permitteret si sciret l.non solùm 49.in princ. Dixi *separatum à paternis vel dominicis rationibus:* ex l.4.in princ.& §.ex his.& l.5. h.t. & l. per seruum.37. §.1. ff. de acquir.rer.dom. quia serui & filiifamilias non solum possunt administrare quod habent in peculio sed etiam alias res extra peculium constitutas, vt mercem patriam seu dominicam.ff.de inst.act.l.sed si pupillus.11.§.pen. ¶ Pecu- 3 lij seruilis vnum est genus. eius verò quod filiusfamilias habet quatuor sunt genera: castrense, quod occasione militiæ armatæ: quasi castrense, quod occasione militiæ togatæ, aut religiosæ acquisiuit: profectitium, quod à parente accepit, seu à parente, in cu-

ius

iurs est potestate, profectum est: & aduentitium, quod ex aliis quibuscumque causis ad eum peruenit. In castrensi & quasi castrensi plenum dominium est ipsius filiifamiliâs: in profectitio plenum dominium est patris: aduentitij nudam proprietatem filius, vsumfructum pater habet. C. de inoffic. testam. l. vlt. & de bon. quæ lib. l. 6. & Instit. per quas person. nob. acquir. §. 1.

4 ¶ Actio de peculio datur filiifamilias vel serui, vel hominis liberi bonafide possessi creditori ex contractu vel quasi contractu, aduersus patrem vel dominum, vel eum qui pro domino habetur, veluti fructuarium, vsuarium, bonæ fidei possessorem, vt peculio tenus condemnetur. l. 1. §. vlt. & l. 2. Instit. de action. §. actio-

5 nes. & quod cum eo. §. præterea. cum sim. ¶ Proprietates huius actionis hæ sunt. Primò est prætoria. l. 1. §. 1. l. 2. & ℣. de rescin. vendit. l. Titius. 8. & Inst. de action. §. in personam. & §. seq. Secundò est personalis. l. summa. 21. §. vlt. & Instit. de action. d. §. in personam. Tertiò non est species actionis, sed qualitas & adiectio, verbi gratiâ, qui seruo alieno pecuniam credidit, habet certi condictionem de peculio: qui apud eum deposuit, depositi de peculio. & ita de ceteris causis dicendũ.

II. *Quando de peculio actio annalis est.*

QVartò est perpetua, quamdiu filius vel seruus in potestate est: post eam potestatem finitam est annalis, id est, anno vtili concluditur ac terminatur. l. 1. Hactenus de prima actione ex filijsfamilias aut serui contractu contra patrem vel dominum competente.

III. *De in rem verso.*

1 SEcunda est actio de in rem verso. In rem versum dicitur, quod filius in vtilitatem patris, vel seruus in vtilitatem domini conuertit. Instit. quod cum eo.

2 §. præterea. vers. in rem autem. ¶ Hac actione pater vel dominus ex filij aut serui contractu eatenus condemnatur, quatenus in rem suam versum est. l. 1. & Instit. quod cum eo. d. §. præterea. Est autem prætoria. ℣. quod cum eo. l. 1. & de pecul. l. 1. §. 1. & est pars actionis de peculio, si actio de peculio competat. l. filiusfamiliâs. 19. Instit. d. §. præterea. quia quod in rem patris vel domini versum est, eum filio vel seruo naturaliter obligat. l. si pro patre. 10. §. versum. proinde peculium auget, & in peculio imputatur. ℣. de pecul. l. 7. §. penult. Itaque vna est actio duas habens condemnationes: quia iudex priùs dispicit, an in rem patris vel domini versum sit: deinde si nihil aut non totum in rem versum sit, ad æstimandum peculium transit. d. §. præterea. vers. licèt enim. cessante verò actione de peculio, hæc actio nihilominùs competit, & est perpetua etiam iis casibus, quibus actio de peculio est annalis. l. 1. §. 1. l. si pro patre. 10. §. quare. l. filiusfamilias. 19. & ℣. tit. prox. l. 1. §. vlt. Siue autem sit pars actionis de peculio, siue sine ea consistat, nihil aliud est, quàm adiectio & qualitas actionum, quæ ex contractu, vel ex quasi contractu descendunt. vt putâ est actio depositi de in rem verso, commodati de in rem verso, mandati de in rem verso, &c.

IV. *Quod iussu.*

1 TErtia est actio quod iussu. Iussus est consensus, actum præcedens, cum imperio coniunctus. Dixi, *consensus*, vt significarem genus iussus. nam quicumque iubet aliquid fieri, consentit, vt id fiat: sed hoc non reciprocatur, nec quilibet consensus est iussus. Adieci, *actum præcedens*, vt seiungerem iussum à ratihabitione, quæ actum sequitur. ℣. de iudic. l. licèt. 56. & C. ad Maced. l. vlt. in princ. & ab auctoritate quæ actum comitatur, & in ipso actu interponitur. Instit. de auctor. tutor. §. penult. Adieci, *cum imperio coniunctus*, vt excluderem mandatum, quod est precarium. C. commu. de leg. l. 2. In hac autem actione latè iussus vocabulũ accipimus. nam si pater vel dominus mandauit, iussisse videtur. l. 1. §. sed etsi. Immo. etsi ratum habeat, perinde est ac si iussisset. d. l. 1. §. si ratum. quia ratihabitio retrotrahitur. d. l. licèt. & C. de donat. int. vir. & vxor. l. donationes quas parentes. 25. ideóque mandato & iussui comparatur. C. ad Maced. d. l. vlt. in princ. Iussum ergo hîc accipimus pro quouis consensu. l. 1. §. 1. cum duobus §§. seqq. & §. si ratum. ¶ Est 2 autem vel iussus generalis, vel specialis, & vnius contractus vel rei proprius. sed ex vtroque datur actio quod iussu. d. l. 1. §. 1. ¶ Hac igitur actione (quæ est 3 prætoria. ℣. quod cum eo. l. 1. Instit. eod. §. si igitur.) ei qui cum filiofamiliâs aut cum seruo contraxit, pater vel dominus ob suum consensum in solidum tenetur. l. 1. in princ. Instit. d. §. si igitur. ¶ Sicut autem 4 actio directa contra patrem vel dominum concurrit cum actione exercitoria, & institoria, vt suprà notaui ita etiam concurrit cum hac actione ℣. pro soc. l. vlt & Instit. quod cum eo. §. vlt.

LIBER XVI.

TITVLVS I.

Ad senatusconsultum Velleianum.

EXPOSITIS actionum qualitatibus, quæ ex 1 obligationibus per alios, vt per filios. vel seruos contractis nascuntur: consequens est, vt lexpicemus qualitatem ex eo proficiscentem, quòd mulier pro alio obligatur. nam subductâ per senatusconsultum Velleianum personâ mulieris. C. h. tit. l. antiquæ. 23. in fi. prætor in debitorem principalem, qui ob eam mulieris intercessionem ab omni obligatione liber est, actionem restituit, vel instituit, quæ actio siue sit ex mutuo, siue ex stipulatione, siue ex alia quacumque causa, nouam qualitatem recipit, propter quam vocatur vtilis, vel noua, vel restitutoria. vel rescissoria, vt posteriùs docebo. ¶ Hoc senatusconsul- 2 tum appellatur Velleianum à Velleo Consule, qui vnà cum Silano collega suo senatum rogauit. l. 2. §. 1. Appellatur etiam senatusconsultum de intercessionibus feminarum. l. si mulieri. 15. C. eod. l. 2. l. si aduersus. 10. & ℣. de condict. indeb. l. qui exceptionem. 40. quia per hoc senatusconsultum succurritur mulieribus pro alio intercedentibus, non donantibus. l. 4. §. 1. d. l. quãuis pignoris. §. planè si mulier. & C. eod. l. 1. l. 4. l. quamuis mulier. 9. nam quia faciliùs mulier intercedit quàm donat, animaduertit senatus mulierem magis in intercessionibus quàm in donationibus auxilio egere. l. 4. §. 1. ¶ Intercedere siue interuenire dicitur, qui in- 3 ter creditorem & debitorem interiicitur, se vel res suas pro alio obligans. Nec refert, vtrum re, an literis, alioue quouis modo intercedat. l. 2. §. penult. ¶ Mulier 4 pro aliis intercedere dicitur multis modis. I. Si expromittat, id est, si nouatione facta obligationem alterius in se transferat. d. l. quamuis pignoris. §. si conuenerit. II. Si pro alio fideiubeat. C. eod. l. 3. & ℣. de fideiuss. l. 3. l. si Titius. 48. III. Si mandet alicui credi. l. 6. & 7. IV. Si constituat se soluturam pro alio. ℣. de pecun. constit. l. 1. §. 1. V. Si pro alio iudicium suscipiat. l. 2. §. vlt. VI. Si alieno nomine in arbitrum compromittat. ℣. de recept. qui arbitr. l. non distinguemus. 32. §. si mulier. VII. Si in iure interrogata respondeat interceden

BIU Cujas

rercedendi animo se heredem esse, cùm hereditas ad alium pertineat. l. si mulier in iure. 23. aut seruum alienum, l. si mulier intercedendi. 26. VIII. Si pro alio rea fiat, id est, si obligationem suscipiat ne alius obligetur, d. l. quamuis pignoris. §. 1. & C. eod. l. 4. l. feminis. 18. IX. Si pro alterius obligatione rem suam pigneret. d. l. quamuis pignoris. in princ. l. vlt. §. 1. & C. eod.
5 l. 5. & ff. de distract. pignor. l. mulier. 11. ¶ Ex hoc senatusconsulto mulier quæ intercessit, non tenetur efficaciter: quia se tueri potest per exceptionem senatusconsulti. d. l. si mulier in iure. 23. l. bona fide. 27. in princ. & C. eod. l. 2. & l. si paternam. 8. quæ dicitur etiam exceptio intercessionis, ff. de except. l. 7. §. 1. & est perpetua & peremptoria, ff. de condict. indeb. l. qui exceptionem. 40. quam mulier non solùm post litem contestatam, sed etiam post sententiam definitiuam proponere potest. ff. de senatusconsul. Macedon. l. tamen. 11. Appellatione exceptionis intellige etiam replicationem, veluti si mulier rem suam pro alio pigneratam vindicet, eique opponatur exceptio pignoris, hanc exceptionem replicatione intercessionis elidet. l. vir vxori. 17. §. vlt. & l. vlt. §. item si mulier. Quòd si manifestum sit intercessionem contra senatusconsultum factam esse, prætor actionem contra mulierem denegat. l. 2.
6 §. 1. ¶ Quibus igitur casibus hoc senatusconsultum locum habet, mulier obligatur inefficaciter. Quare hoc senatusconsultum non obtinet, I. Cùm mulier ipso iure tuta est, adeo vt exceptioni non sit locus, videlicèt si eius obligatio non sit redacta in publicum instrumentum subsignatum à tribus testibus. C. eod. l. antiquæ. 23. aut si pro marito suo intercesserit. No. 134. cap. 8. II. Cùm mulier efficaciter obligatur, nimirum si pro libertate intercesserit. C. h. t. l. pen. vel pro dote. C. eod. l. si dotare. 12. & l. vlt. & ff. de iu. dot. l. promittendo. 41. in princ. vel in rem suam, vt pro suo procuratore. l. 3. l. aliquando. 13. in princ. l. si pro aliquo. 21. in princ. l. si mulieri. 22. vel apud minorem pro debitore inope. ff. de minoribus. l. si apud. 12. vel dolo malo eum deceperit, cui se obligauit, intercessionem dissimulans. l. 2. §. sed ita. l. si decipiendi. 30. & C. eod. l. 5. & ff. de diuers. reg. iur. l. in eo. 110. §. vlt. (nam hoc casu Velleiani exceptio per doli replicationem elidit. l. 6. & C. eod. l. feminis. 18.) vel pretium intercessionis acceperit. d. l. antiquæ. vel beneficio senatusconsulti renunciauerit. l. vlt. §. penult. & C. quand. mul. tut. offic. l. vlt. & No. 94. cap. 2. No. 118. cap. 5. vel debitori principali successerit, pro quo se obligauit. d. l. quamuis pignoris. §. si mihi: vel intercessionem ante biennium factam, post biennium confirmauerit, atque iterum se obligauerit. C. eod. l. si mulier. 22. pro extraneo scilicèt, non pro marito, pro quo intercessio, quamuis sæpius repetita, tamen est inutilis d. No. 134.
7 cap. 8. Hæc de senatusconsulto dicta sint. ¶ Prætor in edicto non solùm dictum senatusconsultum confirmauit. C. h. t. l. cùm ad eas. 19. sed etiam (vt initio tituli dixi) actionem dat contra eum, pro quo mulier intercessit. C. eod. l. si mulier alienam. 16. hic enim potiùs
8 quam creditor mulierem decepit. l. 1. §. vltim. ¶ Hæc actio est vtilis, non directa, vt suprà notaui, videlicèt cùm mulier obligationem alterius omninò in se transtulit. nam si pro alio fideiussit, quia reus principalis manet obligatus, certè directa actio in eum competit. Quapropter actio contra principalem debitorem modò directa seruatur, modò vtilis paratur. C. eod. d l. antiquæ. in fi. princ. id est, vel restituitur, si mulier nouatione facta pro alio expromisit. d. l. si mulier alienam. in fi. vel instituitur, si mulier obligationem suscepit ne alius obligaretur. d. l. quamuis pignoris. §. pen. Priori casu vocatur actio rescissoria. d. l. si mulier alienam. vel restitutoria. d. l. quamuis pignoris. §. Marcellus. §. si mulieri. & §. seq. quia rescissa intercessione mulieris, in veterem debitorem restituitur: vel pristina. ead. l. §. quoties. vel noua. l. aliquando. 13. §. 1. vel vtilis d. l. quamuis pignoris. §. si conuenerit. quia cum actio restituitur, est eadem species actionis, sed mutauit qualitatem & pro directa quæ antea competebat facta est vtilis. Hæ duæ postremæ appellationes etiam posteriori casu conueniunt, quo casu multi vocant actionem institoriam. glos. in d. l. quamuis pignoris. §. vlt. & in l. quidam. 29. h. t. & in d. l. si mulier alienam. & in l. feminis. 18. C. eod. Azo. in summ. C. eod. num. 17. & 18 Odofr. in d. l. si mulier alienam. & Græci interpretes relati à Cuiacio, lib. 16. obseruat. cap. 17. Ego malim appellare institutoriam cum Bart. in l. si paternam. 8. C. h. t. Salic. in d. l. si mulier alienam. C. eod. & aliis Doct. in l. 1. C. eod. neque enim Græcis & Cuiacio assentior existimantib. hanc esse institoriam, de qua agitur in titulo. ff. de instit. actio. sed puto dici posse instituitoriam, quia instituitur, id est, introducitur & paratur; sicut vocatur restitutoria, cùm amissa restituitur. Vide nostrum comment. in rubr. C. hoc tit. num. 53.

II. *De compensationibus.*

TRia condictionibus lib. 12. & 13. expositis acci- 1
dunt: obligari per alium, obligari pro alio, & compensatio. Quoniam igitur proximè dictum est de obligatione, quam mulier pro alio suscepit; & superiùs expositæ fuerunt actionum qualitates ex eo orientes, quòd quis per alium est obligatus: superest, vt de compensatione dicamus, quæ rectè ante actionem depositi explicatur, quia non potest huic actioni, vt superioribus opponi, sicuti paulò pòst docebo. Eadem methodus adhibita fuit. lib. 3. vbi tractatus de infamia, subiectus est titulo de procuratoribus; quia infamia remouet à postulando. ff. de postul. l. 1. §. secundo loco & §. seq. non à procuratione. Instit. de exceptio. §. vlt. ¶ Compensationis vocabulum ab an- 2
tiquo æris appendendi more, cùm nondum nummi cuderentur, deductum est nam qui soluebat, æs appendebat: compensatio autem vim habet solutionis. l. si ambo. 10. §. 1. & ff. qui potior in pign. habean. l. 4. & de statulib. l. si peculium 20. §. quòd si heredi. & de libe. cau. l. vel permutauit, 19. & de verbor. signif. l. dedisse. 76. ¶ Ac definitur debiti & crediti inter se 3
contributio. l. 1. ¶ Nota primò, compensationem, & 4
imputationem seu reputationem, & retentionem vel deductionem differre, quamuis inter se affinia sint. nam imputamus seu reputamus aliquid creditori nostro, vt cum eo compensemus: & ideo compensamus, vt compensatum retineamus: vel, si plus debeamus quàm nobis inuicem debeatur, hoc, quod nobis debetur, de maiori summa à nobis debita deducimus, & retinemus verbi gratiâ, si tibi debeam centum, ac tu inuicem mihi debeas sexaginta: his de centum deductis, reliqua quadraginta tibi soluam. Atque hæc est retentio in perpetuum. Alia est retentio ad tempus iure pignoris. l. si conuenerit. 18. quæ interdum vocatur compensatio; túncque compensationis vocabulum latiùs sumitur. ff. de pignor. act. l. Caius Seius. 39. ¶ Nota secundò, compensari etiam quod naturaliter 5
tantùm debetur. l. 6. ¶ Nota tertiò, non compen- 6
sari debitum non liquidum. C. eod. l. vltim. §. 1. nec debitum in diem antequam dies veniat. l. 7. in princ. multò igitur minùs debitum conditionale, si conditio pendeat. ¶ Nota quartò, compensationem non 7
fieri,

BIU Cujas

fieri, nisi inter eos, qui sibi inuicem debent. nam eius quod Titius mihi debet, vel quod tu Titio debes, compensationem tibi obiicere non possum. l. cùm militi. 16. in prin. l. in rem. 18. §. 1. l. pen. & C. eod. l. eius. 9.

8 ¶ Nota quintò, compensationem obiici posse etiam fisco, vel reipub. extra certas causas. l. idem. 12. l. ideo. 9 17. l. vlt. & C. eod. l. 1. 3. 7. ¶ Nota sextò, omnes res in compensationem cadere, non tantùm pecuniam. Cùm enim compensatio (vt dixi) vim solutionis habeat: ea, quæ possunt solui, possunt compensari itaque & qualitates, & genera, & species compensantur; dummodò idem hinc inde debeatur: quia vt non potest aliud pro alio solui inuito creditori. ſ. de reb. cred. l. 2. §. 1. ita nec compensari. ergo compensatur pecunia cum pecunia, genus cum genere, & species cum specie: non tamen diuersa genera, nec diuersæ species. nam si mihi equum debeas, ego tibi bouem debeam: aut si mihi Stichum debeas, ego tibi Pamphilum compensatio non admittitur, nisi ambo consentiamus. Sed finge me tibi seruum promisisse, ac te ei, qui mihi seruum legauit, successisse: vel me tibi Stichum, ex stipulatione, te mihi eundem Stichum ex testamento debere: certè vtrolibet nostrum desiderante, etiam altero inuito, compensatio fiet. Vide nostrum 10 commentar. ad l. 4. C. h. t. ¶ Nota septimò, compensationem fieri etiam ex diuersis causis, vt in dictis exemplis, cùm alter ex stipulatione tenetur alter ex te- 11 testamento. ¶ Nota octauo, compensationem in omnib. iudiciis habere locum, excepto iudicio depositi, quod omnino compensationem respuit. C. h. t. l. vlt. & depos. l. pen. & Instit. de actio. §. in bonæfidei & iudicio commodati, si commodatarius vi compensationis rem commodatam retinere velit. C. de commod. 12 l. vlt. ¶ Nota nonò, compensationem ipso iure fieri, tam in obligationibus bonæfidei, quàm stricti iuris, licèt in his olim esset opus exceptione. l. posteaquam. 21. & C. eod. l. 4. & l. vltim. & Institut. de actio. d. §. in bonæ fidei.

III. *Depositi, vel contrà.*

1 EX contractibus qui re perficiuntur, explicandum supereſt depositum, quod & commendatum dicitur. l. Lucius. 24. & C. eod. l. 6. l. cùm hereditas. 9. & ſ. 2 de verbor. signif. l. commodare. 186. ¶ Dicitur autem depositum à ponendo particula verò *de*, significationem auget, vt intelligamus totã rei custodiã omninò 3 pertinere ad depositarium. l. 1. in princ. ¶ Porrò depositum accipitur modò pro re deposita. d. l. 1. in pr. modò pro contractu. ſ. de pact. l. 7. §. 1. In priori significatione definitur, Quod custodiendum alicui datum est. d. l. 1. in pr. Subaudi, gratis. nam mercede interueniente, non est depositum, sed locatio & conductio. Instit. de manda. §. vltim. In posteriori significatione est contractus, quo res gratis custodiẽda, &, quotiescumque deponens reposcet, restituenda traditur. Intellige restitui debere eandem speciem. ſ. de reb. cred. l. 2. in pr. & ſ. de oblig. & act. l. 1. §. is quoque apud quem. & Instit. quib. mod. re contrah. oblig. §. pen. non deterioratam. l. 1. §. si res deposita. Restituenda etiam sunt, quæ rei depositæ accedunt, licèt deposita non sint: vt vestimenta hominis depositi, & capistrum equi de- 4 positi. d. l. 1. §. quæ depositis. ¶ Depositi varia sunt genera. I. Vulgare, quod Doctores voluntarium appellant. cùm aliquis nulla necessitate coactus rem custodiendam alicui tradit. II. Quod periculi vitandi causâ fit, id est, ruinæ, tumultus, naufragij causâ, de quo deposito prætor specialiter edixit, quia ex hoc dat actionem propter dolum in duplum, ex vulgari in simplum. l. 1. §. 1. Hoc doctores vocant depositum necessarium III. Sequestre, cùm duo rem inter se controuersam deponunt singuli in solidum. l. 5. §. 1. l. 6. l. licèt, 17. in princ. IV. Quod debiti causâ fit, vt cùm debitor sistendarum vsurarum gratiâ absente creditore, vel nolente debitam pecuniam accipere, eam obligatam in publico deponit. ſ. de minor. l. 7. §. sed etsi & ſ. de vsur. l. 1. §. vlt. l. emptis. 18. §. 1. & C. eod. l. 2. l. si per te. 9. l. acceptam. 19. V. Quod sponsionis causâ fit, id est, cùm duo inter se contendentes deponunt singuli res singulas, vt victor vtramque auferat, victus rem suam perdat. D. de præscript. verb. l. si gratuitam. 17. §. vlt. hoc etiam vocatur pignus, Gallicè *gageure*. Virgil. Eclo. 3.

—*Ego hanc vitulam*—
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes:

VI. Sacramentum: quod in sacro loco apud Pontificem deponebatur: apud quem duo contendentes deponebant singuli res suas, vt victor rem suam reciperet, victi res in ærarium inferretur. Varro lib. 4. de lin. Latin. in fi. Ex his, primum, secundum, & tertium sunt propriè deposita, de quibus solus in hoc titulo agitur. ¶ Rei depositæ dominium non transfertur ad depositarium. sed nec possessio, nequidem ad sequestrem nisi id agatur, vt sequester possideat. l. licèt. 17. §. 1. ¶ De- 6 positi actio duplex est, vt hæc rubr. indicat, nempe directa, & contraria: quæ inter se differunt, I. Quia directa datur depositori contra depositarium: contraria verò depositario contra depositorem cõpetit. II. Quia directa est quidem regulariter in simplum, sed in inficiantem est in duplum, si cum eo agatur, apud quem incendij, ruinæ, tumultus, naufragij causâ depositum est, vel cum herede eius de dolo malo ipsius heredis. l. 1. §. 1. & Inst. de act. §. rei persequendæ. & §. sed furti. contraria verò semper est in simplum: hac enim actione depositarius impensas repeti bona fide in rem depositam factas. l. si in Asia. 12. in pri. & §. 1. l. actione. 23. III. Quia directo iudicio damnatus notatur infamia: contrario autem iudicio damnatus, non est infamis: quoniam hoc iudicio de impensarum calculo agitur, illo autem de bona fide vel dolo depositarij. ſ. de his qui notant. infam. l. 1. §. qui pro socio. l. 6. §. vlt. & Instit. de pœn. teme. litig. §. ex quibusdam. ¶ Vtraque est 7 personalis. Instit. de action. §. rei persequendæ. bonæ fidei, Instit. eod. §. actionum perpetua l. de eo. 18. Instit. de perpet. & tempor. action. in princ. & C. de constit. pec. l. 2. vers. neque sit.

LIBER XVII.

TITVLVS I.

Mandati, vel contrà.

CONTRACTIBVS qui re perficiuntur, transgreditur ad contractus, qui dicuntur consensu fieri: quia nec rei traditio necessaria est, nec verba requiruntur, nec scripturâ opus est, vt ex his obligatio nascatur. Cùm autem horum alij magis respiciant personas vt mandatum & societas, (nam qui negotia gerenda alicui mandat, industriam eligit eius, cui mandat: & qui societatem contrahit, certam socij personam eligit. Instit. de societ. §. soluitur.) alij res, vt emptio & venditio, locatio & conductio: hoc libro prioris generis contractus proponuntur: qui quidem sunt duo modò à me relati. ¶ Primus est man- 2

datum, quod definiri potest contractus. ſ. de diuerſ. reg.iur.l.contractus.23. ſolo conſenſu conſtans. l.1. in princ.& ĵ.de oblig.& act.l.2. quo dominus negotium bona fide gerendum.l.idémque.10.in princ.ſine mercede.l.1.§.vlt.& ĵ.de præſcript.verb.l.ſi tibi.22. & Inſtit. h.t. §. vlt. ſuſcipienti procuratori committit. d.l. 3 idémque.§.ſi quis ea.& ĵ.de proxenet.l.2. ¶ Diuiditur I. A materia: quoniam aliud eſt generale de omnibus bonis; aliud ſpeciale de quibuſdam rebus, vel aliqua re. ſ. de procurat.l.1.§.1.& de pigner. act.l. ſolutum.11.§.vlt.& l. ſeq. & ĵ. quib. mod. pign. ſolu.l.7. §.1.& de acquir. hered. l. ſi quis mihi bona. 25. §. ſed vtrùm. II. Itidem à materia: quia vel mandantur gerenda negotia iudicialia, vel extraiudicialia. ſ.de procur.l.ſeruum.33.in princ.& §.1. III. A forma:quia vel eſt purum, vel conditionale, vel in diem.l.1.§.penult. & Inſtit.eod.§. penult. IV. A fine: quia vel ſit gratiâ mandantis, vel extranei, vel mandantis & mandatarij, vel mandantis & extranei, vel mandatarij & extranei, ſolius autem mandatarij causâ ſi mandetur, non eſt mandatum, ſed conſilium: nec eſt obligatorium,niſi dolus ſubſit. l. 2. & Inſtit. eod. in princ. cum aliquot paragraphis ſequentibus, & ĵ. de diu. reg. iur. l.conſilij 47. Quandoque etiam mandatum contrahitur in gratiam mandantis, mandatarij, & tertiæ perſonæ:veluti ſi tutor contutori mander negotium pupilli gerendum.l.ſi procuratorem, 8.§.ſi tutores. V. Ab effectu: quia vel mandatur libera adminiſtratio, vel non libera. ſ.de procurat. l.mandato.60. l. procurator totorum.63. ¶ Nota primò mandatarium, id eſt, eum 4 cui mandatur, vocari procuratorem:mandatorem verò, id eſt, eum qui mandat,appellari dominum.ſ.eod. l. 1. non quòd ſit dominus procuratoris, ſed negotij 5 mandati. ¶ Nota ſecundò procuratorem non debere excedere fines mandati, eum verò non excedere fines mandati, qui id facit, ſine quo negotium mandatum commodè expediri nequit: quia hoc quoque tacitè mandatum videtur. qua ratione præter id quod expreſsè mandatum eſt, procurator non poteſt facere conditionem domini deteriorem,ſed interdum poteſt facere meliorem. l.3. 4.5. Inſtitut. h. eod. tit. §. is qui exequitur. & ſ. de procur. l. ad rem.56. l. ad legatum. 6 62. ¶ Actio mandati eſt duplex; quia vltrò citróque competit.l.ſeruus 19. altera igitur eſt actio directa, altera contraria, vt ex hac rubr. apparet. Directa datur mandatori aduerſus mandatarium,in id quod intereſt. C.h.t. l. ad comparandas. 16. Quare is agere non poteſt,cuius nihil intereſt. d. l. ſi procuratorem. §. mandati. Sed ſufficit intereſſe, quando agitur, licèt tempore contractus non intereſſet, vt quia mandauit aliquis alienâ causâ. l.6. §. ſi tibi. Contraria datur mandatario aduerſus mandatorem ad repetendas impenſas bonafide in negotium mandatum factas. l. inter. 26.§.vlt.l. ſi quis alicui. 27. §. penult.l. ſi mandatu.45. §.ſi fideiuſſor.& ſi quid præterea intereſt. l.ſi verò.12. §.ſi mihi.l. ſi mandauero. 22.§.interdum. æquum eſt enim, vt procurator à domino indemnis ſeruetur. l. ſi 7 mandaſſem. 13. ¶ Vtraque actio tam directa, quàm contraria, eſt ciuilis, perſonalis. Inſtit. de action.§. rei perſequendæ. bonæfidei. Inſtit. eod. §. actionum. famoſa,ſi de fide rupta agatur, quod magis contingit in iudicio directo, quàm in contrario. ſ. de his qui notant. infam. l. 1. verſ. qui pro ſocio. l. 6. §. vlt. & Inſtit. de pœn. teme. litig.§. ex quibuſdam.

Expoſitus eſt primus contractus conenſu conſtans & ad perſonas recipiens: ſequitur ſecundus.

II. *Pro ſocio.*

SEcundus contractus conſenſu conſtans, & perſo- 1
nas reſpiciens, eſt ſocietas: ex qua naſcitur actio quæ vocatur pro ſocio. ¶ Societas eſt contractus. 3. 2
de pact. l. 7.§.1.& ĵ. de verb.ſignif.l. Labeo libro primo. 19. qui conſenſu perficitur. ĵ. de oblig. & act.l.2. & Inſtitut. de oblig. quæ ex conſen. de re vel negotiatione. l. 5. in princ. & Inſtit. h. eod. tit. in pr.honeſta. l.nec prætermittendum. 57. & ĵ. de contrah. empt. l. quod ſæpe.35.§. veneni.& de tut. rat.diſtrah.l.1.§.planè & ad le.Cornel.de falſ. l.falſi.20. & de le. Iul.de anno. l. 2. eiúſque lucro vel damno communicando. l. ſi non fuerint. 29. & l. ſeq. l.ſi vnus. 67.Inſtitut.eod.§.1. & ſeqq. ¶ Diuiditur trifariam. I. Aut eſt publica, vt 3
vectigalium; aut priuata,id eſt,de re vel negotiatione priuata. l. adeo. 59.in princ. II. Aut eſt vnius rei, aut quarundam rerum, aut omnium bonorum, aut vnius negotiationis, aut plurium negotiationum. l.1.§.1.l.5. in princ. Inſtitut. eod. in princ. III. Aut contrahitur expreſſis partibus lucri & damni,aut lucri tantùm,aut damni tantùm,aut neutrius,aut definitio partium collata eſt in arbitrium ſocij, vel extranei. Si partes lucri & damni ſint expreſſæ, conuentioni ſtandũ eſt. l. Mucius. 30. & Inſtit. eod. §. 1. dummodò ſocius, qui plus ex conuentione accipit,etiam plus in ſocietatem conferat.d.l.ſi non fuerint.in princ. & §. 1.& Inſtit.eod.§. de illa. Si partes ſint expreſſæ in lucro ſolo, eædem tacitè cenſentur conſtitutæ etiam in damno: & retrò in ſolo damno expreſſæ, accipiuntur ſimiliter etiam in lucro. Inſtit. eod. §. illud. Si de partibus nihil dictum ſit, partes æquales fient,tam in lucro,quàm in damno. d.l.ſi non fuerint.in princ. Inſtit. eod.§.1.non æqualitate arithmetica, vt quidam volunt, ſed ſecundum communem & veram ſententiam) æqualitate geometrica,quæ in proportione conſiſtit;ita vt qui plus contulit, plus accipiat verbi gratiâ,ſi primus contulit centum, Secundus quinquaginta; & in lucro ſint duodecim:Primus ex his duodecim feret octo,Secũdus quatuor.Hæc diuiſio & rationi & legi conſentanea eſt.l.6. & apud Græcos quoq; recepta, vt cõſtat ex Ariſt.li.7. Ethic.Eadẽ.c.10.& lib.3.Polit.c.6. Si definitio partium collata ſit in arbitriũ ſiue ſocij,ſiue extranei: partes arbitrio boni viri ſunt conſtituendæ,ita vt æquales fiant aqualitate geometrica. d. l. 6.& l.ſocietatem.76. cum quatuor llll. ſeqqqq. ¶ Nota primò, ſocietatem ab 4
Æſopi apologo appellari Leoninam,& iure improbari, ſi ita conuenerit, vt ſociorum alter damnum ferat, ex lucro nihil accipiat. d.l. ſi non fuerint.29. ¶ Nota 5
ſecundò, lucrum & damnum,quamuis in diuerſis rebus vel diuerſis cauſis contigerint,inter ſe compenſari:& ſi quid ſuperſit, illud tantùm in lucro vel damno poni.l.Mucius.30.& Inſtit. eod.§.de illa. ¶ Actio pro 6
ſocio eſt vtrimque directa. Inſtit. de pœn.teme. litig. §. ex quibuſdam qua ſocius à ſocio conuenitur, vel quia ſocietati damnum dedit. l. ſi fundus. 39. l. ſed nihilominùs. 48. & l.ſeq. & ſ.de noxal.l. ſed & eo.10.& de ſeru. corrupt.l.ſi quis ſeruum.9.in pr.vel quia vltra quàm ad ſe pertineat,ex re communi fructus percepit. l.pro ſocio. 38. §. 1. vel quia pecuniam communem in vſus ſuos conuertit. ĵ.de vſur. l.1.§.1. vel quia actor in rem communem impendit. d. l.pro ſocio. §. 1. l. cum duobus. 52. §.item ſi in communem.& §.ſi quis ex ſociis, damnumúe ob ſocietatem,putà in itinere à latronibus paſſus eſt, cùm ad mercatum proficiſceretur. d. l.cum duobus.§.quidam. ¶ Hæc actio eſt ciuilis, per- 7
ſonalis. Inſtitut. de actio.§.rei perſequendæ generalis. d.l.pro ſocio. bonæfidei. Inſtit.de action. §.actionum.

¶ Ha

6 ¶ Hactenus de contractibus solo consensu constantibus, qui magis respiciunt ad personas quibuscum contrahitur, quàm ad res, de quibus contrahitur.

LIBER XVIII.

TITVLVS I.

De contrahenda emptione, & de pactis inter emptorem & venditorem compositis, & quæ res venire non possunt.

1 SEQVVNTVR contractus, qui magis respiciunt ipsas res quàm personas: inter quos primum locum tenet emptio & venditio, quæ est contractus. s. de pact.l.1.§.vlt.l.7.§.1.& ĩ. de verb.signif. l.Labeo libro primo. 19. qui consensu perficitur. ĩ.de oblig.& act.l.2.Inst.de oblig.quæ ex cons.& de empt. & vendit. in princ. vt emptori rem habere liceat. ĩ. de euict. l.venditor.8.certo pretio. Instit.de empt. & vendit.in princ.& §.1.dato. ĩ.de act.empt.l.ex empto, 11. §.& in primis ipsam. & de rer.permut. l.1.in princ.

2 ¶ Pretium est numeratæ pecuniæ quantitas. s̃ de contrah.empt.l.1. §.1.& ĩ. de præscript.verb.l.5.§.1.& C. de rer.permut.l.pen.& Instit.de empt. & vend.§.item pretium. qua res æstimatur. ĩ. de pignor.l. si fundus. 16.§.vlt.& C.de iu.dot.l.si inter 21. ¶ Huius contra-

3 ctus expositio ad duo summa capita refertur. prius est de emptione contrahenda: Posterius de eius contractæ effectibus. In ea contrahenda tria spectantur, videlicèt per quas personas contrahatur, quomodo, &

4 in quibus rebus. ¶ Huius rubricæ tres sunt partes. Prima pars est, *de contrahenda emptione*. subaudi, & venditione; quia emptio sine venditione contrahi nequit: immo vnus est contractus, qui diuerso respectu vocatur emptio, & venditio. Porrò his rubr. verbis duo simul explicanda proponuntur, quoniam alterum ab altero pendet; nempe quæ personæ emere aut vendere possint, & quomodo emptio & venditio contrahatur. Regulariter hi possunt contrahere, qui possunt consentire; quoniam hic contractus, cùm sit iurisgentiũ, solo consensu perficitur; proinde inter absentes etiam contrahi potest, & per nuncium, vel per epistolam. l. 1. §. vlt. Neque tamen conditionalis venditio ante conditionem existentem. l. 7. in princ. neque venditio ad pondus numerum vel mensuram facta, antequàm res appendatur vel numeretur vel mensuretur. l. quod sæpe. 35. §. in his. cum duobus. §§. seqq. neque si de contractu in scriptis redigendo conuenerit, ante perfectam scripturam emptio & venditio perfectè contracta dici potest. C. de fid.instrum. l. contractus. 17.& instit.de empt.& vendit.in pr. Traditio rei & solutio pretij, non perficiunt, sed implent contractum. ĩ.de action. emp. l.si quis alienam. 46. & C.eod.l.4. traditio arrharum neque contractum perficit. Instit.de empt.& vendit.in princ. neque impler. C. de rescind. vendit. l.2. Idem dicendum de stipulatione vel fideiussoris datione huic contractui adiecta. ĩ.

5 eod. l. 3. ¶ Ad modum contrahendæ emptionis & venditionis pertinent etiam pacta, quæ à contrahentibus adiici solent, quia pacta conuenta informant & reformant contractus, quibus apponuntur, & actiones ex iis contractibus descendentes. s̃. de pact. l. 7. §. quin immo.& §. adeo. quò spectat secunda pars rubricæ, *de pactis inter emptorem & venditorem compositis*. Tertia pars, *quæ res venire non possunt*, pertinet ad materiam emptionis; & ideo negatiuè concipitur, quia emi & vendi quæcumque res possunt, nisi ius nominatim prohibeat, vt quia sit extra commercium. l. 6. in princ. cum simil.

II. *De in diem addictione.*

SVperiori titulo generaliter de pactis emptionis & 1
venditionis agendum proposuit: deinceps duo pacta specialiter explicat. Primum est addictionis in diem: nimirum vt si intra certam diem aliquis maius pretium, vel alia quauis ratione meliorem conditionem obtulerit, venditor eam in præiudicium primi emptoris accipere possit. l. 1. & passim. to. tit. ¶ Hoc 2
autem duobus modis fieri potest. vel enim venditio sub conditione contrahitur, nisi quis meliorem conditionem intra diem obtulerit: vel purè contrahitur, & sub conditione resoluitur, si quis meliorem conditionem obtulerit. l. 2. ¶ Nota primò, aliud esse addi- 3
ctionem, aliud adiectionem. nam addictio est, qua res emptori attribuitur: adiectio autem vocatur melioris conditionis oblatio. Anto. August. lib. 2. Emend. cap. 3. ¶ Nota secundò, hoc pactum, etiamsi non sit expres- 4
sum, tamen in venditione fiscali tacitè inesse, adeo vt intra certum tempus (quod tamen nulla lege definitum reperitur) liceat meliorem conditionem offerre, atque ita rem primo emptori auferre, nisi primus emptor tantundem soluere sit paratus. ĩ. ad municip. l. Lucius. 21.§.vlt.& de iu.fisc.l.vltim.& C.de fi.& iu.hasf. fisc.l.4.& de vendit.reb.ciuit.l.1.

III. *De lege commissoria.*

SEcundum pactum est lex commissoria, qua id agi- 1
tur, vt si emptor intra diem, de qua conuenit, pretium non soluerit, liceat venditori facere rem inemptam. l. 2. 3.& 4. in princ. ¶ Nota primò, hoc pactum 2
vocari legem, quia venditioni adiicitur incontinenti, proinde in contractu inest, & legem contractui dat. Item vocari commissoriam: quia emptor non soluens pretium in hoc pactum committit. ¶ Nota secundò, 3
licet lex commissoria in venditione probetur. C. de pact.int. empt. l. 1. tamen in pignore reprobari, id est, pactum vt si debitor intra certam diem non soluerit quod debet, pignus emptum sit creditori. C. de pact. pign.l.vlt. ¶ Nota tertiò, in arbitrio venditoris posi- 4
tum esse, vtrum velit pretium petere, an huius pacti beneficio vti. dd.ll.2.& 3.

IV. *De hereditate vel actione vendita.*

QVemadmodũ primo titulo priùs de pactis agen- 1
dum proposuit, quàm de rebus quæ venduntur: ita etiam in titulis sequentibus priùs exposuit specialiter duo pacta; deinde in hoc titulo agit de quarumdam rerum incorporalium, id est, hereditatis, & actionis venditione. ¶ De hereditate vendita nota primò, 2
rectè vendi hereditatem defuncti, non viuentis. etenim qui viuentis hereditatem vendidit, si ei postea defuncto succedat, priuatur hereditate tamquam indignus, argum. l. 2. §. vlt. ĩ. de his quæ vt indign. & l. donari. 29. §. vlt. & l. seq. ĩ. de donat. ¶ Nota secundò, 3
venditorem manere heredem: quia qui semel est heres, non potest desinere esse heres. s̃.de minor.l.7.§.sed quod Papinianus. & ĩ.de hered instit. l.ei qui soluendo. 88. emptorem tamen vicem heredis obtinere. l. 2. §. cùm quis.& s̃. commu.præd.l.si ei. 9. ideóque non habere actiones hereditarias directas, nisi sibi mandatæ sint à venditore, sed vtiles. C.h.t.l.5. & s̃. de pact. l. si cum emptore. 16. in prin. ¶ Nota tertiò, inter empto- 4
rem & venditorem solere stipulationes emptæ & ven-

BIU Cujas

ditæ hereditatis interponi: quibus venditor promittit se restituturum emptori, si quid ex hereditate percipiet: & stipulatur ab emptore sibi reddi, si quid ratione hereditatis præstiterit. l. venditor. 21. & ſ. de legat. iij. l. quisquis. 95. & Instit. de fideicommissar. heredit. §. ergo. vers. sed quarta. ¶ Nota quartò, vẽditorem non præstare certam hereditatis quantitatem, nisi eam affirmauerit. l. qui filiifam. 14. §. 1. & l. seq. sed tantùm hereditatem esse, & ad se pertinere. l. 7. 8. & 9. ¶ De actione vendita nota primò, idem esse, siue quis dicat vendi actionem, vt in hac rubr. siue obligationem. l. multum interest. 19. siue nomen. l. 4. & 6. ¶ Nota secundò, vendi posse tam actionem in rem, quàm in personam. C. eod. l. vlt. ¶ Nota tertiò, non requiri scientiam vel consensum debitoris, cuius nomen venditur. C. eod. l. 3. & de nouat. l. 1. vers. nominis. ¶ Nota quartò, actionem vendi posse ante, non post litem contestatam. C. de litig. l. 2. ¶ Nota quintò venditorem præstare debere, eum, cuius nomen vendidit, esse debitorem cum effectu: non tamen eum esse soluendo, nec debere certam quantitatem, nisi eam in vendendo expresserit. l. 4. & 5. & ſ. de euict. l. si plus. 74. §. vlt. ¶ Nota sextò, emptorem non posse plus exigere à debitore cuius nomen emit, quàm ipse venditori soluerit. C. mand. l. pen. & vlt.

V. *De rescindenda venditione, & quando licet à venditione discedere.*

HVcusque de emptione & venditione contrahenda: iam videamus, qui sint eius contractæ & perfectæ effectus. ¶ Primus effectus est, quòd non potest rescindi, nisi ex iusta causa, putà quia per vim aut metum contracta sit. C. h. t. l. 1. nec licet ab ea recedere, nisi mutuo consensu. C. eod. l. 3. cùm res adhuc est integra (id est, nec res emptori tradita, nec pretium venditori solutum est,) aut restituta in integrum, reddita re seu pretio. l. 5. §. 1. & s̃. de pact. l. ab emptione. 58. & C. quan. lice. ab empt. disced. l. 2. ¶ Nota primò, rem dici integram, si nec res sit emptori tradita, nec pretium venditori solutum, licèt datæ sint arræ. d. l. 2. vel datus fideiussor. l. 3. ¶ Nota secundò, venditionem rescindi, cùm vno contrahentium petente, altero inuito, per sententiam iudicis dissoluitur: Ab ea verò discedi, cùm sine iudicio hi qui contraxerunt, eam irritam faciunt. l. 1. l. 7. §. 1. & C. quan. lic. ab empt. disced. l. 1. vel cùm is non vult contractui stare, qui ipso iure non tenetur. l. Titius. 8.

VI. *De periculo & commodo rei venditæ.*

SEcundus effectus est, quòd periculum & commodum spectat ad emptorem, licèt ei res nondum sit tradita. l. necessariò. 8. in princ. & s̃. tit. prox. l. 5. §. vlt. & Instit. de contrahen. empt. §. cùm autem.

VII. *De seruis exportandis, vel si ita mancipium venierit vt manumittatur, vel contrà.*

SEquuntur tres effectus pertinentes ad seruos venditos. ¶ Tertius effectus est, quòd si seruus exportandus veneat, (id est, ne in ea ciuitate, vel prouincia moretur, in qua venit) non potest ibi morari inuito venditore. l. 1. immo venditus hoc pactò, ne in ea ciuitate moretur, in qua venditus est, etiam Romæ morari non debet: & venditus ne in prouincia moretur, etiam in Italia morari non debet. C. si seru. exportan. ven. l. vlt. Si contra legem moretur, confiscatur, nisi venditor pactus in eum casum sit vt ipse manum iniicere possit. C. eod. l. 1. & 2. ¶ Quartus effectus est, quòd si mancipium ita venierit vt manumittatur; emptore libertati moram faciente, id est, non manumittente, nihilominùs mancipium ad libertatem peruenit ex constitutione Diui Marci, nisi venditor voluntatem mutauerit. l. 3. & s̃. de in ius vocan. l. sed si hac lege. 10. in princ. & C. si mancip. ita fue. alien. to. tit. ¶ Quintus effectus est, quòd si mancipium vendatur hac lege ne manumittatur, emptor non potest eum ad libertatem producere. C. eod. l. pen.

LIBER XIX.

TITVLVS I.

De actionibus empti & venditi.

SExtus effectus est actio, quæ hinc inde ex hoc contractu oritur, & multis modis nominatur. Nam quæ emptori aduersus venditorem competit, plerumque dicitur empti, vt in hac rubrica, siue ex empto, vt in l. ex empto. 11. in princ. vel empti venditi, siue ex empto vendito. s̃. de hered. vel actio. vend. l. multum. 19. interdum venditi, siue ex vendito. s̃. de le. commiss. l. 4. §. penult. & ſ. de euict. l. sed hoc nomine. 26. & l. si cùm venditor. 66. §. penult. & C. de pact. l. ex conuentione. 11. Item actio, quæ venditori competit aduersus emptorem, plerumque appellatur actio venditi, vt in hac rubr. siue ex vendito. l. Iulianus. 13. §. ex vendito, vel venditi empti, siue ex vendito empto. d. l. Iulianus. §. si procurator. in fin. & C. si seru. exte. se emi. manda. l. vn. Plerumque igitur hæ actiones denominantur ab eo cui dantur, rarò ab eo contra quem dantur: vt actio ex empto plerumque dicitur quæ datur emptori, interdum quæ contra emptorem competit. & actio ex vendito plerumque dicitur, quæ datur vẽditori, interdum quæ datur contra venditorem. Nos in sequentibus actionem ex empto vocabimus, quæ emptori competit: ex vendito, quæ venditori. ¶ Ergo ex empto actione emptor. d. l. ex empto. in princ. à venditore petit. l. 6. in princ. vel vt sibi rem tradat. d. l. ex empto. §. & in primis ipsam. & s̃. de contrah. empt. l. si duo. 13. §. si quis iurauerit. vel id quod sua interest rem traditam esse. l. 1. in princ. d. l. ex empto. §. idem ait. & C. eod. l. 4. ¶ Ex vendito actio venditori competit ad ea consequenda, quæ ei ab emptore præstari oportet. d. l. Iulianus. §. ex vendito. Præstare autem emptor debet pretium, & post diem, quo tradita est res vendita, vsuras pretij, & sumptus à venditore in eam rem factos, & si quid præterea se præstaturum pactus est. d. l. Iulianus. §. veniunt. & §§. seqq. ¶ Nota primò, in arbitrio emptoris esse, vtrùm petat rem, an interesse, si modò res tradi possit: alioquin quid aliud petat, quàm æstimationem eius quod sua interest? s̃. de contrah. empt. l. si cùm fundum. 68. §. vlt. Sed si venditor rem tradere possit, & emptor eam desideret, eam præcisè tradere cogitur, nec liberatur oblatione eius quod interest. Instit. de donat. §. aliæ. vers. & ad exemplum. Paul. li. 1. Sentent. tit. 13. §. si id quod. ¶ Nota secundò, has actiones esse ciuiles, personales. Instit. de action. §. rei persequendæ. perpetuas. C. de constit. pecun. l. 2. vers. neque sit. bonæfidei. Institut. de action. §. actionum. Hucusque de emptione & venditione.

BIU Cujas

II. *Locati, conducti.*

1 EMptioni & venditioni proxima est locatio & conductio, iisdémque regulis iuris consistit. l. 2. & Instit. eod. in princ. Et quod de empti venditi vocabulis suprà dixi, eadem sunt intelligenda de verbis locati conducti. Nam veteres, vt emptionis & venditionis, ita etiam locationis & conductionis appellationibus promiscuè vtebantur. s. tit. prox. l. veteres. 19. & l. seq. Sed vt suprà actionem empti dabamus emptori, venditi venditori; ita etiam hîc actionem locati locatori, 2 conducti conductori tribuimus. ¶ Locatio & conductio est contractus. s. de pact. l. 1. §. vlt. l. 7. §. 1. & j. de verbor. signif. l. Labeo. libro primo. 19. solo consensu constans. l. 1. & j. de oblig. & action. l. 2. & Instit. de oblig. ex cons. de re vtenda (vsus appellatione etiam fructum, & hominis operas intellige) l. 2. in fi. l. item quæritur. 13. §. 1. l. sed addes. 19. §. si quis mulierem. l. item si pretio. 22. §. cum insulam. l. ea lege. 51. §. 1. & s. de le. Rhod. l. 2. in princ. l. vlt. in princ. & Instit. hoc tit. §. item quæritur certa mercede. l. 2. & Instit. de locat. 3 & conduc. in princ. & §. 1. ¶ Merces est facti vel vsus æstimatio. quæ interdum appellatur pretium. l. insula. 58. in princ. & s. de le. Rhod. l. vlt. §. vlt. Aliter igitur pretium accipitur in venditione, aliter in locatione. Nam I. Illud ipsam rem, hoc verò vsum vel factum æstimat. II. Illud in pecunia tantùm numerata consistit, vt docui s. de contrah. empt. in fin. hoc autem in quacumque re, numero, mensura, vel pondere constat, vt vino, oleo, frumento. &c. C. hoc tit. l. si olei. 21. 4 ¶ Locator est, qui vtendum vel faciendum dat: conductor, qui accipit. Cùm quid vtendū datur, vt ædes; vel fruendum, vt fundus: conductor mercedem locatori soluit. In opere faciendo, si operæ locentur, similiter locator mercedem accipit à conductore. Si verò opus faciendum locetur, vt ædificium, vel anu- 5 lus; conductor mercedem accipit à locatore. ¶ Colonus est conductor fundi. Inquilinus est conductor ædium. j. de acquir. possess. l. res pignoris. 37. & de vi & vi arma. l. vlt. Redemptor est, qui aliquid suis impensis faciendum conduxit: vt ædificium extruēdum. s. de rei vindic. l. redemptores. 39. aut annonam exercitui præbendam, vt apud Liuium illo loco libri 14. *Redemptoribus vetitis frumentum parare, ac Romam dimis-* 6 *sis, Bellum, inquit, se ipsum alet.* ¶ Locatio vel est temporalis, vel perpetua. C. hoc tit. l. viam. 10. Sed hæc est potiùs contractus emphyteuticus, quàm locatio. Inst. 7 eod. §. adeo. ¶ Locati actio datur locatori aduersus conductorem: conducti actio, conductori aduersus locatorem. Instit. eod. in princ. Vtraque id persequitur, quod alter alteri ex bono & æquo præstare debet. j. de oblig. & act. l. 2. in fin. Instit. de oblig. ex consen. in fin. veluti vt merces debita soluatur. C. h. t. l. legem. 16. vnà cum vsuris post moram. C. eod. l. præses. 17. quæ tamen non debentur iure actionis, sed officio iudicis actioni accedente. l. quæro. 54. in princ. vt conductor præstet, quod eius dolo vel culpâ res deteriorata est: vel amissa. l. si quis domum. 9. §. penult. l. videamus. 11. §. item prospicere. l. si merces. 25. §. culpæ. & §. penult. & Instit. eod. §. penult. vt re conductâ vti frui liceat, vel soluatur id quod interest. l. 7. 8. 9. in princ. & §. 1. & vt locatione rei finita conductor rem restituat. d. l. videamus. §. penult. & C. 8 eod. l. si quis conductionis. 25. ¶ Vtraque actio est ciuilis, personalis. Instit. de action. §. rei persequendæ. bonæfidei. d. l. quæro. & Instit. de actio. §. actionum. perpetua. C. de constit. pecun. l. 2. vers. neque sit in quocumque. & ad heredes transitoria. l. sed addes. 19. §. ex conducto. & C. eod. l. viam. 10.

III. *De æstimatoria actione.*

EXpositi sunt octo contractus, mutuum, commo- 1 datum, pignus, depositum, mandatum, societas, emptio & venditio, locatio & conductio: quorum priores quatuor re, posteriores consensu perficiuntur, omnes nominati & certi. Sed quidam contractus sunt incerti. s. de reb. cred. l. certi. 9. in princ. de quib. meritò dubitatur ad quod genus referri debeant: & alij sunt contractus innominati, de quibus dicemus duob. tit. seqq. ¶ Incertus contractus est veluti cùm res æsti- 2 mata vendenda datur, vt is qui accepit, aut rem aut æstimationem restituat. de quo contractu dubitatum est; vtrùm pariat actionem ex vendito, quia æstimatio vim habere venditionis solet; an ex locato, quasi rem vendendam locauerit; an ex conducto, quasi operas conduxerit eius qui vendere debet, an mandati, quasi rem vendendam mandauerit. Sed tollendæ dubitationis causâ, & vt vitetur periculum, in quod incidit, qui actionem mouet sibi non competētem; placuit actionem æstimatoriam proponi. ¶ Quæ quidem est spe- 3 cies actionis præscriptis verbis, & bonæ fidei. l. 1. in pr. & Instit. de action. §. actionum. Alia est actio æstimatoria ex venditione, quæ etiam appellatur quanto minoris, qua emptor petit ob rei vitium aliquid de pretio detrahi. j. de ædil. edicto. l. si quid venditor. 18. in princ.

IV. *De rerum permutatione.*

SVpersunt explicandi contractus innominati, qui 1 sunt stricti iuris excepta permutatione, quæ est bonæ fidei. quare de permutatione seorsum hoc loco dicendum. optimè enim hic titulus superiori cohærebit: cùm hi tituli duos casus proponant, quib. actio præscriptis verbis est bonæ fidei, cum aliis casib. sit stricti iuris. Instit. de actionib. §. actionum. ¶ Permutatio- 2 nem Doctores vulgò distinguunt à contractu Do vt des: quasi permutatio sit, quando species cum specie commutatur, veluti, do tibi Stichum vt des mihi Pamphilum: aliâs interueniente genere sit contractus do vt des, veluti do tibi Stichum, vt des mihi bouem. Ego Cuiac. assentior pro eodem accipienti permutationem & contractum do vt des. Itaque permutationem definio, contractum innominatum do vt des. ¶ No- 3 ta primò, contractum do vt des, licèt appelletur permutatio, tamen esse innominatum. l. 1. §. item emptio, quia permutatio non est nomen contractus, sed conuentiònis. etenim contractus non tantum conuentione, sed etiam causâ constat. s. de pact. l. 7. §. sed etsi in alium. ratione conuentionis est facti. j. de cur. furio. l. 7. ratione causæ est iuris. s. de pact. l. si vnus. 27. §. pactus ne peteret: atque hæc est præcipua pars & quasi anima contractus: est enim vis conuentioni à iure tributa, per quam conuentio ciuilem obligationem & consequenter actionem parit. quapropter Labeo maluit contractum appellare obligationem, quam conuentionem. j. de verb. signif. l. Labeo. libro primo. 19. vbi metonymiâ effectus accipit obligationem pro causa obligationis. Ergo illud est nomen contractus, quod non solùm conuentionem, sed etiam causam significat: vt emptio & venditio, locatio & conductio, mutuum, commodatum: non id, quod solam & nudam conuentionem indicat, vt permutatio. Si quæras, cur emptio sit nomen contractus, permutatio sit nomen nudæ conuentionis: respondebo, quia emptioni lex duodecim tabularū tribuit vim producendæ actionis: vnde qui emptionem dicit, conuentionem lege confirmatam, & causâ subnixam dicit: quod in per-

BIU Cujas

mutatione non obtinet, quia lex xij. tabularum nullam permutationis mentionem fecit. Quocirca licèt permutatio sit conuentio habens causam, alioqui non esset contractus, sed nudum pactum; tamen ipsum permutationis vocabulum non significat causam sed
4 solam conuentionem. ¶ Nota secundò, in permutatione rem ab vtraque parte interuenire: quia res datur, vt inuicem res detur: quod secus est in emptione, vbi ex vna parte pecunia datur, ex altera res traditur. l. 1. in princ. & ſ. de action. emp. l. ex empto. 11. §. & in pri-
5 mis ipsam. ¶ Nota tertiò, permutationem re contrahi, quo modo contrahuntur etiam alij contractus
6 innominati. d. l. 1. §. item emptio. ¶ Nota quartò, permutatione dominium in accipientem transferri. l. 1. §. pen. & ĵ. de au. & arg. lega. l. scribit. 34. in fi. prin. Idcirco rectè dicitur contractus do vt des: quia dare est dominium transferre. ĵ. de verb. oblig. l. vbi autem. 75. §. vlt. & de diu. reg. iur. l. non videntur. 167. in princ. &
7 Instit. de action. §. sic itaque. ¶ Nota quintò, ex permutatione, vt & ex aliis contractibus innominatis, duplicem actionem oriri, nam qui contractum impleuit: contra eum, qui non impleuit, aut agit præscriptis verbis in id quod sua interest contractum impleri: aut id quod dedit, re petit condictione ob causam dati. ĵ. tit. prox. l. 5. §. 1. Quãobrem quod dicitur in l. 1. §. vlt. nõ in id agi quod interest, sed vt res reddatur, condictioni locum esse; sic explicari debet, vt hæ particulæ, *non*, & *sed*, accipiantur pro *non solùm, sed etiam*, vt ſ. de seru. præd. vrban. l. 5. & ĵ. de aqua. quotid. & æsti. l. 1. §. quotidiana. & de iniur. l. 5. §. domum. & aliis
8 locis. ¶ Nota sextò, actionem præscriptis verbis, quæ ex permutatione competit, esse bonæ fidei, vt initio tituli dixi.

V. *De præscriptis verbis, & in factum actionibus.*

1 ALios contractus innominatos, & ex eis competentem actionem præscriptis verbis constat esse stricti iuris. Instit. de actionibus. §. actionum.
2 ¶ Contractus innominatus est, qui non habet nomen, quod simul conuentionem & causam significet,
3 vt tit. præced. docui. ¶ Contractus innominati referuntur ad quatuor genera, do vt des, do vt facias. facio vt des, facio vt facias. l. 5. Cùm enim omnis obligatio vel in dando vel in faciendo consistat. Instit. de verb. oblig. in princ. & §. vlt. hæc duo quatuor modis connecti possunt: quia datio vel coniungitur cum datione, & est contractus do vt des: vel cum facto, & est contractus do vt facias. similiter factum vel cum facto iungitur, & est facio vt facias: vel cum datione,
4 & est facio vt des. ¶ Hi cõtractus non pariunt actionem ex verbis legis xij. tabularum, sed ex interpretatione Iurecõsultorum, qui legem loquentem de contractibus nominatis produxerunt ad contractus similes innominatos. Nam permutatio, seu do vt des, est similis emptioni: do vt facias, locationi: facio vt facias, mandato. & his tribus casibus datur ciuilis actio præscriptis verbis. Sed contractus facio vt des, nulli contractui nominato similis est, proinde non datur ex eo ciuilis actio, sed prætoria subsidiaria de dolo. d. l. 5.
5 ¶ Nota primò, contractum non denominari ab implemento, sed à forma, quam ab initio accipit. C. de rescind. vend. l. pretij. 9. nec esse eundem contractum, do vt facias, respectu dantis; & facio vt des, respectu facientis; sed respectu vtriusque cõtrahentis dici contractum do vt facias, vel facio vt des, prout contigit. Quare si ita contractum iniuerimus, do tibi Strichum vt manumittas Pamphilum; ac tu priùs contractum impleueris, & Pamphilum manumiseris, contra me habebis actionem ciuilem præscriptis verbis tamquàm ex contractu do vt facias, licèt ideo feceris vt tibi darem. ſ. de pact. l. 7 §. sed etsi in alium. ¶ Nota 6
secundò, eum, qui dando contractum impleuit, non solùm posse agere vt alter quoque contractum impleat, vel id quod interest præstare cogatur, sed etiam posse datum repetere condictione ob causam, si per pœnitentiam discedere à contractu velit. d. l. 5. §. 1. & 2. vt & superiori titulo de permutatione notaui. Quid si faciendo impleuerit quis contractum? an altero non implente factum suum repetet? vtique, si repeti possit, veluti si promisit, liberationem repetit, si acceptò tulit, obligationem condicet. ſ. de condict. cau. da. l. 4. & l. si mulier. 10. Ex contractibus igitur innominatis aut datum & interdum factum condicitur, aut præscriptis verbis vel de dolo agitur. Quare cùm de condictione ob causam, ac de doli actione suprà suis locis dictum fuerit: hoc loco explicanda est actio præscriptis verbis. ¶ Hæc actio pluribus nominibus signifi- 7
catur, nam dicitur I. Actio præscriptis verbis, vt in hac rubr. & passim. quæ appellatio generalis est, & omnibus actionibus accommodari potest, est enim vetusta, & à iure antiquo sumpta, quo iure omnis actio habebat certas formulas, & certa ac præscripta verba. ſ. de orig. iur. l. 2. §. deinde ex his legibus. & C. de formul. l. 1. sed quia actiones ex contractibus nominatis proprias appellationes habent, vt empti venditi, locati conducti, depositi, &c. idcirco hoc commune nomen præscriptis verbis, specialiter attributum est actioni proprio nomine carenti, quæ ex contractibus innominatis oritur, argum. l. mortis causâ capitur. 31. in princ. ĵ. de mort. cau. donat. II. Actio in factum ciuilis. l. 1. §. 1. l. 5. §. at cùm do. vers. sed si dedi. vel simpliciter in factum. l. si tibi. 22. in fi. & ſ. tit. prox. l. 1. §. 1. vbi subaudiendum est, ciuilis. III. Actio, vel intentio, vel condictio incerti; quia persequitur id quod interest. l. 6. l. ob eam. 9. l. promisisti. 16. in princ. & ſ. de pact. l. 7. §. sed etsi in alium. & ĵ. de precar. l. duo. 19. §. vlt. quod est res incerta. ſ. si quis in ius voca. non ier. l. vlt. ĵ. de verbor. oblig. l. si pœnam. 68. ¶ Datur autem hæc actio. 8
I. Ex contractibus innominatis. d. l. 5. & passim. h. tit. II. Ex contractib. dubiis, id est, quorum genus est incertum. ſ. de æstim. act. l. 1. in princ. III. Ex contractibus nominatis, maximè si pacto aliquo sint informati, vnde hæc actio concurrit cum actione ex empto vendito. ſ. de contrah. empt. l. Labeo. 50. & de rescind. vendit. l. 6. & C. de pact. int. empt. l. 2. Ex quo apparet, falsam esse Doctorum opinionem, qui putãt hanc actionem tum demum habere locum, cùm cessant remedia ordinaria. ¶ Hæc actio est stricti iuris, exceptis duo- 9
bus casibus, quibus est bonæfidei, vt notaui. ſ. tit. prox. in princ. Actio autem de dolo, quam dixi dari ex contractu facio vt des, sine dubio est arbitraria. ſ. de dolo. l. arbitrio. 18. in princ. ¶ Cùm dictum sit actionem 10
præscriptis verbis esse in factum: ne intelligas actionem in factum & actionem præscriptis verbis omninò idem esse. actio namque in factum latiùs patet, vt nunc docebo, satisfaciens posteriori parti huius rubricæ, quæ est de *in factum actionibus*: quia prior *de præscriptis verbis*, sufficienter perpurgata est. ¶ Actio in fa- 11
ctum ex eo dicitur, quòd eius formula libello conuentionali comprehensa, in factum, de quo quæstio est, concipitur, id est, ex ipso negotio controuerso sumitur. ¶ Est autem duplex: nempe ciuilis, & prætoria. 12
Ciuilis est, quæ ex interpretatione, non ex verbis legis datur: & dicitur præscriptis verbis, si ex conuentione oriatur. sin minùs, non dicitur præscriptis verbis, sed

recipit

recipit alias appellationes, vt cùm dicitur vtilis Aquilia, vel in factum. ſ. ad leg. Aquil. l. item ſi obſtetrix. 9. §. ſi quis hominem. l. quemadmodum. 29. §. pen. & Inſtit. eod. §. vlt. verſ. ideóque. Prætoria ſubdiuiditur in edictalem, & decretalem. Edictalis datur edicto prætoris, vt aduerſus eum qui in ius vocatum vi exemit. ſ. ne quis eum qui in ius voca. l. 5. §. 1. & aduerſus eum qui dolo fecit quo minùs quis iudicio ſiſteret. ſ. de eo per quem factum erit. l. 3. in princ. & ſexcentis aliis caſibus. Decretalis à prætore pro tribunali, deficientibus omnibus iuris ſcripti remediis, decernitur: qualem Iulianus dabat in ſpecie. d. l. 7. §. ſed etſi in aliũ. ſ. de pact. Hanc Doctores datiuã: illam autẽ, natiuam appellant.

IVLII PACII
A BERIGA I. C.
ISAGOGICORVM IN PANDECTAS
PARS IV.

PERVENIMVS ad Pandectarũ vmbilicum: ſic enim, quia medium locum tenet, à Iuſtiniano in l. 2. §. quartus. C. de vete. iu. enucl. appellatur hæc quarta pars: in qua poſt res creditas, id eſt, reales contractus, agitur de rerum creditarum accidentibus, & de contractibus perſonalibus. Accidẽtia ſunt; vt pignora, actiones ædilitiæ, (quas Iuſtinianus ait eſſe quaſi pediſequas actionum empti, & venditi) vſuræ, probationes. Contractus perſonales appello eos, qui ſunt de ſolo perſonarum nexu, vt ſponſalia, nuptias, tutelas. Sunt igitur huius partis duo ſegmenta. Prius de acceſſionibus, & accidentibus. contractuum realium ſuprà expoſitionem, quod tribus libris continetur, vigeſimo, vigeſimo primo, & vigeſimo ſecundo: poſterius de contractibus perſonarum, quod reliquos quinque libros occupat.

LIBER XX.
TITVLVS I.

De pignoribus & hypothecis, & qualiter ea contrahantur, & de pactis eorum.

1 PRIMVM rerum creditarum accidens eſt
2 pignus vel hypotheca. ¶ Nota primò, quaſdam conuentiones ſemper eſſe principales; nonnullas ſemper acceſſorias; alias modò principales, modò acceſſorias. Semper principales ſunt, vt mutuum, commodatum, emptio & venditio, locatio & conductio, ſocietas. Semper acceſſoriæ ſunt, vt pignus, conſtitutum. Modò principales, modò acceſſoriæ, vt mandatum, & ſtipulatio. ¶ Nota ſecundò, duplicem de pignore actionem competere. Altera eſt pigneratitia, ciuilis, perſonalis, ex contractu pignoris re initio, de qua ſuprà dictum fuit: altera eſt Seruiana, ſiue hypothecaria, prætoria, in rem, ex nudo pacto; tam hypotheca, quàm ex pignore competens, ad quam in præſentia reſpicimus. Itaque pignus ſuprà cõſideratum fuit contractus re perfectus: hîc verò ſpectatur, vt acceſſio principali contractui adiuncta. ¶ Nota tertiò, de pignoribus & hy- 3
pothecis tria in præſentia declarari. I. Namque agitur de cõtrahendo pignore. II. De eius effectu. III. De eius diſſolutione. In contrahendo ſpectatur forma, id eſt, qualiter contrahatur: & materia, id eſt, quæ res pignerentur vel hypothecæ ſubiiciantur. Sed de rebus dicetur ff. tit. 3. vt enim ſuprà in tractatu de emptione, ita etiam hîc priùs explicatur forma, quàm materia contractus. ¶ Tres itaque ſunt partes huius ru- 4
bricæ. Prima pars eſt generalis. *De pignoribus & hypothecis*: de quorum vocabulorum propria ſignificatione, & promiſcuo vſu dixi ſ. ad tit. de pign. actio. Secunda pars, *& qualiter contrahantur*, formam notat. Pignus propriè dictum, re contrahitur. ff. de oblig. & act. l. 1. §. creditor. & Inſtitut. quib. mod. re contrah. oblig. §. vlt. hypotheca nudo pacto. l. 4. & ſ. de pact. l. ſi tibi. 17. §. de pignore. Vtrumque autem vel purè contrahitur, vel in diem, vel ſub conditione. l. grege. 13. §. penult. & ff. qui potior. in pign. habe. l. 7. §. 1. l. creditor. 12. §. vnde. & quib. mod. pign. ſolu. l. 6. in pr. Porrò præter pactum de re obliganda, quo hypotheca conſtituitur, ſæpe adiiciuntur alia diuerſa pacta; veluti vt creditor loco vſurarum percipiat fructus ex re pignerata, quo caſu dicitur antichreſis. l. 6. §. 1. & vt non ſoluto debito pignus creditori emptum ſit. l. ſi fundus. 16. §. vlt. & multa alia. Quò reſpiciens ſubiecit tertiam rubricæ partem, *& de pactis eorum*, quæ ſimiliter ad formã referri debet; quia pacta dant formam contractibus, & actionibus inde deſcendentibus. ſ. de pact. l. 7. §. quinimmo.

II. *In quibus cauſis pignus vel hypotheca tacitè contrahitur.*

QVemadmodum pactum vel eſt expreſſum, vel tacitum: ita etiam hypotheca, quam pacto contrahi diximus, vel eſt manifeſtaria, vel tacita. l. eſt differentia. 9. & ſ. de pact. l. 4. in princ.

III. *Quæ res pignori vel hypothecæ datæ obligari non poſſunt.*

CVm dictum ſit, quomodo pignus vel hypotheca 1
contrahatur, conſequenter dicendum de rebus, quæ pignori vel hypothecæ datæ obligantur, vel non obligantur. Sed ſufficiet eos caſus exponere, quibus res non obligantur: hinc enim ex regula contrariorum intelligemus, quibus caſibus res obligentur. ¶ Sciendum eſt, rem multis de cauſis non obligari, 2
licèt de eius pignore vel hypotheca conuenerit. 1. Si res ſit talis, quæ eiuſmodi obligationem non admittat, vt hæc rubr. oſtendit, veluti homo l. ber. C. de patr. qui fil. diſtr. l. 1. & omninò res quæ non eſt in commercio. l. 1. §. vlt. II. Si is qui vult pignori nectere, id faciendi poteſtatem non habeat, vt pupillus ſine tutore. d. l. 1. in princ. & qui non eſt rei dominus. ſ. de pignor. l. & quæ nondum. 15. §. 1. & ff. de probat. l. ante omnia. 23. III. Si is qui pignori accipit, non habeat eius rei commercium. d. l. 1. §. vlt. vt Iudæus mancipij Chriſtiani. C. ne Chriſt. mancip. hered. vel Iud. l. 1. IV. Si obligatio principalis non conſiſtat. ſ. de pigno. l. 5. in pr. & ff. de diu. reg. iur. l. nihil dolo. 129. §. 1.

IV. *Qui*

BIU Cujas

IV. *Qui potiores in pignore, vel hypotheca habeantur, & de his qui in priorum creditorum locum succedunt.*

HActenus de contrahendo pignore vel hypotheca, nunc de eius effectibus dicendum. ¶ Primus effectus est actio hypothecaria, ex eo dicta, quòd persequitur pignus vel hypothecam, nam in hac actione inter hypothecam & pignus non distinguimus. Instit. de action. §. item Seruiana. Dicitur etiam Seruiana (vt probabile est à Seruio prætore, à quo fuit introducta: vt Publiciana à Publicio, Pauliana à Paulo, Fabiana à Fabio: non à seruando, vt Accursius existimat, nec à seruiendo, vt aliis quibusdam videtur. Interdum vocatur etiam pigneratitia, vt notaui ſ. de pigner. act. §. 8.

3 ¶ Datur autem creditori pigneratitio ſ. de pignor. l. si fundus. 16. §. creditor. & Instit. de act. d. § item Seruiana. contra quemcumque pignoris possessorem: siue ipse debitor possideat. ſ. de pignor. d. l. si fundus. §. si pluris. & l. si inter. 21. §. vlt. & No. 4. cap. 2. siue heres debitoris. C. si vnus ex mult. heredib. l. 2. siue extraneus. ſ. de pignor. l. grege. 13. §. in superficiariis. iustum habens titulum. C. eod. l. distractis. 14. vel sine titulo possidens. C. eo. l. si tibi. 26. §. item contra eum. qui dolo possidere desiit. ſ. eod. d. l. si fundus. 16. §. in vindicatione. 4 ¶ Est autem actio, non petitoria. d. l. si fundus. §. creditor. sed possessoria, quippe quæ nudam possessionem auocat. ĵ. de euict. l. si cum venditor. 66. in princ. 5 ¶ Et est actio prætoria. ſ. de pact. l. si tibi. 17. §. de pignore. & Instit. de action. d. §. item Seruiana. in rem. ſ. de pignor. l. pignoris. 17. & C. eod. l. pignoris. 18. & qui potior. in pign. habe. l. eos qui. 9. arbitraria. Instit. de action. §. præterea. perpetua. C. si aduerſ. cred. l. 1. & 2. & de præscript. trig. vel quadrag. annor. l. 7. §. 1. & ad heredes transitoria. ita vt si plures sint heredes creditoris, omnes agant in solidum, quia pignoris causa est indiuidua. C. si vn. ex plurib. hered. l. 1. vnde etiam possessores pignoris, si multi sint omnes in solidum conueniuntur. C. eod. l. 2. 6 ¶ Diuiditur in Seruianam directam, quæ ex verbis edicti datur domino fundi persequenti res coloni sibi ratione locationis pigneratas: & quasi Seruianam siue vtilem Seruianam, quæ ex interpretatione & productione edicti datur aliis quibuscumque creditoribus pigneratitiis hypothecas seu pignora persequentibus. Instit de act. d. §. item Seruiana. 7 ¶ Nota primò, iure Digestorum & Codicis in arbitrio creditoris esse, vtrùm malit agere personali actione contra debitorem, an hypothecaria contra pignoris possessorem. C. de pignor. l. distractis. 14. sed hodie non habet hanc electionem actionis, nisi contra debitorem, si forte ipse debitor pignus possideat: alioquin primò debet actione personali excutere ipsum debitorem, deinde eos qui pro illo interceſſerunt, vt fideiussores: postremò in subsidium agere hypothecariâ contra extraneum pignoris possessorem. No. 4. ca. 2. 8 ¶ Nota secundò, in hanc actionem venire etiam quod rei pigneratæ accedit, vt fructus. C. in quib. caus. pign. tac. contrah. l. 3. partus ancillæ. ſ. de pignor. l. Paulus. 29. §. 1. & C. de pign. l. 1. & quod per alluuionem fundo pignerato accessit. ſ. de pignor. l. si fundus. 16. in princ. & de pigner. act. l. si conuenerit. 18. §. 1. Excipe, nisi fructus sint ante litem contestatam percepti: & vel non extent, vel ex re principali possit creditori satisfieri. d. l. si fundus. §. interdum. 9 ¶ Nota tertiò, reum, qui rem creditori agenti non restituit, interdum condemnari in æstimationem, vt quia dolo malo non restituit; quandoque cogi cauere de re restituenda, veluti si res absit, nec possit statim restitui. d. l. si fundus. §. in vindicatione. ¶ Nota quarto, aliter litem æstimari contra debitorem principalem, aliter contra tertium possessorem. hic enim condemnatur quanti ea res est, licèt minus creditori debeatur; creditor autem, quod vltra debitum consequitur, debitori restituere tenebitur actione pigneratitia: ipse autem debitor non est in maiorem quantitatem damnandus, quàm actori debeat. ſ. de pign. l. si inter. 21. §. vltim. & si vltra debitam summam damnetur, tamen plus soluere, quàm debet, non tenetur. d. l. si fundus. §. si pluris. 10 ¶ Nota quintò, 11 proprium huius actionis esse, quod in hac rubrica proponitur, vt si multi creditores, idem pignus persequantur, non æquo iure concurrant, sed potiores vel qui in potiorum locum successerunt, aliis præferantur. Potior creditor est, qui ex priuilegio à iure indulto ceteris creditoribus præfertur. Est autem duplex priuilegium, nempe temporis, & causæ. Ratione temporis præfertur creditor antiquior, ratione causæ fauorabilior. In actionibus personalibus vnum est priuilegium causæ, diuersorum verò temporum creditores æquales sunt. ĵ. de reb. auctor. iud. possid. l. priuilegia. 32. In actione autem hypothecaria spectatur etiam priuilegium temporis. C. h. t. l. vlt. §. 1. Magis tamen in causa quàm in tempore priuilegium cernitur. idcirco appellatione priuilegij plerumque significare solemus priuilegium causæ, vt in sequentibus regulis, quæ hoc loco notandæ sunt. ¶ I. Creditor priuilegiarius alij 12 non priuilegiario, licèt antiquiori, præfertur; vt is qui in rem conseruandam credidit. l. 5. & 6. & mulier dotem repetens. d. l. vlt. §. 1. II. In pari causa, id est, cessante priuilegio causæ, prior creditor præfertur posteriori, etiamsi prior generalem, posterior specialem hypothecam habeat. l. 2. & C. eod. l. 6. l. diuersis. 8. Nisi prior præter generalem omnium bonorum hypothecam, quædam specialiter obligata habeat. nam si ex his rebus specialiter obligatis vniuersum debitum redigere possit, in aliis bonis sibi generaliter, & alij posteriori creditori specialiter obligatis, posterior creditor præfertur. C. de pignor. l. 2. III. Creditor priuilegiarius contra priuilegiarium non vtitur suo priuilegio. idcirco ex duobus priuilegiariis, prior tempore est potior iure. l. 7. in princip. & C. eod. l. vlt. §. exceptis. & de priuileg. fiſ. l. 2. & Nou. 91. cap. 1. Excipitur primò, qui pecuniam ad militiam emendam credidit. nam in ea militia ceteris creditoribus potior est, adeo vt etiam mulieri dotem repetenti præferatur. No. 97. cap. 4. Excipitur secundo fiscus agens ex causa primipilari: omnibus enim creditoribus præfertur, etiam mulieri dotem repetenti. C. de primip. l. 2. Causa primipilaris est, quæ pertinet ad annonam militibus præbendam. Excipitur tertiò mulier dotem repetens, quæ vt in causis modò dictis cedit fisco, & ei qui militiæ emendæ causâ pecuniam credidit, sic omnibus aliis creditoribus præfertur, etiam expressam anteriorem hypothecam habentibus, exceptis liberis prioris matrimonij dotem maternam repetentibus. C. h. tit. l. vlt. vide tractatum de pignore, axio. 122. IV. Qui potiori creditori soluit, vel saltem debitum obtulit, & eo nolente accipere obsignauit ac deposuit, eius locum obtinet. l. potior. 11. §. vlt. l. creditor. 12. § à Titio. & C. eod. l. 1. l. 5. quò spectat posterior rubricæ pars. de his qui in prior. &c.

V. *De distractione pignorum & hypothecarum.*

SEcundus pignoris vel hypothecæ effectus est, quòd 1 debitore non soluente, nec aliter creditori satisfa-

ciente

2 ciente creditor pignus distrahere potest. ¶ Hæc venditio vel iuris necessitate fit, videlicèt cùm priori creditori posterior creditor, aut debitoris fideiussor pecuniam offert. l. 2. l. 5. §. 1. & l. 6. vel iure conuentionis. l. 3. cùm scilicèt creditor extraneo pignus vendit; quia debitor vel expressè cũ eo pactus est, vel tacitè pactus censetur, vt, nisi debitum solueret, pignus vendere liceret. s. de pign. act. l. 4. & Instit. quib. alie. lic. vel non
3 §. 1. ¶ Vendit autem pignus creditor, vel iure communi, vel iure creditoris priori casu de euictione tenetur: posteriori, non tenetur. s. manda. l. si mandatu
4 Titij. 59. §. creditor. ¶ Expositi sunt duo pignoris & hypothecæ effectus, præter quos sunt & alij, quos breuiter, proponam. Tertius igitur effectus est Saluianum interdictum, de quo j. lib. 43. tit. vltim. Quartus est exceptio pignoris. s. commu. diuid. l. 6. §. idem Iulianus. & de pignor. l. si is qui bona. 11. §. pen. in fi. l. grege. 13. §. cùm pignori. & qui potior. in pign. l. creditor 12. in princ. & C. de pign. act. l. ne creditores. 10. Quintus pignoris proprius est actio pigneratitia, de qua s. lib. 13. titul. 7.

VI. *Quibus modis pignus vel hypotheca soluitur.*

HVcusque de contrahendo pignore vel hypotheca, & de eius contracti effectu dictum est. Vltimo loco explicantur modi, quibus pignoris vel hypothecæ nexus soluitur. hi modi partim spectantur in principali obligatione; quia debito soluto, pignus soluitur. j. de solut. l. in omnibus. 43. cùm accessoria obligatio sine principali non consistat. j. de diu. reg. iur. l. nihil dolo. 129. §. 1. partim in ipso pignore siue hypotheca, veluti si res pignerata pereat. l. sicut. 8. in pr. aut si pignus à creditore remittatur. C. de pignor. l. maior. 23. & de remiss. pign. l. 2. partim in vtroque, veluti si debitor creditori pignus dederit in solutum. s. de pigner. act. l. eleganter. 24. in prin. & C. de pignor. l. cùm dominum. 13. Hactenus de primo rerum creditarum accidente, id est, pignore vel hypotheca.

LIBER XXI.

TITVLVS I.

De ædilitio edicto, & redhibitione & quanto minoris.

1 SECVNDVM accidens est remediũ ædilitium, quod ædilium curulium edicto ex emptionis & venditionis contractu multiplex competit. Primum remedium est redhibitio seu actio redhibitoria, ex eo dicta, quòd res venditori redhibetur, id est, redditur. l. redhibere. 21. in princ. & omnia hinc inde restituuntur, vt perinde sit, ac si venditio contracta non fuisset. l. cùm autem. 23. §. Iulianus. l. facta. 60. & s. de alie. iud. mutan. cau. fac. l. quia redhibitio 9. Quare præcipuè emptori contra venditorẽ, sed etiã venditori aduersus emptorẽ competit. l. 1. §. 1. l. item si serui. 30. in
2 princ. ¶ Secundum remediũ est actio æstimatoria, vel quãto minoris, seu quanti minoris, (tot enim nominibus passim appellatur) per quam emptor à venditore partem pretij repetit ob rei morbum seu vitium, quod à venditore celatus est, id est, quanto minoris emisset,
3 si id sciuisset. l. quoties. 61. ¶ Vtraque actio est ex contractu emptionis & venditionis. l. cum autem. 23. §. si seruus & §. seq. & ex iisdem causis cõpetunt. j. de except. rei iudic. l. si is qui heres. 25. §. 1. Sunt autem tres causæ. I. Si mancipij vel iumenti vitium seu morbum venditor emptorem celauerit. l. 1. §. 1. l. ædiles. 38. in princ. Vitium & morbum pro eodem accipimus. d. l. 1. §. sed sciendum. II. Si aduersus dictum promissumúe cùm veniret, fuerit, id est si res non erat talis cùm vendebatur, qualem venditor dixit. d. l. 1. §. 1. d. l. ædiles. §. & non tantùm. veluti si affirmauerit aliquid adesse seruo quod non adsit, vel abesse quod non absit: vt putà falsò dixerit esse artificem, vel non esse furem. l. quid sit fugitiuus. 17. §. vlt. & l. seq. Dictum, est quod verbo tenus pronunciatur, ac nudo sermone finitur promissum, est vel pollicitatio, quæ nuda voluntate constat, vel sponsio, quæ per stipulationem fit. l. sciendum. 19. §. dictum. III. Si venditor emptori de his quæ edicto ædilium continentur, putà seruum senum esse, non caueat. l. venditor. 28. ¶ Item vtraque 4
actio in heredes transit. d. l. cum autem. §. hæ actiones. Vtraque est ædilitia: vtraque arbitraria; ita vt arbitrio iudicis obtemperans, præstet simplum; contumax condemnetur in duplum, qua ratione videntur esse actiones pœnales, id est, mixtæ. d. l. cum autem. §. si seruus. & l. redhibitoria. 45. ¶ Differunt autem. I. Quia 5
redhibitoria datur intra sex mẽses vtiles à die contractus, vel dicti seu promissi computandos: æstimatoria seu quanto minoris, intra annum vtilem. d. l. sciendum. 19. §. vltim. & l. seq. l. quòd si nolit. 31. §. si quid ita. l. ædiles. 38. in princ. l. cùm sex. 55. & C. de ædil. action. l. 2. Duobus tamen casibus actio redhibitoria duobus mensibus, æstimatoria sex mensibus terminatur. Primus casus est, si venditor de iis quæ edicto ædilium continentur, cauere nolit. l. si venditor. 28. Alter casus est, si emptor de ornamentis iumenti sibi à venditore non traditis conqueratur. d. l. ædiles. in princ. II. Quia per redhibitionem fit res in empta, per actionem verò æstimatoriam tantùm restituitur pars pretij. d. l. ædiles. 38. in princ. l. facta. 60. ¶ Non est igno- 6
randum, præter dictas duas actiones, etiam alias quasdam ex edicto ædilium proficisci: vt in eum, qui, quà vulgò iter fit, animal habuit, quod alicui nocere poterat, & nocuit. l. hi enim. 40. & ll. seqq. & Instit. si quadr. paup. fecis. dicat. §. vltim. & in eum qui seruum castrauit. s. ad leg. Aquil. l. si seruus seruum. 27. §. etsi puerum. ¶ Qua ratione hæc rubrica tribus constat par- 7
tibus. Prima de ædilitio edicto, est generalis. Secunda de redhibitione, & tertia quanti minoris, speciales & huius loci propriæ sunt.

II. *De euictionibus, & duplæ stipulatione.*

TErtium remedium ædilitium est duplæ ob eui- 1
ctionem stipulatio. ¶ Euincere dicitur, qui per 2
iudicem rem aufert. l. non tamen. 24. quocumque iudicij genere. l. si mancipium. 34. §. 1. Sed maximè euincit, qui rei dominium vindicat. de qua euictione intelligi debet, quod dicitur, id quod nobis euincitur, in bonis nostris non esse. j. de diu. reg. iur. l. quod euincitur. 190. Quoniam autem absurdum est, emptorem & re ob euictionem, & pecunia, quam venditori soluit, carere: idcirco venditorem de euictione obligatum habet aliàs in simplum, interdũ in duplum; id est, ex edicto ædilium, si seruum vendiderit, vel ex consuetudine, si vendiderit aliquam rem pretiosam. l. emptori. 37. & s. tit. prox. l. quòd si nolit. 31. §. quia assidua. ¶ Nota primò venditorem hoc nomine, id est 3
de euictione, non teneri satisdare, sed repromittere, nisi de satisdando pactus sit. d. l. emptori in princip. ¶ Nota secundò si stipulatio omissa fuerit, emptorem 4
tantumdem cõsequi posse actione ex empto. d. l. quòd

BIU Cujas

si nolit.§.quia assidua. & ſ. de contrah. empt.l.in vendendo. 66. in princ. & C. h. t.l. 6. & de comm. rer. alien.l. vltim.

III. *De exceptione rei venditæ & traditæ.*

1 NOta tertiò, emptori, cui rem aliquis euincere conatur, interdum electionem competere, vtrum malit ab eo euictionem pati, postea de euictione contra eundem agere, an euincere volentem summouere exceptione rei venditæ & traditæ. ſ. tit. prox. l. vindicantem. 17. & ll. seqq. ¶ Hæc exceptio datur non solùm emptori, sed etiam eius successoribus, nec non secundo vel tertio emptori, si res per plures personas ambulauerit, id est, si primus emptor secundo, secundus tertio eandem rem vendiderit. l. vltim. in princ.

3 ¶ Competit autem I. Aduersus venditorem, qui rem à se venditam vult euincere. l. 1. in princ. & ſ. tit. prox. d. l. vindicantem. II. Contra venditoris successorem, siue sit successor vniuersalis, siue in eam rem successerit. l. 1. §. 1. l. vlt. §. 1. & ſ. tit. prox. de euict. l. Seia. 73. & C. eod. l. siue. 14. pro ea scilicet parte, pro qua successit. C. de rei vindicatione. l. cùm à matre. 14. III. Contra fideiussorem vẽditoris. C. h. t. l. euictione. 11. IV. Contra heredem fideiussoris: quia est eadem ratio, & constat obligationem ex stipulatione in heredes transire. ĵ. de stipul. prætor. l. 2. §. vlt. & C. de hered. act. l. 1. & to. tit. & de contrah. stipul. l. veteris. 13. V. Contra dominum, cuius mandato alius rem vendidit. ſ. de Public. in rem act. l. Papinianus. 14. (nisi aut minori pretio vendidit, quàm dominus mandauit, aut ante exactum pretium, rem tradere fuerit à domino prohibitus. l. 1. §. si quis rem meam. & §. seq.) vel cuius res per officium distracta est, vt sententia contra eum lata executioni mandaretur C. de euict. l. si ob causam. 13.

LIBER XXII.

TITVLVS I.

De vsuris, & fructibus, & causis, & omnibus accessionibus & mora.

1 TERTIVM rei creditæ accidẽs est id quod ipsi rei accedit, vt vsura, fructus, causa, & quæuis alia accessio: hæc autem quia propter moram sæpe debentur. l. cùm quidam. 17. §. si pupillo. & §§. seqq. & l. mora. 32. §. in bonæfidei. & ſ. de peric. & commo. rei vend. l. vlt. & loca. l. quæro. 54. in princ. cum sim. hoc titulo etiam de mo-

2 ra dicendum proponitur. ¶ Vsura dicitur ab vsu, vt fœnus à fœtu, Græcè τόκος ἀπὸ τοῦ τίκτειν. Var. lib.

3 3. de lin. Latin. Festus lib. 6. Gell. lib. 16. cap. 12. ¶ Triplex autẽ, vel quadruplex est vsuræ significatio. I. Sumitur pro vsu Cic. lib. 1. Tuscul. quæst. *Natura dedit vsuram vitæ tamquam pecuniæ, nulla præstituta die.* II. Pro eo, quod sorti debitæ accedit ex eodem genere, vt cùm quis pecuniæ debitæ vsuras propter moram soluit. III. Pro eo, quod accedit ex diuerso genere: veluti si pro oleo tardiùs soluto accedat numerata pecunia. hoc vocatur vsura impropriè, vt cùm in iure Pontificio dicitur vsurã esse quicquid sorti accedit. xiiij. q. 3. IV. Pro delicto, quod aliquis illicitè fœnerando committit. Couarru. lib. 3. resol. cap. 1. num. 2. vnde titulus de vsuris in Decretalibus inter titulos de delictis collocatur.

4 Hoc loco secunda significatio debet accipi. ¶ In qua significatione duobus modis definiri potest. I. Additamentum. C. h. t. l. frumenti. 12. l. oleo. 23. l. eos. 26. in princ. pecuniæ ad debitam sortem eiusdem generis. Dixi *additamentum ad sortem*: quia vsura sorti accedit, & sine ea non consistit. Sortem plerumque vocamus: interdum caput. C. Th. de vsur. rei iudic. l. vn. quod Græci κεφάλαιον appellant. vnde Gallicum verbum *Capital* deductum videtur. Dixi *pecuniæ*, id est, quantitatis, seu rei constantis numero, pondere, vel mensurâ; quia in omnibus his rebus vsura consistit, non tantùm in pecunia numerata. C. h. tit. d. l. frumenti. & d. l. olei. Dixi *eiusdem generis*: quia tum demum propriè dicitur vsura, cùm sors & accessio sunt eiusdem generis, vt cùm oleum accedit oleo, frumentum frumento, numeratæ pecuniæ numus. d. l. olei. alioquin non est propriè vsura sed aliquid datum vel promissum loco vsuræ. C. eod. l. si ea pactione. 14. l. cum non frumentum. 16. II. Pretium abusus alteri concessi. Dixi *pretium*. Appellatione pretij nunc significo mercedem, vt ſ. de le. Rhod. l. vlt. §. vlt. & loca. l. insula. 58. in princ. & de acquir. possess. l. si quis ante. 10. in fi. quamuis propriè loquendo, pretio æstimetur res, mercede vsus: vnde in emptione & venditione dicitur interuenire pretium, in locatione & conductione merces. ſ. loca. l. 2. in princ. Dixi *abusus*. Propriè loquendo, vsus est rerum quæ vsu non consumuntur: abusus, earum quæ vsu consumuntur. ſ. de vsufr. ear. rer. l. 5. Cic. in Topic. Vsus gratuitus est commodatum: vsus cum mercede est locatio & conductio: abusus gratis concessus, est mutuum: abusus mercede concessus, est fœneratio: & illa merces appellatur vsura, vel fœnus. sed fœnus est species vsuræ, vt mox docebo. ¶ Vsura, interesse, & pœ- 5
na (loquor de pœna conuentionali, id est, quæ ex conuẽtione, putà ex stipulatione debetur) differũt. I. Quia vsura est pretium vsus pecuniæ debitæ, vt suprà exposui: interesse est quanti æstimatur damnum acceptum, aut lucrum amissum. D. rat. rem hab. l. si commissa. 13. & C. de senten. quæ pro eo quod inter. l. vn. pœna est, quod debetur, quia factum est quod fieri non debuit, vel factum non est quod fieri debuit. C. de transa. l. promissis. 37. l. pactum. 40. & Instit. de verb. oblig. §. vlt. II. Quia vsura semper est certa, vt quatuor, vel quinque, vel sex aurei in aureos centenos: interesse semper est incertum: pœna plerumque est certa. ĵ. de verb. oblig. l. si pœnam. 68. & Instit. eod. §. vlt. sed & incerta pœna esse potest: veluti si quis pœnæ nomine factum stipuletur. nam eiusmodi stipulatio incerta est. ĵ. eod. l. vbi. 75. §. qui id quod. ¶ Hæc tria modò coniuncta, 6
modò separata reperiuntur. I. Est tantùm vsura, vt cùm ex stipulatione debetur ab eo qui non est in mora, ei. qui pecuniam otiosam habiturus erat. Non est enim hoc casu pœna, cùm nulla sit debitoris mora. ſ. de reb. cred. l. lecta. 40. vers. etsi vt ille. nec interesse; quia creditor nec damnum passus est, neque lucrum amisit, quippe qui pecuniam habiturus erat otiosam in arca. II. Est tantùm interesse, vt cùm quis stipulatur quod sua interest. III. Est tantùm pœna, vt cùm quis stipulatur pœnæ nomine sibi dari fundum, si quid factum fuerit, vel non fuerit. Inst. de verb. oblig. d. §. vlt. IV. Est vsura & interesse: veluti si quis pecuniam credat hac lege, vt sibi intra certum tempus reddatur, & interim stipuletur vsuras in compensationem eius quod sua interest non carere pecuniâ creditâ. V. Est vsura & pœna: veluti si creditor vsuras pœnæ nomine stipuletur, si debitor seriùs debitam pecuniam soluerit, licet aliàs creditoris non interfit, quia non est vsurus pecunia. d. l. lecta. VI. Est vsura simul & interesse & pœna; veluti si creditor stipuletur à debitore vsuras, si moram solutioni fecerit, cùm ea mora ipsi creditori damnum afferat. ¶ Vsura multis modis diuidi potest. 7

I. Aut

I. Aut est licita, & iure permissa: aut illicita, & iure prohibita. l. placuit. 29. & C. eod. l. eos. 26. §. 1. & si certum petat. l. si pro mutua. 8. Hæc diuisio iure ciuili certa est. Sed quidam putant iure diuino & canonico omnem vsuram improbari; qua de re latè disserui in commentario ad rub. C. h. t. II. Aut debetur propter lucrum creditoris, & est reditus pecuniæ creditæ. s. de præscript. verb. l. Titius. 24. & ſ. de adim. leg. l. alumnæ. 30. ac propriè vocatur fœnus. s. de reb. cred. l. præsidis. 24. & ſ. de legat. iij. l. si fundus. 44. l. si ita legatum. 86. à Doctoribus autem appellatur vsura lucratoria. aut debetur propter moram debitoris, & propriè dicitur pœna. d. l. lecta. à Doctoribus nominatur vsura punitoria. aut ideo in obligationem deducitur, quia creditoris interest suâ pecuniâ non carere. s. pro soc. l. eum qui. 60. hæc à Doctorib. vocatur vsura cõpensatoria. Nota fieri posse, vt eadem sit vsura compensatoria, & punitoria, videlicèt si mora debitoris præiudiciũ afferat creditori cuius interest moram non committi. sed fieri etiam potest, vt sit vsura compensatoria, non punitoria: veluti sit creditor intra certum tempus pecuniam sibi reddi, & medij temporis vsuras stipuletur: hæc enim vsura est compensatoria, quia debetur ob id quod creditoris interest: non est punitoria; quia debetur sine mora & culpa debitoris. Item è contrario fieri potest, vt sit vsura punitoria, non compensatoria, si tantùm propter debitoris moram debeatur, cùm creditoris pecuniam in arca otiosam habituri nihil interfit citiùs solui. III. Aut est terrestris seu mediterranea, aut maritima seu nautica. C. h. t. l. eos. 26. §. 1. IV. Aut debetur ex stipulatione. C. eod. l. 3. aut ex nudo pacto: quod certis tantum casibus est receptum, vt in pecunia traiectitia. ſ. tit. prox. l. 5. in fin. & l. 7. & in speciebus creditis. C. h. t. l. frumenti. 12. & cùm ciuitati debetur. l. etiam. 30. aut officio iudicis, vt propter moram in iudiciis bonæfidei. l. cùm quidam. 17. §. si pupillo. & §. seq. & ſ. loca. l. quæro. 54. in princ. V. Aut est vsura centesima; aut pars centesimæ, aut maior centesima. Sed quia hæc omninò illicita est, idcirco centesima vocatur maxima vsura. C. h. t. d. l. eos. §. 1. & s. de negot. gest. l. qui sine. 38. & ſ. de administr. tutor. l. non existimo. 54. vel grauissima. ſ. eod. l. 7. §. idem solent. dicitur etiam vsura legitima. l. 7. §. quæ autem. & C. arbitr. tut. l. 3. & de vsur. pupill. l. 1. Hæc verò vsura est, cùm centesima pars sortis soluitur singulis mensibus. d. l. lecta. Ergo in singulos annos in aureos centenos penduntur aurei duodecim. quare cùm hæc vsura respectu aliarum permissarum vsurarum habeat rationem totius, ac duodecim partibus constet, assis rationem subit: & reliquæ vsuræ, vt huius partes, & tamquam vnciæ spectantur. Itaque dicuntur deunces, cum duodecim in centena singulis annis soluuntur: dextantes, cùm decem: dodrantes, cùm nouem: besses, cùm octo: septunces, cùm septem: semisses (vel semissales, vt in l. Septicia. 10. ſ. de pollicit.) cùm sex: quincunces, cùm quinque: trientes, cum quatuor: quadrantes, cùm tria: sextantes, cùm duo: vnciariæ, cum vnum. Vulgò dicimus duodecim pro centũ, vndecim pro centum, decẽ pro centum, &c.

8 ¶ Ita in omnibus vsurarum computationibus vna est sors, vsuræ autem quantitas variatur. Interdum è contrario vsura certa manet, sors autem variatur, vt No. 32. 33. & 34. vbi Imperator constituit, vt qui frumentum credit agricolis, non possit vsurarum nomine exigere vltra octauam modij partem in singulos modios singulis annis. qui verò pecuniam eis credit, non possit exigere vltra annuam siliquam in singulos aureos. siliqua autem est vicesima quarta pars aurei. Gallicè dicimus *au denier* 24. Nam in Gallia plerumque tali supputatione vtimur, ac dicimus *au denier* 24. cùm pro vsu annuo 24. numorum, vnus numus debetur. Sic *au denier douze*, cùm pro duodecim vnum annuatim penditur. Eadem est aliarum vsurarum interpretatio, vt *au denier quinze*, *au denier seze*, &c. Vt autem altera computandi ratio facilè cum altera à quouis conferri possit, & intelligatur quomodo eadem vsura diuersis modis nominetur, subiiciam sequentem tabellam tribus columnis constantem. in prima collocantur Romana vsurarum nomina. in secunda, quantum singulis annis in centena soluatur. tertia continet postremam illam supputandi rationem, qua maximè vtimur in Gallia.

Vsura	*In cẽtena soluuntur annuatim*	*Au denier*
	12 1/2	8
centesima	12	8 1/3
	11 1/3	9
deunx	11	9 1/11
dextans	10	10
	9 1/11	11
dodrans	9	11 1/9
	8 1/3	12
bes	8	12 1/2
	7 9/11	13
	7 1/7	14
septunx	7	14 2/7
	6 2/3	15
	6 1/4	16
semis	6	16 2/3
	5 15/17	17
	5 5/9	18
	5 5/13	19
quincunx	5	20
	4 16/21	21
	4 6/11	22
	4 3/11	23
	4 1/2	24
triens	4	25
	3 1/3	33
quadrans	3	33 1/3
sextans	2	50
vnciatia	1	100
semuncia	1/2	200

¶ Illud ignorari nolim, Græcos post Iustiniani tempora centesimam cœpisse vocare eam vsuram, quæ non est centesima, sed maior. Nam vsura illa, qua dixi sol- 9

BIU Cujas

ui siliquam in aureos singulos, est maior triente, si quidem pro 24. soluitur vnum, & consequenter pro 96. soluuntur quatuor, & pro centum soluuntur quatuor cũ sextante: à Leone tamen vocatur vsura triens. No. 83. secundum quam appellationem vsura triens est, cùm in nonagena sena singulis annis soluuntur quatuor, proinde centesima est, cùm pro 96. præstantur annua 12. Postea cœperunt Græci centesimam vocare, cùm soluuntur duodecim aurei in singulas auri libras, id est, in septuagena bina. Harmenop. lib. 3. tit. 7. Quare centesima capitur tribus modis. I. Et propriè vt in iure Iustinianico, cùm singulis annis soluuntur duodecim pro 100. II. Cùm soluuntur 12. pro 96. III. Cùm soluuntur 12. pro 72. Totidem modis accipiuntur reliquæ vsuræ, quia omnes sub centesima continentur, & ab ea pendent. Verbi gratiâ, si centesimam vocas duodecim pro centum, trientem appellabis quatuor pro centum. Si verò centesima dicatur, 12. pro 96. etiam triens erit quatuor pro nonaginta sex.

10 ¶ Obiter nota, quam nos vocamus centesimam, veteres Græcos appellasse drachmalem: quia sortem referebant ad minam, vsuras ad drachmam, quæ erat cen-
11 tesima pars minæ. Hæc dicta sint de vsuris. ¶ Fructus vocabulum accipitur tribus modis. I. Propriè pro eo quod ex re nascitur; qualia sunt olera, segetes, poma ex fundo: fœtus, lac, pilus, lana ex pecoribus. Partus verò ancillæ non est in fructu. l. qui scit. 25. l. in pecudũ. 28. & s. de hered. petit. l. ancillarum. 27. & de rei vindic. l. vetus. 68. in pr. & de vsu & habitat. l. plenum. 12. §. sed si pecoris. & Instit. eod. §. sed etsi pecorum. & de rer. diuis. §. si quis à non domino. & §. in pecudum. II. Latè, vt complectatur etiam ea, quæ non ex re, sed propter rem percipiuntur, & à Doctoribus vocantur fructus ciuiles, quia non naturâ, sed iure percipiuntur. s. de rei vindic. l. si nauis. 62. in pr. non sunt autem propriè fructus, sed vicem fructuum obtinent, vt vsura, & rei locatæ merces. l. vsura. 34. l. prædiorum. 36. & s. de hered. petit. l. mercedes. 29. in pr. & j. de legat. iij. l. quod his verbis. 83. in princ. & de donat. l. cùm de modo. 11. & de verbor. signif. l. vsura. 121. Inter hos puto referendam venationem, non regulariter, sed cùm fructus fundi in venatione consistit. l. venationem. 26. & s. de vsufr. l. vsufructuarium. 62. in pr. III. Latissimè, vt omnem rei commoditatem complectatur, veluti facultatem rei pignerandæ. l. vltim. & j. de diuers. reg.
12 iur. l. fructus. 72. ¶ Fructus igitur (latè sumpto vocabulo) diuiduntur in naturales, & ciuiles: quorum illi naturâ ex corpore perueniunt, vt poma, fœnum, seges, fœtus: hi iure, non ex re, sed propter rem percipiuntur, vt vsura, vectura, pensio ædium locatarum, si-
13 cut ex dictis patet. ¶ Fructus naturales subdiuiduntur. I. In merè naturales, qui sponte sua sine hominis industria proueniunt, vt poma, fœnum: & industriales, qui hominis industriam requirunt, & sine ea non producuntur, vt segetes. l. fructus percipiendo. 45. & j. de acquir. rer. domin. l. bonæfidei. 48. in princip. II. In pendentes (qui etiam vocantur stantes. s. de vsufr. l. si pendentes. 27. in pr. & extantes. C. eod. l. certum. 22. & j. de furt. l. si apes. 26. §. 1. perceptos. j. quæ in fraud. credit. l. vlt. §. non solùm. percipiendos. s. de hered. petit. l. sed etsi lege. 25. §. sed & fructus. & de rei vindic. l. si nauis. 62. §. 1. & futuros. j. de verbo. oblig. l. interdum. 73. in pr. Pendentes sunt, qui corpori, ex quo proueniunt, sunt coniuncti, vt fructus fundi, qui terræ cohærent. d. l. vlt. §. non solum. atque hi sunt pars rei vt poma sunt pars fundi. s. de rei vindic. l. fructus pendentes. 44. & fœtus est pars pecoris: sicut is qui in vtero matris est, matris seu viscerũ maternarum portio, esse dicitur. j. de inspic. ven. l. 1. §. 1. Percepti sunt, qui à corpore sunt separati, vt poma ex arbore decerpta. s. de rei vindic. l. si eius. 78. & de vsufru. l. arbores. 12. §. Iulianus & quibus mod. vsusfru. finit. l. si fructuarius. 13. & j. de furt. d. l. si apes. §. 1. Et vel sunt extantes, vel consumpti. s. de pigner. actio. l. si pignore. 22. §. si prædo. & C. de condict. ex le. l. 3. Percipiendi à Doctoribus appellantur fructus, quos aliquis percipere potuit, vt cùm dicimus malæfidei possessores teneri etiam de fructibus percipiendis, id est, qui percipi potuerunt, quasi eos percipere debuerit, vt possit domino restituere. s. de hered. petit. d. l. sed etsi lege. §. sed & fructus. & C. eod. l. 1. in fi. & s. de rei vindic. l. fructus. 33. & d. l. si nauis. 62. §. 1. & C. de fruct. & lit. expens. l. 2. & Instit. de offic. iudic. §. etsi in rem. Futuri sunt, qui in rerum natura nondum sunt, sed fore sperantur: veluti quod ex illo fundo, vel pecore nascetur. s. de contrah. empt. l. nec emptio. 8. in princ. & j. de legat. j. l. quod in rerum. 24. in pr. & de verb. oblig. l. interdum. 73. & Instit. de legat. §. ea quoque. ¶ Nota 14
primò fructus extantes esse verbum homonymum, quo modò significantur fructus pendentes modò percepti & nondum consumpti, vt ex dictis patet. ¶ No- 15
ta secundò varias fructuum proprietates. I. Hominum gratiâ, id est, ad vsum hominum sunt à natura introducti. l. in pecudum. 28. §. 1. & j. de vsu & vsufr. leg. l. pen. & Inst. de rer. diuis. §. in pecudum. II. Renascuntur. j. solu. matrim. l. 7. §. si vir. vel certo tempore, vt poma; vel incerto, vt fœtus. III. Intelligantur deductis impensis, quæ eorum quærendorum, colligendorum, conseruandorúmque causâ fiunt. l. quod in fructus. 46. & s. de oper. serv. l. 4. §. 1. & de petit. hered. l. si à domino. 36. §. vlt. & de ope. seruor. l. 4. §. 1. & fam. ercisc. l. fructus qui dotis. 51. in princ. & j. solu. matrimo. l. 7. in pr. & C. de fructib. & lit. expen. l. 1. IV. Fructus, qui ex fundo percipiuntur, non ratione seminis, sed ratione soli percipiuntur idcirco ei potiùs acquiruntur, cuius est fundus, quàm ei cuius fuit semen. l. qui scit. 25. §. 1. Hæc de fructibus pro nostro instituto annotasse sufficiat. ¶ Causa est omnis vtilitas, quæ 16
circa rem spectatur, itaque & fructus complectitur. l. 2. l. videamus generali. 38. §. si actionem. & s. de rei vindic. l. præterea. 20. & j. de verb. signif. l. restituere. 35. & partum ancillæ, quem dixi non esse in fructu, & alia commoda. d. l. 2. & s. de rei vindic. l. Iulianus. 17. §. 1. & d. l. præterea. & de reb. credit. l. cùm fundus. 31. in pr. & j. de verb. signif. d. l. restituere. ¶ Accessionis 17
verbum latissimè patet, ac superiora quoque complectitur, nam vsuræ sorti, fructus fundo, vel pecori accedunt: similiter causa alicui rei principali, vt partus ancillæ accedit. Sunt autem ea quæ accedunt, in multiplici differentia nam quædam ex re proueniunt, vt fructus, & partus ancillæ: alia extrinsecus accedunt vel ex conuentione, vt vsuræ, & vectura nauis, aut currus, & pensiones prædiorum locatorum: (sic seruus accedit fundo vendito in specie l. si in emptione. 34. in pr.) vel sine conuentione, vt quod per alluuionem fundo accedit, & cùm vsusfructus ad proprietatẽ redit morte vel capitis deminutione fructuarij. Hæc igitur verba, *de omnib. accessionib.* generalia sunt, & priorem rubricæ partem concludunt. ¶ Altera pars est *de mora*, 18
propter quam interdum accessiones debentur, vt initio huius tituli notaui. ¶ Mora est culpa eius, qui non 19
soluit, quod debet soluere: vel oblatum non accipit, quod debet accipere. ¶ Fit igitur vel per debitorem 20
vel per creditorem. etsi vterque sit in mora, prior mora per posteriorem purgatur, & sola posterior spectatur, vt paulò pòst exponam. Ad debitoris moram spectat,

BIU Cujas

ctar, quod dicitur, non posse esse moram, nisi peti possit. ſ. de verb. oblig. l. si pupillus. 127. & de diu. reg. iur. l. nulla. 88. Intellige posse peti cum effectu, ita vt actio exceptionem non possit summoueri. ſ. de reb. cred. l.
21 lecta. 40. vers. pen. ¶ Rursus mora committitur vel per interpellationem extraiudicialem, dummodò rectè facta sit, vt opportuno loco ac tempore, & eâ personâ conuentâ, quam conuenire oportet. l. mora. 32. & ſ. de verb. oblig. l. sed si ex stipulatu. 24. vel per litis contestationem, vel per sententiam. l. 3. in pr. Quandoque mora fit in re sine interpellatione, vt in casibus sequentibus. I. Si nemo sit, qui conueniri possit. l. sed etsi. 23. §. 1. Secus est, si nemo sit, cui debitum offeratur. l. pecuniæ. 9. §. 1. l. cùm quidam. 17. §. si pupillo. II. Si minori debeatur. C. in quib. caus. in integ. restit. non est necess. l. 3. III. Si obligatio sit in diem, quia dies interpellat pro homine. C. de iu. emphyteu. l. 2. IV. Si emptor re acceptâ non soluit pretium. l. euictis. 18. §. 1. & C. eod. l. 2. V. Si ex delicto debeatur, veluti si furem non restituat. ſ. de condict. furt. l. in re furtiua. 8.
22 §. 1. & l. vlt. & ſ. de vi & vi arma. l. pen. ¶ Nota primò eum moram facere non videri, qui iusta de causa ad iu-
23 dicium prouocat. l. si quis solutioni. 24. in pr. ¶ Nota secundò moram purgari. I. Posteriore aduersarij mora. ſ. de peric. & commo. rei vend. l. illud. 17. veluti si debitor, qui in soluendo moram commisit, postea creditori offerat, & is nolit accipere. ſ. fō. matrim. l. semel. 26. & de verb. oblig. l. interdum 73. §. vlt. & l. si ita quis. 135. §. Seia. & de solut. l. qui decem. 72. §. 1. & seqq. II. Omissâ repetendi instantiâ. l. mora. 32. §. 1. III. Obligationis nouatione. ſ. de nouat. l. si Stichum. 8. in princ. l. quoties. 14. in princ. & de solut. d. l. qui decem. §. 1.

II. *De nautico fœnore.*

1 CVm dictum sit generaliter de vsuris, nunc dicen-
2 dum est specialiter de fœnore nautico. ¶ Fœnus nauticum est lucratoria vsura pecuniæ traiectitiæ. Pecunia traiectitia est, quæ trans mare vehenda creditur
3 periculo creditoris. l. 1. ¶ In hoc contractu tria sunt specialia. Primum pertinet ad sortem, quæ contra naturam mutui est periculo creditoris. d. l. 1. & l. 4. in prin. Reliqua duo spectantur in vsuris, quæ debentur etiam ex nudo pacto. l. 5. in fin. & l. 7. cùm regulariter sit opus stipulatione. C. de vsur. l. 3. & deberi possunt maximæ vsuræ, id est centesimæ; cùm aliis casibus soleant esse
4 minores. C. eod. l. eos. 26. §. 1. ¶ Cur hæc ita specialia in pecunia traiectitia? Quia contra naturam mutui creditor periculum subit. vnde hoc est tamquam periculi suscepti pretium. l. 5. proinde eatenus hæc locum habent, quatenus est naufragij periculum, non vlteriùs. l. 4. in princ. & C. eod. l. 1. 2. & vlt. & si ex alia causa periculum creditor in se suscipiat, veluti si quis piscatori in apparatum piscatorium erogaturo, pecuniam credat, vt si pisces ceperit, reddat, eadem obtinere dicendum est. d. l. 5.

III. *De probationibus & præsumptionibus.*

1 QVartum rerum creditarum accidens est proba-
2 tio, & præsumptio. ¶ Probatio est actus iudicialis. C. h. t. l. cùm precib. 18. & de condict. ob turp. caus. l. 3. per quem de re dubia & controuersa fides iudici fit. l. quingenta. 12. & C. de condict. ob turp. caus. l. 1. & de testib. l. 5. l. si quando. 19. & quan. di. leg. ced. l. 1.
3 ¶ Diuiditur primò in simplicem, quæ fit vno modo, vt per testes, vel instrumenta: & mixtam, quæ fit per diuersos modos simul iunctos, quorum quilibet per se est imperfectus, sed omnes simul plenè probant, vt per priuatam adnotationem & alia adminicula. C. h. t. l. 5. hîc enim habet locum, quod dici solet, *Quæ non prosunt singula, multa iuuant.* ¶ Diuiditur secundò in propriè 4
dictam, & releuationem ab onere probandi. Probatio propriè dicta fit per testes, vel per instrumenta. C. eod. l. 4. & de fi. instrum. l. emancipatione. 11. & de testib. l. 2. Heliod. lib. 10. histor. Æthiop. Πᾶσα δίκη καὶ κρίσις δύο τὰς μείζους ἀποδείξεις οἶδε, τὰς ἐγγράφους πίστεις, καὶ τὰς ἐκ τῶν μαρτύρων βεβαιώσεις. ¶ Releuant ab onere pro-
bandi I. Indicia. C. h. tit. l. si de possessione. 20. l. ad pro- 5
bationem. 21. l. vlt. & de rei vindic. l. indicia. 19. & de iu. dot. l. cùm citra. 15. & arbitr. tut. l. si defunctus. 10. quæ vocantur etiam argumenta. C. de testib. d. l. 2. & quot. appell. non recip. l. 2. II. Confessio aduersarij. ſ. de interrog. l. 1. §. 1. & ſ. de pœn. l. qui sententiam. 16. III. Iusiurandum. ſ. de iureiur. l. sed si possessori. 11. §. vlt. l. eum qui. 30. in princ. IV. Inspectio iudicis. ſ. de minor. l. minor. 32. & fin. regund. l. si irruptione. 8. & C. de fer. l. 2. V. Euidentia facti. ij. q. 1. c. de manifesta. & extrà de restit. spoliat. c. cùm ad sedem. 15. & de accusat. c. euidentia. 19. VI. Fama cum aliis adminiculis iuncta. ſ. de testib. l. 3. §. eiusdem. & iiij. q. 3. c. vlt. §. item sæpe fit. & ibi glos. in ver. fama. & extrà de appellat. cap. 1. vbi glos. in ver. formam. VII. Firma præsumptio, de qua mox dicam. ¶ Diuiditur tertiò à Docto- 6
ribus in probationem plenam, semiplenam, & minorem semiplenâ. Plena est, quæ per se sufficienter probat, vt per testes, vel per instrumentum. Semiplenâ est, quæ per se non probat, nisi aliis adminiculis iuuetur; sed iudicem inducit ad deferendum iusiurandum, veluti per scripturâ priuatam. C. h. t. l. 5. 6. 7. per vnum testem, & similia. gloss. & Doct. in l. admonendi. D. de iureiur. & in l. 3. C. de reb. cred. Specul. h. t. §. 3. num. 18. Minor quàm semiplena est, quæ non sufficit ad hoc vt iudex iusiurandum deferre debeat, veluti si egenus dicatur mutuam pecuniam accepisse. ¶ De probatio- 7
nibus notentur hæ regulæ. I. Ei probatio incumbit, qui affirmat, non ei qui negat. l. 2. II. Qui dicit aduersarium prohibitum esse aliquid facere, prohibitionem probare debet. l. 5. in princ. III. Qui dicit actum non valere, probationem præstare tenetur. d. l. 5. §. 1. IV. Vt actor suam intentionem, ita reus suam exceptionem seu defensionem probare debet. l. quingenta. 12. l. in exceptionib. 19. in princ. & C. eod. l. 1. & 2. & Instit. de interdict. §. retinendæ. vers. commodum. V. Monumenta publica maiorem fidem faciunt, quàm testes. l. 5. VI. In exercendis litibus eandem probandi vim habent instrumenta & testes. C. de fide instrum. l. in exercēdis. 15. Hæc dicta sint de probationibus. ¶ Præ- 8
sumptio autem, quæ & suspicio interdum vocatur. extrà de præsumpt. c. literis. 12. est opinio aliquo modo suffulta de re incerta, non probata. ¶ Differt autem. 9
I. A probatione: quia per legitimam probationem res fit certa, per præsumptionem manet dubia. II. A fictione: quia quod fingitur, semper est falsum: quod verò præsumitur, plerumque est verum. ¶ Diuidi- 10
tur I. In affirmatiuam, veluti, cancellato chirographo debitor præsumitur liberatus. l. si chirographum. 24. & negatiuam, veluti; Nemo præsumitur iactare suum. l. cùm de indebito. 25. in pr. II. In necessariam, quam Doctores vocant iuris & de iure, contra quam non admittitur contraria probatio. C. ad Maced. l. vlt. in fin. & ext. de sponsal. c. is qui fidem. 30. Probabilem, quam Doctores appellant iuris præsumptionem, cui standum est, nisi contrarium ostendatur. d. l. si chirographum. cum sim. Leuem, quam ſ. cum Doctoribus semiplenam probationē nominaui. & leuissimam, quam

BIU Cujas

suprà cum hisdem Doctorib. probationem semiplena minorem nuncupaui.

IV. *De fide instrumentorum.*

1 CVm dictum sit duas esse maximè proprias probationis species: quarum altera fit per instrumenta, altera per testes: operæ pretium erit de his seorsum
2 disserere, ac primùm de instrumentis. ¶ Instrumentum, præter eam significationem, qua pro organo sumitur, vt in tit. ĵ. de instruc. vel instrum. lega. nihil ad hunc tractatum pertinentem, quatuor modis in hac probationum materia sumitur. I. Latè pro quocumque documento causam & iudicem instruente, ita vt non solùm scripturam, sed etiam personas testium complectatur. l. 1. & ĵ. de verb. signif. l. notionem. 99. §. vlt. II. Angustè pro scriptura aliquid probante. s̃. de iudic. l. exigere. 65. & C. de dilat. l. 1. & de contrah. stipul. l. optimam. 14. III. Angustiùs pro ea sola scriptura, quæ continet aliquam conuentionem, & distinguitur tam à rationibus. s̃. de eden. l. 1. §. editiones, quàm à testamento. C. de transact. l. sub prætextu instrumenti. 19. adhib. l. 6. s̃. eod. tit. IV. Angustissimè pro publico instrumento. C. de iureiur. propt. calum. l. 1. & qui potior. in pign. hab. l. scripturas. 11. & Clem. 3 1. de procurat. ¶ Instrumentum in secunda significatione acceptũ (sic enim sumitur in hac rubrica) multis modis diuiditur. I. In publicum, & priuatum. Publicum est, quod habet publicam auctoritatem; quia vel à persona publica vel saltem iussu personæ publicæ, vt iudicis, factum est. ext. de probat. cap. quoniam. 11. vt Acta. C. de eden. l. 2. & de donat. l. in donationibus. 31. Scriptura argentariorum. s̃. de eden. l. argentarius. 10. §. 1. Scriptura censualis. s̃. tit. prox. l. census. 10. & C. de donat. l. 7. & 8. Apochæ publicarum functionum. C. de apoch. pub. to. tit. Literæ securitatis seu salui conductus. No. 17. cap. 6. & Instrumentum à tabellione conscriptum. ext. de præsumpt. c. illud. 11. Priuatum est, quod auctoritate priuata fit à priuata persona: vt Kalendarium seu codex rationum. s̃. de reb. cred. l. penult. & de pecul. l. vlt. & C. de probat. l. 6. Priuata annotatio seu subnotatio, quæ memoriæ causâ fit. C. eod. l. 7. Chirographum siue idiochirum, propria debitoris manu scriptũ obligationis probandæ causâ. C. de fide instrum. l. comparationes. 20. & qui potior. in pign. l. scripturas. 11. quod etiam vocatur syngrapha. Cic. lib. 7. epist. 17. vel syngraphus. Plautus in Asinaria, actu 4. sce. 1. vel epistola. s̃. depos. l. Publia. 26. §. vlt. vel cautio s̃. de reb. cred. l. lecta. 40. in prin. Priuata Apocha, seu securitas (vt vocatur si cert. pe. l. vlt. & de testib. l. testium. 18. & de non num. pec. l. in contractib. 14.) qua fatetur creditor sibi solutum: & Antapocha, qua debitor fatetur se soluisse. C. h. t. l. plures. 19. Potest tamen esse etiam apocha seu securitas publica. C. de discussorib. l. 2. II. In Authenticum siue Autographum, vulgò *original*; quod per se est perfectum, & probat, nec ex alia scriptura pendet: Schedam, per quam prima quasi lineamenta ducuntur, vt inde authenticum faciliùs conficiatur: Exemplum, quod descriptum est ex authentico: Indicem, qui authentici sententiam breuiùs conceptam continet: & Annotationem seu Subnotationem, qua nonnulla notantur memoriæ causâ, vt nomina debitorum, aut debitæ quantitates. l. 2. & C. eod. l. contractus. 17. & de probat. l. 5. & 7. & de diuers. rescript. l. 3. & de conuen. fi. debit. l. 2. Cuiac. lib. 5. obseru. cap. 25. III. Aut est instrumentum αὐτόχειρον, siue ὁλόχειρον, quod totum manu propria scriptum est: aut ἑτερόχειρον, quod scriptũ est omnino per alium: aut scriptum est partim manu propria, partim per alium, vt cùm testator tantummodò nomen heredis scribit in testamento, ex præscripto. l. iubemus. 29. C. de testa. IV. Aut fit solemnitatis causâ, vt in testamento solemni: aut probationis causâ, vt in contractibus & conuentionibus. l. 4. & s̃. de pignor. l. 4. V. Aut est verum, aut falsum, aut suspectum, aut simulatum. C. h. t. l. 2. & de probat. l. cum precibus. 18. & l. pen. ¶ His expositis, notandum est, rubricam hîc 4 in libro Florentino duabus constare partibus. Prior est de fide instrumentorum, id est, de fide, quam instrumenta faciunt, seu de probatione per instrumenta. Posterior, quæ in indice Pandectis præfixo desideratur, est de amissione eorum. Nobis vtraque 5 pars exponenda videtur. ¶ De probatione, quæ per instrumenta fit, notentur hæ regulæ. I. In instrumento à tabellione conscribendo hodierna generalis praxis octo requirit: nempe inuocationem numinis diuini: annum à Christo nato, vel incarnato, prout loci consuetudo exigit: Romanam indictionem: mensem, & diem rei gestæ: nomen Imperatoris, aut principis, in cuius ditione instrumentum fit: rerum gestarum seriem: nomina testium: subscriptionem, & signum tabellionis Specul. de instrum. edit. §. 2. in pr. Nisi hæc omnia sint à tabellione obseruata, instrumentum semiplenè probat. Anto. de Butr. in cap. vlt. ext. de iureiur. His adhibitis plenè probat, & ei statur, nisi probetur contrarium. C. de probat. l. cum precibus. 18. II. Chirographum subscriptum à tribus testibus, comparatur instrumento publico. C. qui potior. in pign. habeant. l. scripturas. 11. Aliàs scriptura priuata non probat pro scribente. C. de probat. l. 5. 6. 7. Sed contra scribentem. s̃. depos. l. Publia. 26. III. Ex commemoratione scripturæ in aliquo instrumento facta nihil probatur, nisi ea scriptura proferatur. No. 119. cap. 3. IV. Index, vel exemplum plenè probat, si publica auctoritate sit ex authentico descriptum, vel cum authentico collatum, argum. c. Albericus. 43. ext. de testib. quod vulgò vocant vidimatum; quoniam is, qui cum authentico contulit, ad fidem huius collationis faciendam subscribere solet verbum *vidimus*. V. Cùm de manu dubitatur: veritas ex chartæ notis. Nou. 73. cap. 6. & per comparationem literarum exquiritur. C. h. t. l. comparationes. 20. VI. In exercendis litibus eandem vim obtinent fides instrumentorum ac depositio testium. C. eo. l. in exercendis. 15. ¶ De amissio- 6 ne instrumentorum notetur, instrumẽto amisso, obligationem eo contentã nõ extingui, nec esse inutilem, si aliis quibuscumque modis probari possit. C. eod. l. 1.

V. *De testibus.*

POst instrumenta dicamus de testibus. Testis est, 1 qui de aliquo facto controuerso testimonium dicit, vel alicui actui adhibetur, vt possit de eo, quandocumque opus erit, testimonium dicere. Testimonium verò est ipsius testis assertio. ¶ Possunt autem omnes 2 testimonium dicere, nisi iure prohibeantur. l. 1. §. 1. & coguntur, nisi iusta de causa excusentur. C. eod. l. ἡ διάταξις. 16. & l. pen. ¶ Et regulariter testimonij dicendi 3 causâ, ad iudicem venire debent. C. eod. l. nullum. 14. & d. l. pen. ¶ Et antequàm testimonium perhibeant, 4 iurare coram iudice debent, se de omnibus ad causam pertinentibus, de quibus interrogabuntur, dicturos, quod nouerint, & neque verum aliquid celaturos, neque falsum admixturos. C. eod. l. iusiurandum. 9. & d. l. nullum. & extrà eod. cap. de testib. 29. & de accusat. c. qualiter. 17. & cap. seq. ¶ Producuntur sumptibus 5 producentis. C. h. t. l. quoniam liberi. 11. d. l. ἡ διάταξις. & de appellat. l. 6. §. si quis autem. citata parte aduersa.

d. l.

BIU Cujas

6 d.l.pen.& Nou.90.in fin. ¶ Nec plures,quàm causæ vtilitas exigat.l.1. §.vlt. Sufficiunt autem regulariter duo,nisi lex plures requirat.l.vbi.12. Vnus semiplenè 7 probat.glo.in l.3.in ver.decidi. C. de probat. ¶ Porrò non omnes æquè fidem faciunt; sed alij maiorem,alij minorem : quod iudex ex testium numero,& qualitate,& ex testimonij probabilitate diiudicabit.l. 3.l. ob carmen. 22. §.1. Maiorem autem fidem facit viua vox testis, quàm testimonij recitatio ; idcirco opus est, vt ipse iudex testem examinet. d. l. 3. §. idem Diuus. & §. sequent.

VI. *De iuris & facti ignorantia.*

1 EXpositа sunt quatuor accidentia rerum creditarum : pignora, remedia ædilitia, vsuræ aliæque accessiones, & probationes, quintum & vltimum est iuris vel facti ignorantia, cuius in contrahendo vel quasi contrahendo sæpe ratio habetur.vt in emptione & venditione.s̃.de contrah. empt.l. in venditionibus. 9.cum sex legib. sequentibus. & in solutione indebiti. 2 l.pen.§.vlt.& C.eod.l.cùm quis.10. cum sim. ¶ Vtraque ignorantia, id est,siue sit iuris, siue facti,tripertita est.aut enim est error, aut dubitatio seu titubatio, aut ignorantia propriè dicta, quam Aristoteles.1. Poster. vocat ignorantiam puræ negationis. Errat, qui opinionem habet veritati contrariam:veluti si puter sufficere quinque testes in testamento condendo, aut se debere quod non debet. Dubitare aut titubare dicitur, cuius mens inter scientiam & errorem hæsitat, necdum alterutrum ex duobus contrariis elegit : veluti si dubitet, an debeat,nec ne, & an quinque testes in testamento sufficiant. Propriè ignorat, cuius animum cogitatio de re aliqua non subiit : vt dominus absens ignorat negotia sua ab aliquo geri : & qui operam iuri non dedit,iuris decisiones ignorat.j̃.de acquir. hered. l.6.§.si is qui putabat.& quis or.in.bo. poss.seru.l.2. in princ.& C.de condict.indeb.l.vlt.& de furt. l.vlt.§.sin autem nescius. In hoc autem titulo ignorantia latè su- 3 mitur vt dicta tria genera complectatur. ¶ Regulariter ignorantia facti excusat,ignorantia verò iuris non excusat.l.pen.in princ.& §.vlt.vers.quòd si ideo. & C. eod. l. pen. quoniam in iis quæ sunt facti, etiam prudentissimi viri falluntur : ius verò finitum est & certum.l.2.atque omnibus notum esse debet. C.de legib. l.leges.9. Absolutus est huius quartæ Digestorum partis tractatus de rerum creditarum accidentibus.

LIBER XXIII.

TITVLVS I.

De sponsalibus.

1 SEQVVNTVR congruo ordine contractus omnino personales:inter quos primum locum meritò & secundum naturam obtinent sponsalia. ¶ Sed notare 2 oportet,verbum *Sponsalia* multis modis accipi : significat enim I. Repromissionem futurarum nuptiarum.l.1. II. Arras sponsalitias. C. si rector prouin. vel ad eum pertinentes sponsalia dederint, in rub. & si nuptiæ ex rescr.pet.l.1.in fin.& C.Th.de sponsal. l.6. III. Pro sponsalitia donatione, qualis est donatio propter nuptias. C. de donat. an nupt.l.3.& de secun. nupt.l.2.& de præd.min.l.prædia.8. & No.Valentiniani de episc. iudic. §. opportunum. ¶ Hoc loco prima 3 significatio accipitur:in qua sponsalia definiuntur mentio & repromissio futurarum nuptiarum. l. 1. dicta à spondendo, quia moris fuit veteribus stipulari, & spondere futuras vxores. l.2. Vnde sponsi sponsæque appellatio nata est.l.3. sed hodie nudo consensu fiunt. l.4. Consensus requiritur contrahentium, & ceterorum, quorum in nuptiis desideratur.l.7.§.1. & l.sponsalia sicut. 11. ¶ Contrahi non possunt à minoribus 4 septem annis : quia non intelligunt, quod agunt. l. in sponsalibus. 14. & extrà de desponsali. impub. c.5. & lib.6. eod. tit. cap.1. ¶ Contrahi possunt I. Vel inter 5 præsentes, vel inter absentes, vt per nuncium, vel per epistolam.l.4. & l.vlt. II. Per se, vel per alium. d.l.vlt. III. Adhibitâ,vel omissâ scripturâ.d.l.7.in pr. IV.Purè extrà eod. cap.2.vel in diem, vel sub conditione.extrà de condit.appos.cap.3.& 6. V. Per verba de futuro,veluti, *Ego te in vxorem accipiam:* aut per verba de præsenti, veluti, *Ego te in vxorem accipio.*extrà.h.t.c.pen. Hæc verba de præsenti si proferantur ab impuberibus, faciunt vera sponsalia, quia cùm non possit matrimonium ab impuberibus contrahi, resoluuntur iuris interpretatione in sponsalia de futuro.extrà eod.cap.vn. lib.6.cùm autem proferuntur à puberibus,non faciunt sponsalia,sed matrimonium:si quidem matrimonium non concubitu,sed solo consensu efficitur.j̃.de donat. int.vir.& vxor. l.pen. & de condit. & demonstrat.l. si cui fuerit. 15. & de diuers.reg.iur.l. nuptias.30. vulgò tamen vocantur sponsalia : sed barbarè non Latinè: quia vulgò dicitur aliquis desponsare mulierem, Gallicè *espouser*, quando matrimonium cum ea contrahit, promittere autē, seu *fiancer*, cùm sponsalia contrahit.

II. *De ritu nuptiarum.*

SEcundus contractus personalis est matrimonium 1 seu nuptiæ, in quarum gratiam diximus sponsalia contrahi. ¶ Nuptiæ seu matrimoniū (vtroque enim 2 vocabulo promiscuè vtimur. l. si ita 10. & l.seq. & j̃. de donat.int.vir. & vxor. l.inter eos.27. & l.pen. & C. de nupt. l.6. l. neque sine nuptiis. 13. & Instit. de patr. potest.§.1.)est viri & mulieris coniunctio,indiuiduam vitæ consuetudinem continens, vt Imperator definit in d.§.1. vel, coniunctio maris & feminæ, & consortium omnis vitæ, diuini & humani iuris communicatio, vt definit Modestinus in l. 1. Ait, *coniunctio.* Intellige coniunctionem animorum, potiùs quàm corporum : si quidem nuptias non concubitus, sed consensus facit, vt notaui in calce tit.præced. Ait, *consortium omnis vitæ* : quia vxor est vitæ socia, & matrimonium continet vitæ societatem. s̃. de actio. rer.amot. l.1.& de re iudic.l.si rerum.52. Ait,*diuini iuris communicatio.* His verbis Modestinus respexit ad priuatorum sacrorum communionem : quia singulæ familiæ propria sacra habebant, & mulier transibat in sacra mariti. Nos autē ex Iustiniani Christiani principis mente intelligemus vtrumque coniugem eiusdem religionis,id est,Christianum esse debere. C. de Iudæ.l.6. Ait, *& humani iuris :* quia mulier sequitur mariti domicilium. s̃. de iudic. l. exigere. 65. & j̃. ad municip. l.vlt.§.item rescripserunt mulierem. & forum.s̃.de iurisd.l.pen. ¶ Connubium non est idem quod matri- 3 monium, sed est vxoris iure ducendæ facultas, vt definit Vlp. tit. de his qui in potest.sunt. & ita accipitur in l. 3. C. de incest. nupt. vbi dicitur cum ancillis non esse connubium, sed contubernium. ¶ Nota nec nu- 4 ptias nec matrimonium dici posse, nisi sit coniunctio legitima & iure probata. Instit. de nupt.§. si aduersus. ¶ Porrò nuptiarum expositio est quadripertita : con- 5 siderantur enim nuptiæ contrahendæ, contractæ, dissoluendæ, & dissolutæ. In contrahendis videndum,

qui,

BIU Cujas

qui, & quomodo nuptias contrahere possint. Contrahunt autem inter se ciues Romani masculi & feminæ, quorum coniuctio iure non reprobatur. Instit. eod. in pr. & contrahunt solo consensu, vt iam docui.

III. *De iure dotium.*

1 CONtractarum nuptiarum effectus duplex est. Primus effectus est, vt dos valeat. ſ. de condict. sine cau. l. vlt. Nam etsi nuptiæ sine dote esse possunt, tamen dos sine nuptiis esse non potest. l. 3. l. si serua. 39. l. tali. 48. in princ. l. dotis promissio. 68. & ff. pro dote. l. 1. §. pen. & vlt. & C. de donat. an. nupt. l. vltim. vers. quare enim. & de repud. l. pen. in princ. & Instit. de nupt. §. si aduersus. & No. 22. cap. 2. exceptis nuptiis personarum illustrium, in quarum coniunctionibus constitutio dotis necessaria est. Nou. 74. cap. 4. quemadmodum & cùm concubinâ in vxorem ductâ liberi legitimantur.
2 Instit. de nupt. §. vlt. vbi notaui. ¶ Dos accipitur. I. Pro re dotali quatenus dotalis est, vt putà fundus dotalis vocatur dos, non quatenus est fundus, sed quatenus est dotalis. ff. de impens. in res dot. fac. l. 5. in pr. II. Pro dotis constitutione, id est, cùm res in dotem datur, in quo sensu dos inter donationes refertur. C. de donat. ante. nupt. l. vlt. in princ. III. Pro iure dotis repetendæ, siue actione de dote. ff. de dote prælega. l. 1. §. Celsus.
3 ¶ In prima significatione à Varro. lib. 4. de lin. Latin. definitur pecunia nuptiarum causâ data. Ait *pecunia*, hoc verbum latè accipe pro quacumque re, quæ est in patrimonio, vt in l. 5. l. pæcuniæ verbum. 178 & l. pecuniæ nomine. 222. ff. de verb. signif. nam omnes res in dotem dari possunt, siue sint mobiles, siue immobiles, siue se mouentes. C. h. t. l. pen. in princ. siue numero, pondere, vel mensurâ constantes. l. res in dotem. 42. & C. de rei vxo. act. l. vn. §. cùm autem. siue incorporales, vt obligatio & actio, seu nomen debitoris. l. si pater. 44. §. 1. & l. seq. & C. de oblig. & act. l. 2. Item vel proprietas, vel vsusfructus. l. cùm in fundo. 78. & C. eo. l. res quas. 17. & l. seq. Et vel datur res inæstimata, vel æstimata. Priori casu res: posteriori æstimatio est dotalis. l. plerumque 10. & ll. seqq. & C. eod. l. 5. & l. pen. & ff. de fun. dot. l. quòd si fundus. 11. & C. de rei vxor. act. l. vn. §. & cùm lex. in fin. Ait *data*: quia dotem non promissio, nec scriptura, sed numeratio seu datio facit. C. de do. cau. non num. l. 1. & 3. Ait *nuptiarum causâ*: quia (vt dixi) non potest esse sine nuptiis: ac seruire debet oneribus matrimonij, vt mox docebo. In eodem sensu dicitur res dotis causâ data. l. si ego. 9. §. dotis au-
4 tem. ¶ Dotis autem datio est contractus. ſ. de iudic. l. exigere. 65. & de constit. pecun. l. 1. §. debitum. & ff. de diuers. reg. iur. l. contractus. 17. do vt sustineas onera matrimonij. l. si is qui. 65. §. 1. & C. eod. l. pro oneribus. 20. & ſ. pro soc. l. actione. 65. §. vlt. & ff. de castren. pecul. l. dotem. 16. in princ. Quare à muliere, vel ab alio pro muliere datur marito, vt apud eum perpetuò sit. l. 1. quia maritus onera matrimonij sustinet. l. 7. in princ. Dictæ definitioni non repugnat, quod ſ. dixi ex l. vlt. C. de donat. an. nupt. dotem inter donationes connumerari: non est enim simplex donatio, sed ob causam, id est, propter matrimonium & onera matrimonij, adeo vt non inter titulos lucratiuos, sed oneroſos re-
5 cēseatur. ff. de oblig. & act. l. ex promissione. 19. ¶ Dos vel est profectitia, vel aduentitia. Profectitia est, quæ à patre vel auo paterno, licèt mulierem in potestate non habeat, profecta est de bonis, vel facto eius. nihil enim refert, vtrum ipse, an alius mandato eius, vel negotia eius gerens, dotem dederit. Aduentitia est, quæ
6 ab ipsa muliere, vel à quouis alio datur. l. 5. ¶ Rei dotalis dominium ciuile est penes maritum, naturale penes mulierem. C. h. tit. l. pen. aut si mulier sit in patris potestate, & dos sit à patre profecta, communis est patri & filiæ. ff. solu. matrimo. l. 2. §. 1.

IV. *De pactis dotalibus.*

GEnerali tractatui de dote subiicit duos speciales: 1
alterum de pactis dotalibus, alterum de re dotali: qua methodo vsus est etiã lib. 18. in contractu emptionis & venditionis explicando. ¶ De pactis dota- 2
libus hæc notentur. I. Regulariter sunt seruanda. C. de pact. l. legem. 10. & h. t. l. 1. Nisi aut sint contra ius, vel bonos mores. l. 5. & 6. & C. eo. l. 5. aut dotis causam deteriorem faciant in præiudicium mulieris. l. 2. l. de die. 14. & lll. seqq. nam in præiudicium parentis mulieris valent. C. eod. l. 6. II. Alia pacta ad voluntatem pertinent, id est, pro libitu apponuntur, vel omittuntur, veluti vt mulier dote promissa se alat, aut certam summam viro præstet, & ab eo alatur: alia ad ius dotis pertinẽt, veluti quemadmodum dos petatur, quemadmodũ reddatur; quæ non semper valent. l. si pater. 12. §. 1. id est, tunc non valent, cùm deteriorem causam dotis & mulieris faciunt, vt modò docui. III. Qui pro muliere dotem dat, legem, quam vult, dicere potest, sed post eam datam non potest mulieri præiudicium facere. IV. Si dos profectitia data sit, nec pater filiæ, nec filia patri nocere paciscendo potest, filia tamen patri prodesse potest, non pater filiæ. l. 7. Quod postremum sic intellige, vt ex pacto patris non detur filiæ exceptio pacti: dabitur tamen exceptio doli subsidiaria. ſ. de pact. l. & heredi. 21. §. nos autem.

V. *De fundo dotali.*

QVod ad rem dotalem attinet, speciale est in præ- 1
dio dotali: vt à marito nec alienari, nec pignerari possit. Lex Iulia muliere inuita tam alienari quàm pignerari prohibuit: ea consentiente alienari permisit, non etiam pignerari. Iustinianus vtrumque fieri vetuit, siue mulier consentiat, siue dissentiat. C. de rei vxor. act. l. vn. §. & cum lex. & Instit. quib. alie. lic. in pr.
¶ Prædium dotale intellige I. Tam vrbanum, quàm 2
rusticum. quamuis enim hic titulus inscribatur *de fundo dotali*, tamen hoc ius obtinet tam in prædiis vrbanis, quàm in rusticis. l. dotale. 13. in princ. II. Quod in dotem datum est inæstimatum: vel æstimatum adiecto pacto, vt electio sit mulieris, vtrum soluto matrimonio rem, an æstimationem petere malit. l. quòd si fundus. 11. & C. eod. l. 1.

LIBER XXIV.

TITVLVS I.

De donationibus inter virum & vxorem.

SECVNDVS nuptiarum effectus est, vt sim- 1
plex donatio inter virum & vxorẽ facta non valeat. Cuius iuris ratio multiplex affertur. I. Ne coniuges mutuo amore inuicem spolientur, donationibus non temperantes. II. Vt potiùs liberis procreandis studeant, quàm pecunias quærant. III. Ne venalitia fiant matrimonia, & distrahantur eo non donante qui donare potest; adeo vt coniugalis concordia sit venalis. IV. Ne melior in paupertatem incidat, deterior locupletetur. l. 1. 2. 3. ¶ Intellige dona- 2
tionem non valere: quia donanti permittitur, vt possit pœnitere, & eam reuocare. l. cùm hic status. 32. §. ait oratio. quatenus ea donatio ipsum donantem pauperiorem, & accipientem locupletiorem fecit. l. 5. §.

concessa.

BIU Cujas

concessa. Heres autem donantis, qui eadem voluntate retenta defunctus est, donationem reuocare nequit. d. l. cùm hic status. §. ait oratio.

II. *De diuortijs & repudijs.*

1 POstquam de sponsalibus, & de nuptiis contrahendis, & de contractarum effectibus diximus: sequi-
2 tur, vt de eis dissoluendis videamus. ¶ Matrimonium dirimitur multis modis, vt diuortio, morte, & aliis
3 modis. l. 1. & No. 22. ¶ Inter diuortium, & repudium, hoc interest, quod inter genus & speciem. Nam diuortio dirimitur tantùm matrimoniũ, quod iam contractum est: repudio autem dirimitur vel cõtractum, vel futurum matrimonium, id est, vel matrimonium, vel sponsalia. ff. de verb. signif. l. inter stuprum. 101. §.
4 diuortium. & l. inter diuortium. 191. ¶ Diuortium dicitur vel à diuersitate mentium: vel potiùs quia in diuersas partes eunt, qui matrimonium distrahunt. l. 2. in princ. & ff. de verb. signif. d. l. inter diuortium. Repudium verò dicitur à pudore, vt Festo placet: quia non potest sine aliqua pudoris iactura coniugium
5 dissolui. ¶ Diuortium hoc iure fit vel ex communi consensu. C. de repud. l. si constante. 9. Nou. 22. cap. 4. vel vnius voluntate ob causam iure probatam. C. eod. l. cõsensu. 8. l. in causis. 10. l. vlt. §. vlt. Sed nouissimè Iustinianus matrimonium sine iusta causa mutuo consensu dissolui vetuit: ex causa verò castitatis, & vitæ
6 cœlibis id permisit. Nou. 117. cap. 10. ¶ Diuortio secundum ius ciuile dissoluitur matrimonium. l. 1. secundum ius Canonicum non soluitur matrimonium, sed inducitur thori separatio. xxxij. q. 7. c. 1. & 2. vel in perpetuum. xxxiij. q. 5. c. quod Deo. vel ad tempus. xxx. q. 1. c. nosse. glo. in cap. 1. in ver. interueniente diuortio, xxxij. q. 7. Sed non dicitur propriè diuortium, nisi quod animo perpetuam constituendi separationem fit. l. 3. & de pœnit. distinct. 1. c. diuortium.

III. *Soluto matrimonio dos quemadmodum petatur.*

1 SVperest, vt effectus matrimonij soluti explicemus. Primus effectus est dotis restitutio, seu repetitio.
2 ¶ Dos olim repetebatur modò rei vxoris actione, modò actione ex stipulatu. Sed Iustinianus sublata rei vxoriæ actione. C. de rei vxor. act. l. vn. in princ. constituit, vt semper cogatur ex stipulatu; ita vt si stipulatio non fuerit expressa, à lege suppleatur, ac tacitè in-
3 telligatur fuisse adhibita. ¶ Insuper constituit vt hæc actio sit bonæfidei eique adiunxit ius tacitæ hypothe-
4 cæ. d. l. vn. §. 1. ¶ Præterea iussit dotem, si in rebus immobilibus consistat, confestim restitui. si in aliis rebus intra annum reddi, & vt maritus condemnetur
5 in quantum facere potest. d. l. vn. §. cum autem. ¶ In quæstione cui detur dotis repetitio, sic distinguitur: Aut pater puellæ dotem dedit, aut extraneus, aut ipsa mulier. Primo casu pater repetit, licèt sibi reddi stipulatus non sit, quia tacitè stipulatus intelligitur. Secundo casu, si extraneus nominatim sibi reddi pactus vel stipulatus est, ipse repetit. sin minùs, ipsa mulier tacitè stipulata intelligitur, ipsique dos restituenda est, quemadmodum & tertio casu. d. l. vn. §. accedit.
6 ¶ Nota primò pactum extranei sufficere ad hoc, vt dos ei restitui debeat: pactum autem parentis constituentis dotem profectitiam, non mutare huius dotis naturam, id est, non efficere vt dos sit propria patris, sed ad hoc requiri patris stipulationem. C. de iu. dot. l. 6. Sed hodie si expressè stipulatus non sit, tacitè sti-
7 pulatus intelligitur. d. l. vn. §. accedit. ¶ Nota secundò, cùm mulier in potestate patris est, patrem agere, id est, dotem soluto matrimonio repetere debere filiâ consentiente: videri autem filiam consentire, nisi expressè dissentiat. l. 2. §. 1. & 2. ¶ Iam verò dotem re- 8
stituere cogitur maritus, vel mariti pater, qui eam accepit, vel heres: ita vt heres mariti extraneus cõdemnetur in solidum, id est, in quantum heres est: reliqui, id est, maritus, socer, & filius communis, in quantum facere possunt. d. l. 2. in princ. l. maritus. 12. & l. seq. l. rei iudicatæ. 15. §. 1. & 2. & l. seq. l. ex diuerso. 17. §. vlt. l. etiam. 18. in princ. & ff. de re iudic. l. non tantum. 20. & l. seq. & l. sciendum. 25. ¶ Fructus dotis extremi anni 9
quo matrimonium constitit, inter actorem & reum pro portione mensium, quibus matrimonium stetit, vel solutum fuit, diuidi debent. verbi gratiâ si matrimonium Kal. Ian. contractum, Kal. Maijs solutum sit; maritus tertiam fructuum partem restituet, bessem retinebit. l. 7. §. Papinianus.

LIBER XXV.

TITVLVS I.

De impensis in res dotales factis.

SEcvndvs effectus in impensis à mari- 1
to in rem dotalem factis cernitur. ¶ Im- 2
pensarum aliæ ad fructus, aliæ ad perpetuam rei dotalis vtilitatem pertinent. l. 3. §. 1. hæ partim necessariæ sunt, partim vtiles, partim voluptariæ. Necessariæ sunt, quæ habent in se necessitatem impendendi. d. l. 1. §. 1. id est, quibus non factis dos minuitur. l. impensæ. 14. in princ. quia res aut peritura, aut deterior futura est. ff. de verb. signif. l. impensæ. 79. in princ. ideoque maritus ob eas omissas tanti mulieri condemnatur, quanti eius interest. l. 4. Tales sunt impensæ in refectionem ædificij ruentis, propagationem vitium, & arborum, curationem serui ægroti, & similes. d. l. 1. §. vlt. l. 2. l. 3. & d. l. impensæ. 14. in pr. Vtiles sunt, quas maritus non necessariò, sed vtiliter facit, quia rem dotalem meliorem reddunt: vt factæ in eruditionem serui, vel agrum stercorandum, & id genus aliæ. l. 5. §. vlt. l. 6. & d. l. impensæ. 14. §. 1. & ff. de verbor. signif. d. l. impensæ. §. 1. Voluptariæ sunt, quas maritus voluptatis causâ facit, & quæ speciem exornant; vt picturæ parietem, non etiam fructum augent. l. 7. in princ. & ff. de verb. signif. d. l. impensæ. §. vlt. quæ tamen si fiant in rebus promercalibus, adeo vt ob hanc causam res pluris vendantur; iam non voluptariis, sed vtilibus adnumerantur. l. quòd si hæres. 10. 3
¶ Necessariæ dotem ipso iure minuunt: proinde maritus eo minus restituit soluto matrimonio. l. 5. & l. pen. & C. de rei vxor. actio. l. vn. §. taceat. vers. sed nec ob impensas. nisi modicæ sint, quas maritus ferre debet. l. omnino. 52. Vtiles voluntate mulieris factæ repetuntur actione mandati, sine eius consensu factæ repetuntur actione negotiorum gestorum: voluptariarum nomine deductio operis facti conceditur marito, quatenus sine speciei læsione id tollere potest. d. §. taceat. vers. sed nec ob impensas.

II. *De actione rerum amotarum.*

TErtius effectus est actio rerum amotarum. nam si 1
coniux coniugi, diuortij consilio, furtum faciat: licèt vere furtum sit. l. 1. & l. pen. tamen ne quidem diuortio secuto conueniri potest: quia matrimonij etiam præteriti reuerentia famosam actionem ob id quod tempore matrimonij factum est, excludit. d. l. 1. & l. 2.

BIU Cujas

Sed stante matrimonio, res condici potest: post diuortium, rerum amotarum agi potest. l. rerum quidem. 25. Adeo autem verum est, hanc actionem stante matrimonio non dari, vt si soluto matrimonio institutum hoc iudicium fecerit, postea redintegrato matrimonio soluatur. l. vlt. sed post diuortium res eadem con-
2 trectans, etiam furti tenetur. l. 3. in princ. ¶ Amotæ dicuntur res, quæ surreptæ & celatæ sunt, vel venditæ, donatæ, aut quoquo modo consumptæ. d. l. 3. §.
3 item verum. l. si concubina. 17. §. 1. ¶ Hæc actio datur tam viro contra mulierem, quàm mulieri contra virum. l. 1. l. 6. §. item cùm rerum. id est, contra eum eámve, qui quæue per se vel per alium amouit. l. sed etsi. 19. & tam heredi, quàm contra heredem competit. d. l. 6. §. si post. & §. seq. & l. si mulier. 21. §. pen. quia licèt sit ex delicto, id est furto, tamen est rei persecutoria, ideóque
4 perpetua. d. §. pen. ¶ Et est prætoria. C. eod. l. 2. perso-
5 nalis. l. rerum amotarum. 26. ¶ In hoc iudicio res æstimantur, quanti fuerunt eo tempore, quo amotæ sunt. l. rerum amotarum. 29. sed & eius quod interest actoris, ratio habetur. d. l. si mulier. §. commodi. & condemnatio fit in solidum, non in quantum vir aut mulier facere potest. d. l. si mulier. §. vlt. heres autem tenetur, in quantum ad eum peruenit. C. eod. l. vlt.

III. *De adgnoscendis & alendis liberis, vel parentibus, vel patronis, vel libertis.*

1 QVartus effectus in adgnoscēdis & alendis liberis consistit. Senatus enim consulto Planciano cautum est, vt facto diuortio, si mulier putet se ex eo matrimonio prægnantem esse, intra dies triginta marito, vel patri eius, vel, si copiam eorum non habeat, domum denunciare possit (domum intellige hospitium, si in ciuitate habitet: vel vbi larem matrimonio collocauit, si extra vrbem degat) se ex eo prægnantem esse, qua denunciatione facta, si maritus nolit partum adgnoscere, contrà denunciare debet eam non esse ex se prægnantem, aut custodes mittere: sic enim non tenebitur filium adgnoscere, nisi verè filius fuerit, alioqui, si id non fecerit, partum agnoscere cogetur: & adgnoscere nolens, coërcebitur extra ordinem. l. 1. in
2 princ. cum quinque paragraphis sequentibus. ¶ Quia verò Senatusconsultum Planciānum ad eos partus pertinet, qui post diuortium eduntur; aliud Senatusconsultum temporibus Hadriani factum est, vt etiam si constante matrimonio partus sit editus, de agnoscendo eo agatur. l. 3. §. 1. ¶ Agi intellige, non actione pro-
3 priè dicta, sed præiudicio. Instit. de action. §. præiudiciales. Quid autem sit præiudicium, & vnde dictum, & quotuplex sit, exposui in Analysi Institutionum ad eundem. §. præiudiciales. necnon in Epitom. iur. disput. 18. the. 20. & seqqq. ¶ Huic præiudicio locus est,
4 etiamsi nascatur post mortem patris, viuo auo, in cuius potestatem recasurus est, si sit ex filio eius conceptus. d. l. 3. §. quid ergo. Item si dubitetur, vtrùm in matrimonio, an post diuortium partus editus sit. d. l. 3. §. quid si hoc. nec non si dubiterur, an ea sit vxor, ex qua
5 est editus. d. l. 3. §. & quid. ¶ Ex dictis apparet, officium parentum esse, vt filios adgnoscant, & alant; adeo vt si alimenta denegent, eos necare videantur. d. 4. Sed & vice versa, si parentes egeant, liberi eos pro modo facultatum alere tenentur. l. 5. & C. de alend. lib. l. 1. & 2. Item patroni egentes, & similiter eorum liberi, à libertis pro modo facultatum sunt alendi. d. l. 5. §. solent. & §§. seqq. & l. vlt. Immo & patronorum parentes si egeant & liberi non supersint à quibus alantur, à libertis ali debent. d. l. 5. §. vlt. E contrario quoque libertum inopem patronus, si possit, alere iu-
betur; alioquin perditius patronatus. l. 6. ¶ Ergo iu- 6
dex de alimentis præstandis cognoscit inter parentes & liberos. d. l. 5. in princ. vel inter patronos filiósve aut parentes patronorum & libertos. d. l. 5. §. solent. & paragraphis sequentib. Hoc titulo ex professo agitur de liberis alendis: obiter autem, & propter tractatus affinitatem, de aliis personis dictum est.

IV. *De inspiciendo ventre, custodiendóque partu.*

QVintus effectus est ex rescripto Diuorum fra- 1
trum, vt si mulier à viro diuertens, neget se esse ex eo prægnantem, maritus autem prægnantem asserat, tres obstetrices eo postulante mittantur, quæ ventrem inspiciant, & si vel omnes vel duæ renunciauerint prægnantem videri, perinde custos adhibeatur, ac si ipsa hoc desideraſſet. l. 1. in pr. ¶ Sextus effectus 2
est ex edicto prætoris, vt si mulier mortuo marito prægnantem se esse dicat, his ad quos ea res pertinet, id denunciet, vt possint mittere mulieres quæ ventrem inspiciant, & viros qui custodiant. partus quoque editus ostendendus iisdem erit, vt prolixè continetur edicto, cuius verba extant in d. l. 1. §. de inspiciendo. ¶ Hi duo effectus sub vna rubrica compre- 3
henduntur: quia vtroque casu venter inspicitur, & partus custoditur.

V. *Si ventris nomine muliere in possessionem missa, eadem possessio dolo malo ad alium translata esse dicatur.*

SEptimus effectus est, quòd mulier prægnans mittitur ventris nomine in possessionem vice contra tabulas bonorum possessionis. ff. de ven. in. poss. mitt. l. 1. in princ. & §. 1. nec non ex aliis edicti partibus. d. l. 1. §. & generaliter. & l. 7. Qua in parte dolum & calumniam mulieris, quæ ventris nomine in possessionem mittitur, prætor coërcet. Dolum: quia si dolo malo mulier possessionem ad alium transtulit, prætor in eam, patrémque eam in potestate habentem, actionem in factum dat, in quantum actoris interest admissum alium in possessionem non fuisse. l. vn. in prin. & §. 1. quæ actio, tamquam rei persecutoria, etiam post annum competit. d. l. vn. §. pen. Sed & eum qui in possessionem admissus est, de possessione decedere iubet. d. l. vn. §. necessariò.

VI. *Si mulier ventris nomine in possessione calumniæ causâ esse dicetur.*

CAlumniam mulieris prætor coërcet: quia si per 1
calumniam, quasi prægnās, cùm sciret se non esse prægnantem, voluit in possessionem venire: in eam vel parentem eius actionem in factum. l. 1. §. 1. §. per calumniam. & §. in parentem. dat ei cuius interest mulierem in possessionem missam non esse. d. l. 1. §. competit. ¶ Sed licèt hæc actio, vt & superior, detur in id 2
quod interest. d. l. 1. §. simili. tamen non est perpetua, vt illa, sed anno terminatur, quasi pœnalis, & vltra annum non datur. d. l. 1. §. hanc autem. propterea quòd est famosa actio. ff. de his qui notant. infam. l. notatur. 15. cum 4. legibus. sequentibus. ¶ Absolutus est tractatus 3
de nuptiis contrahendis, contractis, dissoluendis, & dissolutis.

VII. *De concubinis.*

TErtius personalis contractus nuptiis similis est 1
concubinatus: nam concubina quodammodo vxorem legitimam imitatur, vt ait Iulianus antecessor.

Nou.

BIU Cujas

2 No.constit.34. (nobis est No.18.) cap.5. ¶ Differt autem concubinatus à matrimonio, I.Quia vxor dignitate præstat concubinæ.ff.de legat.iij.l.item legato.49. §.parui. Vnde concubinatus vocatur inæquale coniugium. C. de natur. lib. l. 3. vers. quòd si alterutram. II.Quia nuptiæ sunt omni iure permissæ: concubinatus verò est quidem iure ciuili veteri & Iustinianico permissus.l.3.§.1.dummodò quis nec vxorem cum cõcubina,nec plures concubinas habet. No.18.cap.5.sed Nou.Leonis. 91. & iure canonico est prohibitus. distinct.34.c.audite.7. & xxxij. q.4. c. nemo.4. & c.dicat aliquis. 9. Nec obstat. c. is qui.5. & c. seq. d.distin.34. vbi permittitur ei qui nõ habet vxorem, habere vnam concubinam: quia concubina ibi sumitur impropriè pro vxore, quæ ducta est sine dotalibus instrumentis. eâd. distin. ca. omnib. 4. §. concubina. III. Quia nuptiæ sunt diuini & humani iuris communicatio:quod de concubinatu non est dicendum. IV. Quia matrimonium sine iusta causa dissolui nequit: concubinatus pro libitu dissoluitur,quia nulla lex solui prohibet. V. Quia filij matrem quidem semper certam habent, patrem autem certum non habent, nisi sint ex iustis nuptiis susceptis.ff.de his qui sui vel alie. iur.sunt.l.6.& de in ius vocan.l.5. VI. Quia filij ex iustis nuptiis sunt legitimi, & in potestate patris. Institut. de patr.potest. in princ. ex concubina susceptis,sunt naturales tantùm, & sui,iuris.C.de natur.lib.l.2. Nou.18. cap.5. Nou.89.
3 cap.12. ¶ Nota focariæ appellatione concubinam significari.C.de donat.int.vir. & vxor. l.2. & de condit. insert.l.3.

LIBER XXVI.

TITVLVS I.

De tutelis.

EXPOSITI sunt tres personales contractus,qui mutuo consensu fiunt, sponsalia,nuptiæ & concubinatus: quartus, id est tutela, dicitur quidem contractus. ff. de diuers. reg. iur. l. contractus.27. Sed impropriè,& latè sumpto contractus vocabulo.reuera autem est quasi contractus.ff. de oblig.& act.l.5.§.1.& Instit.de oblig.quæ qua.ex contr.§.tutores. Quia verò curatores sunt tutoribus similes, ac per multa sunt tutoribus & curatoribus communia: idcirco in hac parte agetur etiam de curatione & curatoribus, & ferè in omnibus titulis simul de tutoribus & curatoribus agendum proponetur. Non tamen dico curationem esse contractum vel quasi contractum personalem, Quod dixi de tutela: quia tutor regulariter datur personæ.ff.tit.prox.l.quia.14.& Instit. qui testam. tut. da. poss.§.certæ. curator autem datur rebus. C. de nupt.l.
2 in copulandis.8.& Instit.de curat.§.item inuiti. ¶ Tutela est vis & potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem suam sponte se defendere nequit, iure ciuili data,ac permissa.l.1.in princ. Dicitur *vis & potestas*. hæc duo vocabula sumuntur ἐκ παραλλήλου. Hinc autem apparet nos tutelam sumere in significatione propria, quandoque verò accipitur pro tutelæ administratione, vt ff. de administr.tutor.l.3.§. quamuis.& §.vlt.& in tit. C. de diuid. tut. Additur *in capite libero*, id est,in tutore,qui debet esse homo liber: & regulariter masculus, non femina: quia tutela est plerumque officium virile.l. tutela,56. in princ. & C. quan.muli.tut.offic.l.1. Sed ex speciali priuilegio propter naturalem affectionem mater & auia ad tutelam admittuntur. C.eod.l.2.& 3. Nou.118.cap.5. Sed nihil refert, vtrum tutor sit paterfam.an filiusfam. ff. de his qui sui vel alie.iur. sunt. l. filiusfam.9. & Instit. qui testam.tutor.da.poss.in princ. Adiicitur *ad tuendum*.hinc tutores dicti sunt, quasi tuitores ac defensores. nam tutores sunt, qui hanc vim & potestatem. habent.l.1. §.1.& Instit.eod.§.tutores. Adiungitur *eum*, id est, pupillum.pupillus est impubes sui iuris. Impubes est masculus vsque ad decimum quartum, femina vsque ad duodecimum annum completum. Institut.quib.mod. tut.finit. in princ. Additur *propter ætatem*. subaudi, pupillarem. Apponitur *sponte se defendere nequit*, id est,sine tutore. Tandem dicitur, *iure ciuili data ac permissa*. vbi coniunctio accipitur pro disiunctione; vt in l. sæpe.53.ff.de verb. signif. Iure ciuili datur tutela legitima, quæ ipso iure defertur. Permittitur autem testamentaria, & datiua; quia testator vel magistratus iure permittente tutorem dat.l.1. in princ.& l.6.§. tutoris. Hæc dicta sint de definitione tutelæ. ¶ Curatio au- 3
tem est potestas in capite libero ad tuenda illius negotia, qui per ætatem, vel animi aut corporis vitium, ea gerere non potest, vt definiui disput.4.the.1. ¶ Tute- 4
læ diuisio duplex notanda est. Prior diuisio curationi quoque communis est, quòd vel est tutor seu curator cum administratione,vel honorarius qui honoris tantùm causa datur, non vt administret. vel notitiæ causâ datur, id est, non vt gerat, sed vt gerentes instruat. ff. de adm.tut.l.3.§.1.& 2.& de solut.l.quod si fortè.14. §.1.& C. de peric.tut.l.1. ¶ Posterior diuisio est,quod 5
aut est testamentaria, aut legitima, aut datiua, quas species proximis titulis enarrabimus. Hæc diuisio non æquè conuenit curæ atque tutelæ: quia curator inutiliter testamento datur nisi à magistratu confirmetur. Instit.de curat.§.1.

II. *De testamentaria tutela.*

TVtela testamentaria est,cùm parens liberis impu- 1
beribus eius potestati subiectis, post eius mortem non recasuris in alienã potestatem, sed futuris sui 2
iuris. Instit. de tute.§.permissum,vel suis postumis, id est,qui in eadem causa essent, si viuo parente nascerentur. Instit. eod. §. pen. tutorem dat in testamento vel codicillis testamento confirmatis.l.3. ¶ Vt igitur 2
hæc tutela procedat,opus est,vt omnes circumstantiæ requisitæ concurrant oportet enim tutorem dari. I.Ab eo qui dare potest,id est,à parente qui in potestate habet, non à matre,vel extraneo. II. Ei cui dari potest, id est, liberis impuberibus in potestate constitutis;non emancipatis, vel aliis. III. Quomodo oportet,id est, verbis directis,veluti, *Tutor esto*: non precariis,veluti, *Precor te curam habere*. IV. Vbi oportet,id est,in testamento vel codicillis testamento confirmatis.Præterea tutorem dare licet,non curatorem. Si igitur hæc omnia obseruentur, quæ requiri diximus, datio tutoris ipso iure valet.ff.tit.prox.l.1.

III. *De confirmando tutore vel curatore.*

SI quid ex his desideretur, putà si tutor filio eman- 1
cipato, vel à matre, vel curator datus sit,datio tutoris vel curatoris ipso iure non valet, sed decreto magistratus confirmanda est. d. l.1.& Instit. de tute.§. vlt. & de curat.in pr. ¶ Datus à patre confirmatur si- 2
ne inquisitione. l.1. §.pen. & ff. tit. prox.l. 4.& Instit. de tutel. §. vlt. nisi sit datus filio naturali, cui nihil in testamẽto relictum sit. hic enim sine inquisitione non confirmatur.l.7.in princ. Inquisitionem intellige.qua

BIU Cujas

quæritur, an tutor vel curator sit idoneus; quia standum est iudicio patris, dummodò de eius voluntate constet. Ceterum omnino quærendum est, an ea fuerit patris voluntas, & an in ea perseuerauerit. l. in con-
3 firmando. 8. & l. seq. ¶ Datas à matre, vel extraneo, nec sine inquisitione, nec nisi instituto heredi datus sit, confirmari debet. l. 2. & 5. & C. eod. l. 1. & ſ. tit.
4 prox. l. 4. ¶ Interdum etiam à patre datum prætor reprobat; videlicèt si aut ea de tutore comperta habeat, quæ testatorem latebant; aut ipse pater, qui tutorem testamento dedit, voluntatem postea mutauit l. pen.

IV. *De legitimis tutoribus.*

CEssante tutela testamentaria, locus est legitimæ. Instit. de legit. adgnat. tut. in pr. quæ ipso iure defertur. l. 5. in pr. vel ex verbis legis xij. tabularum, vt tutela proximorum adgnatorum, l. 1. in pr. & Instit. de legit. adgn. tut. §. 1. vel ex mente eiusdem legis, vt patronorum. l. 3. in pr. & Instit. de legit. patron. tut. & parentum. d. l. 3. §. vlt. & Instit. de legit. paren. tut. vel ex nouo iure, vt fiduciaria. Instit. de fiduc. tut. Hodie legitima tutela defertur ex No. 118. cap. vlt. his qui ad legitimam successionem vocantur: ita vt eodem ordine vocentur ad emolumentum hereditatis, & ad onus tutelæ.

V. *De tutoribus & curatoribus datis ab his qui ius dandi habent: & qui, & in quibus causis specialiter dari possunt.*

1 SI cui neque testamentarius, neque legitimus tutor sit, aut si cui legitimus curator non sit, ei cõpetens magistratus tutorem vel curatorem dat, qui nõ solum à Doctoribus vocatur datiuus, sed etiã à Modestino in l. 7. ſ. rem pup. sal. fo. ab Vlpiano autem tit. de tute. honorarius. Quare verbum *honorarius*, est homonymum, vel enim dicitur honorarius, quia honoris causa datur, vt accepi. ſ. de tute. & ſ. de administr. tut. vel quia
2 ab honores gerente datur, vt hîc. ¶ De hac datiua tutela vel curatione quinque quæstiones dissoluuntur,
3 tres hoc titulo, reliquæ duæ tit. seq. ¶ Prima quæstio est, qui possint dare tutores, vel curatores. In vrbe dant, qui iurisdictionem habent, vt prætor, vel præfectus vrbi. Instit. de Attilia. tuto. §. sed hoc iure in prouincia is cui hanc facultatem lex, vel Senatusconsultum, vel princeps nominatim concessit. ſ. de tute. l. 6. §. tutoris, vt præses, & magistratus municipalis. d. §. sed hoc iure
4 & §. seq. ¶ Secunda quæstio est, qui possint dari tutores vel curatores. Hi dari possunt, qui sunt dantis iurisdictioni subiecti. l. 3. & Instit. de Attil. tuto. d. §. sed hoc iure. siue sint patres familiâs, siue filij familiâs. ſ. de
5 his qui sui vel alie. iur. sunt. l. filiusfam. 9. ¶ Tertia quæstio est, in quibus causis dentur. Verbi gratiâ, tutor pupillo datur ad adeundam hereditatem. l. impuberi. 9. curator adolescenti datur ad litem. Instititut. de curat. §. item inuiti.

VI. *Qui petant tutores vel curatores, & vbi petantur.*

1 QVarta quæstio est, qui petant tutores vel cura-
2 tores. ¶ Pupillo tutores petere alij pro libitu possunt, vt cognati, & amici: alij petere iubentur, vt mater, & liberti: alioquin illa priuatur successione, si filius in ætate pupillari decesserit: liberti verò à magistratu puniuntur. l. 2. §. 1. & Instit. de senatusconſ. Tertull. §.
3 penult. ¶ Curatorem adultus sibi ipse petit, vel eius voluntate alij quilibet. d. l. 2. §. πάντα πάλιν, hæc quidem.
4 & §. seq. ¶ Quinta quæstio est, vbi tutores vel curatores petantur. Ibi petuntur, vnde is, cui dantur, originem ducit. C. vbi petãt. tut. vel curat. l. vn. aut vbi facultates eius sitæ sunt. ſ. tit. prox. l. pupillo. 27.

VII. *De administratione & periculo tutorum & curatorum, qui gesserint vel non: & de agentibus, vel conueniendis vno, vel pluribus.*

POstquam tutelæ definitionem eiúsque & curæ 1
species exposuit: vnde intelleximus tam ea quæ ad tutelæ essentiam spectant, quàm ea quæ ad constituendos tutores vel curatores pertinent: quia ex diuersitate tutores vel curatores constituentium, diuersa tutelarum & curationum genera oriuntur: consequenter de eorum iam constitutorũ officio agit: quod quidem partim in administratione, partim in auctoritate consistit. aut enim tutor vel curator aliquid facit seu gerit, aut pupillo vel adolescenti aliquid facienti assentitur & auctor est. ¶ Huius rubricæ, duæ sunt 2
partes: Prior generalis, de tutelæ administratione, & periculo, quod administrationem peractam aut neglectam consequitur: Posterior specialis, de administratione iudiciali, id est, de ea administrationis parte, quæ in actionibus pupillaribus mouendis vel suscipiendis cernitur. Ad vtramque partem notare nonnulla oportet. breuitatis autem gratiâ loquemur de solis tutoribus, eadem intellecturi de curatoribus.
¶ De administratione hæc notentur. I. Tutor cogi- 3
tur tutelam gerere, nisi iusta de causa excusetur: alioquin suo periculo cessat. l. 1. in pr. & §. 1. Priùs tamen quàm gerat, inuentarium rerum pupillarium facere debet. l. 7. in princip. & C. eod. l. tutores. 24. & arbitr. l. vlt. §. illo. II. Non solùm gerere creditur, qui ipse gerit, sed & qui alij gerendum mandat, & qui satis à contutore accipit rem pupilli saluam fore, eíque administrationem committit. l. tres tutores. 55. §. non solùm. III. Tutor in administrandis rebus pupillaribus loco domini habetur, non cùm rem perdit, & pupillum spoliat. l. tutor qui. 27. & ſ. pro empt. l. 7. §. si tutor. IV. Neque vtilia prætermittere, neque inutilia admittere debet. C. de episcop. audien. l. de creationibus. 27. vers. ita tamen. V. Quia plerumque vtilius est per vnum quàm per plures tutelam geri: idcirco placuit, eum solum gerere, qui satisdat rem pupilli saluam fore, aut quem testator, vel maior tutorum pars vel prætor elegit. l. 3. & ſ. de postul. l. 3. in princ. & Instit. de satisdat. tutor. §. 1. ceteri sunt aut honoris causâ dati, qui vocantur honorarij. d. l. 3. in princ. aut notitiæ causâ dati, quia patrimonij pupillaris notitiam habent, vnde possunt alios tutores instruere, sed ipsis propter humilitatem tutela non committitur. C. de peric. tut. l. 1. Quandoque duobus administratio committitur. l. decreto. 24. §. 1. Interdum electo adiungitur curator. d. l. 3. §. nam etsi. Sed etsi omnes velint simul gerere, aut inter se tutelam, id est administrationem diuidere, 4
prætor is morem gerit. d. l. 3. §. pen. & vlt. ¶ De periculo hæc notentur. I. Periculum tutelæ ad tutorem spectat, ex quo scit se tutorem datum. l. 5. §. vlt. & C. eod. l. 5. II. Tutor tenetur, si fecit quod facere non debuit, vel non fecit quod facere debuit. ſ. de tute. & rat. distrah. l. 1. in princ. III. Aut tutela est indiuisa, aut voluntate testatoris vel prætoris diuisa; aut ipsi tutores sponte sua inter se tutelam diuiserunt. Cùm tutela est indiuisa, subdistinguere oportet, aut enim nemo gessit, aut quidam, aut omnes gesserunt. Primo casu omnes æqualiter tenentur, ita vt pupillo detur electio

contra

BIU Cujas

contra quem agere velit, huic verò qui conuenitur, quia ob suam contumaciam damnandus est, pupillus actionem pro parte in contutorem cedere non tenetur. l. si plures. 38. & licèt aliquis tutorum quædam gesserit, tamen ob ea quæ nemo gessit, non hic magis quàm aliùs, sed omnes æqualiter tenentur; nisi hic quædam imperfecta reliquit, aut cum à se gestis coniuncta neglexit: de his enim ante ceteros est conueniendus, l. tutores, qui. 39. §. in eum. l. tres tutores. 55. §. item in eo. Secundo casu priùs conueniendi sunt, qui gesserunt, si modò sint soluendo. C. arbitr. tut. l. 6. & de hered. tut. l. 2. & si tut. vel curat. reipub. cau. ab. l. 1. Tertio casu pupillus habet electionem conueniendi omnes, vel aliquos. Si omnes conueniantur, & vnâ sententiâ damnentur, periculum diuisum est, nec alter pro altero tenetur. C. si plur. vna sent. condem. sunt. l. 2. Si aliqui conueniantur, hi possunt petere, vt actio inter omnes, qui sunt soluendo, diuidatur, vel vt actiones sibi contra alios à pupillo cedantur: quam cessionem si petere prætermiserint, nihilominùs partem vtili actione à contutoribus repetent, nisi ex communi dolo conuenti sint. ĩ. de tut. & rat. distrah. l. 1. §. nunc tractemus. & §§. seqq. & C. de diuid. tut. l. 2. in princip. Cùm autem tutela ex solo tutorum conuentu diuisa est, perinde est ac si indiuisa mansisset: quia non debet eorum conuentio præiudicium pupillo facere. C. eod. l. 3. Denique cùm à testatore, vel à iudice est diuisa, pro sua quisque parte tenetur, non pro parte contutoris; nisi quatenus dolo aut culpa non curauit eum tamquam suspectum remoueri, vel seriùs id curauit. C. eo. l. 2. §. in diuisionem. Coniun. ea quæ scripsi in tit. C. de diuid. tute. ¶ De actione per vnum pluréve tutores mouenda, vel subeunda, hoc notetur, si tutela sit indiuisa, omnes, vel aliis cessantibus vnum posse agere vel conueniri. C. si ex plurib. tut. vel curat. l. 1. Si verò sit diuisa, quemlibet pro parte sibi commissa agere vel conueniri debere. C. eod. l. 2. Quod non debet ita accipi, quasi ipso iure denegetur actio pro parte ad alium tutorem pertinente: sed agēti obstabit exceptio. Quare si tutor rerum Italicarum, à creditore prouinciali conueniatur: pro suo arbitrio potest vel eum exceptione summouere, vel iudicium subire, vel etiam ei soluere. l. Titium. 47. §. vlt. Item conuentus à tutore rerum Italicarum, potest obiicere compēsationem eius quod sibi à pupillo debetur ex causa pertinente ad tutorem rerum prouincialium. l. inter tutores. 36.

VIII. *De auctoritate & consensu tutorum & curatorum.*

1 EXposito primo tutoris vel curatoris officio, secundum quod ipse aliquid gerit, consequenter dicendum de altero officio, secundum quod pupillo vel minori aliquid facienti consentit, siue auctor est.
2 ¶ Nota primò, auctoritatem esse speciem consensus, vt docui Instit. h. t. & ĩ. quod ius. in princ. & auctorem fieri, nihil aliud esse, quam probare id quod agitur. l. 3.
3 ¶ Nota secundò, tutoris auctoritatem esse necessariam, cùm pupilli conditio fit deterior, non cum fit
4 melior. Instit. h. t. in pr. ¶ Nota tertiò, tutorem in ipso negotio præsentem debere auctorem fieri: per epistolam verò, vel post tempus, frustra consentire. l. obli-
5 gari. 9. §. pen. & Instit. eod. §. pen. ¶ Nota quartò, si multi sint tutores, tutela indiuisa, auctoritatem vnius sufficere: tutelâ diuisâ, singulos debere pro suis partibus auctores fieri, vbi tamen de tutela dissoluenda agitur, putà si pupillus sit arrogandus, omnium con-
6 sensum omnimodo requiri. C. eod. l. vltim. ¶ Nota quintò, tutorem non posse in rem suam auctorem fieri. l. 1. in pr. & Instit. eod. §. vlt. & ĩ. ad Trebell. l. 1. §. fuit quæsitum. ¶ Hæc quæ de tutore dixi, etiam in 7 curatore obtinent.

IX. *Quando ex facto tutoris vel curatoris minores agere vel conueniri possunt.*

ACtionem intentat vel suscipit aliquando tutor 1 seu curator, quandoque eo auctore minor, interdum ex eius facto minor. Appellatione minoris continetur etiam pupillus. Hi tres casus ordine explicantur: primus tit. 7. secundus tit. 8. expositi fuerunt tertius hoc titu. 9. declaratur. ¶ Ex facto tutoris vel curatoris 2 minor certis tantùm casibus habet actionem. C. eod. l. vlt. non directam, sed vtilem: veluti si tutor vel curator pecuniam minoris credidit, & sibi stipulatus sit, vel minoris pecuniâ rem emit, vel rem minoris locauit. l. 2. & C. eod. l. 2. & l. 4. ¶ Contrà minor vtili 3 actione tenetur, si tutor vel curator condemnatus sit. C. eod. l. 1. aut si pecunia quam tutor vel curator mutuò accepit, in rem minoris versa sit. C. eod. l. 3. aut si ex dolo tutoris vel curatoris minor locupletior factus sit. l. 3.

X. *De suspectis tutoribus, vel curatoribus.*

EXposito tutoris & curatoris officio, sciendum 1 est, eum, qui officio non fungitur, remoueri tamquam suspectum. ¶ Nota primò suspectum, dici, non 2 ex facultatibus, sed ex moribus. l. suspectum. 8. & Instit. eod. §. vlt. suspectus enim est, qui malè tutelam gerit, gesturúsue esse videtur. Inst. eod. §. suspectus autem est. 3 ¶ Nota secundò, suspecti accusationem introductam 4 esse l. xij. tabularum. l. 1. §. sciendum & Instit. eod. in pr. ¶ Nota tertiò hanc accusationem quasi publicum esse, id est, quemuis ad accusandum admitti. d. l. 1. §. consequens. & Instit. eod. §. consequens. ¶ Nota quartò, 5 pendente suspecti iudicio, administrationem accusato interdici. Institut. eod. §. si quis autem suspectus. ¶ Nota quintò, tutorem suspectum remoueri, vel pro- 6 pter dolum, vel propter culpam priori casu notatur infamiâ: posteriori casu non fit infamis. l. 3. §. vltim. & l. 4. & Institut. eod. §. suspectus autem remotus.

LIBER XXVII.

TITVLVS I.

De excusationibus.

TVTORVM & curatorum officium cessat 1 vel eis inuitis, si tamquàm suspecti remoueantur: vel eis volentibus si excusari iusta de causa mereantur. Cùm igitur de suspectis dictum sit, consequenter de excusationibus agitur. ¶ Excusatio est immunitatis allegatio ¶ Et 2 est. I. Vel cómunis tutori & curatori, veluti propter 3 ætatem maiorem. 70. annis, aut propter numerum liberorum. l. 2. & Instit. eod. in princ. & §. item maior. vel curatoris propria, veluti ne quis cogatur curationem eius suscipere, cuius tutelam gessit. C. eod. l. curator. 20. Instit. eod. §. qui tutelam. II. Vel in totum, vel ad tempus. Instit. de curat. §. penult. vel pro parte patrimonij. l. propter litem. 21. §. licèt. ¶ Nota primò, 4 licèt ad alia munera vocatus debeat à datione siue impositione muneris appellare. ĩ. de vacat. mun. l. 1. in pr. tamen vocatum ad tutelam vel curationem, non appellare, sed excusationem suam proponere; & si excusationem iudex reiecerit, tum demum à sententia iudicis appellare. Instit. h. t. §. qui autem. Quam sen-

BIU Cujas

tentiam Doctores sic accipiunt, vt tutor vel curator non possit appellare, priusquam excusationem proposuerit, eámque iudex reiecerit. Cuiac. autem putat eum pro libitu posse vel appellare, vel appellationem omittere. Mihi Doctorum sententia verior videtur: quia cùm Modestinus in l. εἰδέναι. 13. in princ. dicat eum aduersus sententiam, qua excusatio reiicitur, habere licentiam appellandi, à contrario sensu indicat eum ante dictam sententiam non habere appellandi
5 licentiam. ¶ Nota secundò, eum, qui se excusare vult, debere intra statuta tempora ad iudicem venire. d.l. εἰδέναι. §. 1. & Instit. eod. d. §. qui autem. non absentem per libellum suam excusationem proponere. l. excu-
6 sare. 15. ¶ Nota tertio, falsam excusationem, licèt à iudice admissa fuerit, tamen non prodesse, nec à tutelæ vel curationis onere excusatum liberare. C. si tut. vel cur. falsa. alleg. excus. sit. to. tit. & Instit. h. t. §. vlt.

II. *Vbi pupillus educari vel morari debeat: & de alimentis ei præstandis.*

1 POstquàm egit de tutelis in genere, necnon de tutoribus seu curatoribus testamento, vel lege, vel à magistratu constituendis, & de eorum officio, & de modis, quibus tutela vel cura finitur, adeo vt tutoris vel curatoris officium conquiescat: tandem vult explicare varia iudicis officia circa tutelam & curationem. quæ quidem officia ad tria summa genera referuntur: aut enim ad minoris personam spectat: aut ad actiones personales: aut ad res, & actionem realem,
2 vt ex sequentibus intelligetur. ¶ Ad personam pupilli pertinent duo iudicis officia, quæ hoc titulo proponuntur. Primum officium est, vt iudex decernat, vbi pupillus educari vel morari debeat, habita ratione personæ, conditionis, & temporis. l. 1. in princ. & §. 1. & l. 5. Alterum officium est, vt alimenta minori à tutore vel curatore præstanda, pro modo facultatum decernat. l. 2. & 3.

III. *De tutelæ, & rationibus distrahendis, & vtili curationis causâ actione.*

1 ACtiones personales, quæ ad hunc locum pertinent, ad tria genera referuntur. Primum genus respicit veros tutores & curatores, siue à minoribus
2 conueniuntur, siue cõtra eos agant. Actiones quibus à minorib. cõueniuntur, plures sunt. ¶ Prima est actio tutelæ directa, qua tutor finitâ tutelâ ratione administrationis suæ reddere, & reliqua soluere cogitur, ita vt & dolum & culpam præstet. l. 1. in princ. & §. vlt. l. 4. in princ. & C. arbitr. tut. l. 1. l. tutorem. 9. & Instit. de Attil. tut. §. vlt. & famæ periculum subeat, quia ob dolum damnatus notatur infamia. ff. de his qui notan. infam.
3 l. 1. vers. qui pro socio. ¶ Hanc actionem constat esse ex quasi contractu. ff. de oblig. & act. l. 5. §. tutores. & Instit. de oblig. quæ qua. ex contra. §. tutores. bonæfidei Inst. t. de action. §. actionum. priuilegiariam. l. vlt.
4 ¶ Quatenus autem ex multis tutoribus vel curatoribus singuli tenentur, ex his, quæ suprà docui de periculo tutorum & curatorum, peti debet. De heredibus
5 verò dicetur ff. tit. 7. ¶ Secunda est actio de rationibus distrahendis, ex lege xij. tabularũ. ff. de administ. tutor. l. tres tutores. 55. §. 1. qua tutor siue testamẽtarius, siue legitimus, siue datiuus. l. 1. §. rationibus distrahendis, qui in tutela gerenda rem ex pupilli bonis abstulit. l. 2. in pr. post tutelam finitam conuenitur. d. l. 1. §. vlt. in duplum. d. l. tres tutores. §. 1. ita vt sit actio mixta. d. l. 2. §. vlt. & rei æstimatio duplicata in condemnationem veniat, non habita ratione eius quod pupilli in-
6 teresse. d. l. 1. §. considerandum. ¶ Hæc actio non est ex furto, sed ex tutelæ obligatione: & cõtra tutorem, qui furandi animo fecit, concurrit cum actione furti, & condictione furtiua. d. l. 1. §. in tutela. & §. seq. d. l. 2. §. 1. ¶ Est autem actio perpetua, & heredib. datur, non 7
contra heredes; quia est pœnalis. d. l. 1. §. penult. non tamen merè pœnalis, sed mixta, vt iã docui. ¶ Cuiac. 8
notat hanc actionem esse arbitrariam, non quia lex aliqua hoc expresè dicat; sed quia res arbitrio iudicis æstimatur. ¶ Tertia est actio vtilis quæ datur mi- 9
nori aduersus curatorem, id est, vtilis actio tutelæ, vel negotiorum gestorum. C. arbitr. tut. l. 3. & l. 7. quæ datur etiam durante curatione de aliqua particulari causa. l. 4. §. vlt. l. si cum adhuc. 16. in fin. & ff. de administr. tut. l. cum curatore. 27. non vt curationis rationes reddantur; quia nõ ante curationem finitam reddi debent. C. eod. l. 2. l. rationes. 14. Directa actio in curatorem non est, nec tutelæ, quia non est tutor; nec negotiorum gestor, quia non sponte sua sed officij necessitate coactus gerit. Existimo etiã vtilem actionem rationibus distrahendis in curatorem competere quia æquitatis ratio hoc suadet. ¶ Porrò curator 10
æquè ac tutor dolũ & culpã præstat. C. arbitr. tut. d. l. 7.

IV. *De contraria tutelæ & vtili actione.*

ACtiones autem quæ tutoribus vel curatoribus 1
aduersus minorem competũt, duæ, vel tres sunt. ¶ Prima est contraria actio tutelæ, quæ tutori contra 2
pupillum datur de eo quod pro ratione tutelæ gesta sibi abest, quia pro pupillo impendit. l. 1. in princ. & §. vlt. vel abfuturum est, quia pro pupillo se obligauit. l. vlt. ¶ Hæc actio est prætoria. d. l. 1. In princ. non fa- 3
mosa. ff. de his qui notant. infam. l. 6. §. vlt. & est perpetua datúrque heredi, & contra heredes. l. 4. §. vlt. ¶ Se- 4
cunda est vtilis actio tutelæ. Tertia est vtilis actio negotiorum gestorum. quæ actiones ex hisdem causis dantur curatori aduersus minorem, ex quibus diximus tutelæ contrariam dari tutori contra pupillum. & omnino eadem est harum actionum expositio.

V. *De eo qui pro tutore próve curatore negotia gessit.*

SEcundum genus continet actiones ad eum perti- 1
nentes, qui pro tutore, vel pro curatore negotia gessit. ¶ Pro tutore negotia gerit, qui, cùm tutor non 2
sit, munere tutoris fungitur in re impuberis, siue putet se esse tutorem, siue sciens fingat se esse tutorem. l. 1. §. 1. Ergo similiter pro curatore gerit falsus curator, siue putet se esse, siue sciat se non esse curatorem. ¶ Hîc plures actiones considerantur. Prima est actio 3
protutelæ prætoria, quæ minori contra eum, qui pro tutore negotia gessit, etiam durante administratione competit. l. 1. in princ. & C. de testam. tut. l. 4. in quam actionem & dolus & culpa venit, vt in actionem tutelæ. l. pen. ¶ Secunda est actio negotiorum gesto- 4
rum, quæ contra eum, qui pro tutore próve curatore administrauit, minori competit. ff. qui da. tut. vel curat. poss. l. 4. Tertia est actio contraria, quæ dictis personis datur aduersus minorem. l. vlt.

VI. *Quod falso tutore auctore gestum esse dicatur.*

QVarta est restitutio in integrum, qua ei succurri- 1
tur, cum quo ignorante gestum aliquid est falso tutore auctore. l. 1. ¶ Quinta est actio in factum, qua 2
falsus tutor, qui dolo malo auctor factus est, ei tenetur, quem decepit, in id quod eius interest. l. 7. ¶ Hu- 3
ius exemplo datur actio in eum qui dolo fecit, vt aliquis falsò putans se esse tutorem, auctor fieret. l. huius.

BIU Cujas

4 ius.9.in princ. ¶ Hæ actiones sunt in factum, dantúrque heredibus, non contra heredes, nec post annum. ob factum autem serui dantur in dominum noxales. d.l.huius.§.1.

VII. *De fideiussoribus, & nominatoribus, & heredibus tutorum, & curatorum.*

1 TErtium genus est earum actionum, quæ ob veram tutelam aut curationem non in ipsos tuto-
2 res vel curatores, sed in alias personas dantur. ¶ Primò namque cùm tutor vel curator teneatur satisdare rem pupilli vel adolescentis saluam fore. Instit. de satisdat. tut.in princ. certè fideiussores ab eo dati tenentur ex stipulatu. Tunc autem cum eis agi potest, quando & contra tutorem vel curatorem potest. ℩. rem pupil.salu.fo.l.1. Beneficium diuisionis ex sua persona fideiussores non habent, si plures ab vno tutore dati sint. ℩. eod.l.vlt.sed ex persona tutorum habent, si pro
3 multis tutoribus cauerunt. l. 6. ¶ Secundò tenentur, qui per se vel per alium postularunt, aut nominarunt tutorem siue curatorem. l. 2. & ℨ. qui pet. tuto. l. 2. §.
4 pen.& C.de magistrat.conueni.l.4. ¶ Tertiò tenentur heredes tutorum vel curatorum, hi præstant etiam ex sua persona dolum, & latam culpam. de sua leui culpa non tenentur, nisi tribus casibus. Vnus est, si lis cum defuncto fuit contestata. alter, si non certant de damno vitando, sed de lucro captando. tertius, si quid gratiosè alteri præstiterint in præiudicium minoris. C. de in lit.iur.l.pen.& de hered.tut.l.1.

VIII. *De magistratibus conueniendis.*

1 QVartò, si à personis suprà comprehensis exigi non possit, actio subsidiaria datur in eos, qui satisdationem exigere debent, vt magistratus municipales, & scribas, si aut satisdationem non exegerunt, aut non idoneè passi sunt caueri. l.1.in prin.& C.eod.l.vlt. & Instit.de satisdat.tut.§.sciendum.& §.vlt. Item is tenetur, qui ad æstimandas satisdationes datus est à præ-
2 tore, vel præside. l.1. §. si præses. & §. Diuus. ¶ Nota primò, hac actione maiores magistratus, vt prætorem & præsidem, non teneri. l.1.§.neque. & Instit. de satisdat. tut. §. vlt. quoniam ex aliorum relatione tutores dare, & fideiussores admittere solent. d.l.1.§. si præses.
3 ¶ Nota secundò, hanc actionem transire in heredes, vt scilicèt de dolo & lata culpa teneantur. l.4.l.6.& C.
4 eod.l.2. ¶ Nota tertiò, hanc actionem specie non differre ab ea, quæ contra tutores datur. l.vlt. Ab ea tamen differt multis modis. I. Quia non est directa, sed vtilis. C.eod.l.1. & l.pen. II. Quia est subsidiaria. C. de magistratibus conuenien. l.3.4.5. & Instit. de satisdat. tut. §. sciendum. III. Quia non est priuilegiaria.
5 d.l.1.§.priuilegium. ¶ Nota quartò si plures sint collegæ, & omnes sint soluendo, eis dari beneficium diuisionis, vt singuli pro partibus conueniantur, si modò ex culpa, nõ ex dolo cõueniantur. l.7. & C.eod.l.3.
6 ¶ Hactenus de actionibus personalibus, quæ ex tutela vel curatione nascuntur.

IX. *De rebus eorum qui sub tutela vel cura sunt, sine decreto non alienandis vel supponendis.*

VLtimum iudicis officium ad res minorum & actionem realem respicit, vt ℨ. initio tit.2. proposui. Sciendum est, tutorem vel curatorem non posse prædia rustica vel suburbana sine decreto prætoris alienare, vel pignori siue hypothecæ supponere; quoniam alienatio vel suppositio ipso iure nulla est ex oratione Seueri, cuius verba extant in L.1. §. & sunt verba. Constantinus autem hoc ius produxit ad omnes res minorum, quæ seruando seruari possunt. C. de administr.tut.l.lex quæ.22.

X. *De curatoribus furioso & alijs extra minores dandis.*

HActenus egit de tutoribus & curatoribus mino- 1
rum, hoc vltimo titulo agit de aliarum personarum curatoribus. Non enim vt tutor datur solùm pupillis, ita curator datur solùm adolescentibus: immo datur etiam furiosis. l.1.in princ.l.4. l.7. l. Iulianus.10. §.1.& legib.sequentibus.& C.eod.to.tit.& Instit.tut. de curator.§. furiosi. mente captis. l.virum.14.& Instit.d. §.furiosi.& C.eod.l.3.& Instit.de curat.§.sed & mente captis.prodigis. §.1.l.sæpe.13.l.& mulieri. 15. §.1. l. pen.§.1.& seqq.& C.eod.l.1.fatuis. ℨ. de postul.l.2.mutis, surdis, perpetuo morbo laborantibus. Instit. de curat.d.§ sed & mente captis. & ceteris, qui reb. suis superesse non possunt. l.2.ventri, seu bonis ventris nomine.l. bonorum.8. & bonis hereditatis iacentis. l.3. aut bonis debitoris distrahendis. l.5.l.cuius.9. ¶ Nota pri- 2
mò, legitimum curatorem furiosi vel prodigi esse adgnatum: sed si hic non sit idoneus, alium à prætore dari. d.l.1.in princ.d.l.sæpe.& Instit.de curat.d.§.furiosi. Item aliis personis curatorem à prætore dari. l.2. & Instit.de curat.§.1. ¶ Nota secundò, has curationes fi- 3
niri, cùm causa dati curatoris cessat, veluti cùm furiosus sanitatem mentis, vel prodigus bonos mores receperit. l.1.in princ. ¶ Nota tertiò, actionem, quæ furio- 4
so vel prodigo contra tutorem datur, esse priuilegiariam. d.l. & mulieri. §.1. ¶ Nota quartò, si minor sit 5
furiosus vel prodigus, curatorem ei dari potiùs ratione ætatis, quàm furoris, aut prodigalitatis. ℨ. de tute.l. 3.§.1. ¶ Nota quintò, curatorem interdum dari etiam 6
pupillo, veluti si tutor non sit idoneus, vel sit ad tempus excusatus, quia tutorem habenti tutor dari non debet. ℨ. de tutel.l.solet.13.& Instit.de curat.§.pen.

IVLII PACII
A BERIGA I. C.
ISAGOGICORVM IN
PANDECTAS
PARS V.

NOn solùm ex rerum vel personarum 1
contractibus, de quibus hactenus dictum est, obligatio nascitur, sed etiam ex successionibus. Nam heres obligationibus hereditariis est obnoxius, & præterea ad legata præstanda tenetur ex quasi contractu, quia adeundo quasi contrahit. ℩. de oblig. & act. l.5.§. heres.& Instit.de oblig.quæ qua. ex contra.§. heres. Est autem successio vel ciuilis, vel prætoria: & vel ex testamento, vel ab intestato. Ciuilis ex testamento declaratur hac quinta Digestorum parte; reliquæ in sequentem partem reiiciuntur. In hac igitur quinta parte explicantur omnes vltimæ voluntates, & instrumenta, quibus hæ voluntates significantur. ¶ Omnis vltima voluntas aut est 2
vniuersalis, vt institutio, & substitutio heredis; aut

partic.

BIU Cujas

particularis, vt legatum, & particulare fideicommissum. Rursus aut est directa, vt heredis institutio, & substitutio, & legatum: aut præcaria, vt fideicommissum tam vniuersale, quàm particulare. ¶ Instrumenta duo sunt testamentum, & codicilli. C. de codicill. l. pen. Ne addas epistolam ex l. cùm quis. 37. §. pater vers. idem pater, & §. seq. & l. quæsitum. 78. §. 1. vers. eadem. ff. de legat. iij. & l. alumnæ. 30. §. 1. ff. de admen. legat. quoniam epistola interdum in ipso testamento fit. ff. de legat. j. l. Titia. 34. §. 1. interdum à codicillis non differt. d. l. cùm quis. §. Seiam. & de iu. codicil. l. literæ. 17. Denique (vt hæc semel explicem) epistola non significat materiam, sed formam itaque pro rei conscriptæ diuersitate, modò est constitutio principis. C. de constit. princ. l. 1. §. 1. & Instit. de iu. natur. §. sed & quod modò chirographum, vt C. depos. l. Lucius. 24. l. Publia, 26. & l. Quintus. 28. modò codicilli, vt in legibus suprà adductis: modò aliud quidpiam, vt epistola commendatoria. C. manda. l. si verò non remunerandi. 12. §. cùm quidam. ¶ Huius partis tria sunt segmenta; primum de testamentis, & hereditate, quæ in testamento relinquitur: alterum de codicillis: tertium de legatis & fideicõmissis, quæ tã in testamentis quàm in codicillis relinqui possunt, atque hæc meritò in vltimum locum reiiciuntur etiam ob eam causam, quòd tam codicilli quàm legata & fideicommissa testamentis accedunt. ¶ Testamentorum expositio partim est theorica, partim practica. Theoricæ quæstiones sunt tres. Prima quæstio theorica est vnde dicatur testamentum. Iustinianus ait dici à testatione mentis. Instit. de testam. ordin. in pr. Ne intelligas esse vocabulum compositum ex testatione & mente: sic enim quispiam etiam calceamentum, tegumentum, & similia à mente deduceret: sed intellige testamentum, deriuari à testatione: maioris autem expositionis causa, adiici hanc esse testationem mentis. ¶ Secunda quæstio theorica est, quid sit. A Modestino definitur *voluntatis nostræ iusta sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit*. ff. tit. prox. l. 1. ¶ Nota primò testamentum accipi multis modis. I. Pro vltima voluntate, vt C. de codicill. l. vlt. §. vlt. & Instit. de libert. §. multis. II. Pro sententia vltimæ voluntatis vt in hac definitione. & ff. eod. l. vnum. 24. & ff. de his quæ in test. delen. l. vltim. III. Pro tabulis testamenti, vt in tit. ff. quemadm. testam. aper. & ff. de falsi. l. Paulus. 76. IV. Pro scriptura. ff. de his quæ in testam. delen. l. 2. & 3. ¶ Nota secundò, testamentum non esse genus synonymum, sed ordine quodam attribui aliis magis, aliis minùs, & (vt dialectici loquuntur) prædicari per prius & posterius proinde etiã definitio talis est. Cõuenit enim primò & potissimùm vero ac perfecto testamento: deinde aliquo modo, testamento militari, testamento imperfecto: quin etiam codicillis, quia vel sunt testamenti appendix, & quasi pars, vel vicem testamenti exhibent. ff. de iu. codicill. l. ab intestato. 16. vt infrà latiùs docebo. Atque hæc omnia sunt aliquo modo iusta, quatenus iure probantur & valent: interdum enim etiam testamentum imperfectum valet, vt inter liberos. C. de testam. l. hac consultissima. 21. sed non sunt omninò iusta, quia non sunt perfecta: quod autem omnino iustum est, omnino perfectum est, vt iusta ætas. ff. de legat. iij. l. cum filiofamilias. 50. §. vlt. ¶ Tertia quæstio theorica est, quotuplex sit testamentum. Omissis antiquis testamentorum generibus, de quib. Instit. de testam. §. 1. hodie quatuor possunt constitui genera: solemne, nuncupatiuum, priuilegiarium, & plus quàm solemne, quæ exposui in Epito. Iur. disp. 8. ¶ Quæstiones practicæ, in quibus dissoluendis sequentes tituli vertuntur, tres sunt: prima, an testamentum valeat: altera, quomodo effectum accipiat, & qui sint eius effectus: tertia quænam ei accedere & adiungi possint, veluti an possint ei codicilli adiungi, & an in eo legata vel fideicommissa relinqui possint. ¶ Quod ad primam quæstionem attinet, primò agitur de testamentis paganorum; postea de testamentis militum. In testamentis paganorum tria spectantur: testator, heres, & ipsum testamentum: quia totum hoc negotium, quod agitur testamenti ordinandi gratiã, videtur inter testatorem & heredem agi. Instit. de testam. ordin. §. sed neque.

LIBER XXVIII.

TITVLVS I.

Qui testamenta facere possint & quemadmodum testamenta fiant.

AN persona testatoris spectatur, an habeat testamenti factionem; quò respicit prior pars huius rubricæ. de testamento videndum, an sit ab initio rectè conditum, qua de re in posteriori parte rubricæ, & in tit. seq. dicendum proponitur? & an ex pòst facto sit infirmatum, nec ne, vt tit. 3. & 4. explicabitur. ¶ In quæstione igitur an testamentum valeat, priùs respicienda est persona testatoris, postea modus testandi. l. 4. ¶ Quod ad personam testatoris spectat, sciendum est, testamenti factionem esse iuris publici. l. 3. Intellige publicum, non vtilitate, quia pertinet ad priuata patrimonia; sed auctoritate quia nemo potest testari, nisi cui lex. ff. de verb. signif. l. verbis legis. 120. & No. 22. cap. 2. vel princeps nominatim concessit. C. de inoff. testa. l. si quando. 35. Idcirco in xij. tabulis scriptum fuit, *Paterfamiliãs vti legassit, ita ius esto*, vbi legandi verbo omnis vltima voluntas significatur. d. l. verbis legis. Testari ergo potest paterfamiliãs, qui compleuit annum ætatis suæ quatuordecimum, & materfamiliãs, quæ compleuit duodecimum. sed compleße videtur, qui extremum diem anni quartidecimi, quæue extremum diem anni duodecimi attigit. l. 5. Filiusfamiliãs non testatur. l. 6. in princ. l. si filiusfamiliãs. 19. nequidem patre permittente. ff. de mort. cau. donat. l. tam is. 15. §. 1. nisi de peculio castrensi, vel quasi castrensi. C. de inoffic. testam. l. vlt. & Instit. de milita. testa. vers. sed testari. & §. vlt. & quib. non est permiss. fac. testa. in pr. Immo nec paterfamiliãs testari potest, si aut furor, aut aliud impedimentum obstet. Instit. eod. §. 1. & sequentibus. ¶ Quod ad modum testandi attinet: aut testatur aliquis in scriptis, ac tenetur obseruare omnes iuris solemnitates, quas retuli in Epito. Iur. disputat. 8. the. 8. quia nemo potest efficere, quominùs lege in suo testamento locum habeant. ff. de legat. j. l. nemo potest. 55. aut sine scriptis, & valebit testamentum, si testator coram septem testibus specialiter rogatis palam heredem nuncupet, ac cetera suæ voluntatis pronunciet. l. heredes. 21. & Instit. de testam. ordin. §. vlt.

II. *De liberis & postumis heredibus instituendis vel exheredandis.*

OBseruatio superiori titulo exposita, non semper sufficit, vt testamentum valeat: sed & insuper suorum heredum, suorumque postumorum ratio habenda, ne prætereantur, sed vel heredes instituantur vel exheredentur. Instit. de exhered. lib. in prin. & §. 1.

¶ Suus

2 ¶ Suus heres parenti est, qui est in eius potestate, ita vt nulla sit inter eos persona interiecta. vt filius, & nepos ex filio post nepotem conceptum defuncto vel 3 emancipato. Instit.de hered.qual.§. sui autem. ¶ Postumus propriè dicitur, qui post mortem patris nascitur.ff.tit.prox.l.3.§.1. vel exsecto ventre extrahitur.l. quod dicitur. 12. & ss. de inoffic. testam. l. 6. in princ. 4 ¶ Suus autem postumus est, qui, si viuo parente nasceretur, inter suos heredes esset: ceteri sunt postumi 5 alieni. Instit.de legat.§. postumo. ¶ Quasi postumus est, I. Qui nascitur viuo parente, post testamentum ab eo conditum. ff.tit.prox.d.l.3.§.1.& penult.& l.postumus. 12. & ss. de testam. tut. l. si quis ita. 16. §. vltim. II. Quem testator post factum testamentum adoptat. l.filij.28.§.1.& Instit.quibus modis. testam. infirm.§.1. III. Qui ante parentis testamentum natus est non suus heres, & post parentis testamentum in locum sui heredis succedit, vt nepos natus viuo filio, eique post testamentum aui superstes.d.l. filius. §.1. & ff.tit.prox.l. postumorum. 13. & Instit. de exhered. liber. §. postumorum. IV. Qui morte aui recidit in potestatem patris.d.l.filius.§.1. V. Filius naturalis, quem pater post factum testamẽtum legitimauit. Bald.ad d.l.filius.§.1. 6 ¶ Institutus dicitur, quem testator ad hereditatem vocat. Exheredatus est, quem testator ab hereditate summouet. Præteritus dicitur, quem testator nec instituit, nec exheredauit, licèt ei legatum reliquit.Instit. de exhered. liber. in princ. & §. 1. vers. dum tamen. 7 ¶ Exheredatio olim fiebat, aut nominatim, id est expresso exheredati nomine, veluti, *Titius filius meus exheres esto*; aliáve demonstratione, quæ vice nominis fungatur, veluti, *Filius, quem ex Seia suscepi, exheres esto:* aut inter ceteros, veluti, *Ceteri exheredes sunto.* sed quãuis olim solos filios nominatim exheredari oporteret, tamen hodie nulla exheredatio valet, nisi nominatim fiat.C.de liber.præter.l.vlt.& Instit.de exhered. lib. in prin. & §. sed hæc quidem. ¶ Rursus exheredatio fit vel ex iusta causa, vel sine iusta causa. Quæ 8 verò sint hodie iustæ causæ, peti debet ex Nou.115.c. 3. & 4. His expositis, notentur sequentes regulæ. I. Suis heredibus instituris, testamentum valet, nisi quo vitio laboret, vt quia non sint obseruatæ solemnitates iure requisitæ. II. Suo herede præterito, testamentum est ipso iure nullum.l.7.l. inter, 30. l.vlt.& ff. tit.prox.l.1.& Instit.de exheredat.liber.in pr. III. Postumo, vel quasi postumo præterito, testamentum initiò valet; sed eo nascente, vel in locum sui heredis succedente rumpitur. Instit. eod. §. 1. IV. Suo herede sine iusta causa exheredato, testamentum ipso iure valet, sed per querelam inofficiosi rescindi potest. ss. de inoffic.testam. l. 2. & Instit. eod.in princ. & falluntur Doctores, qui putant hoc ius esse correctum per d. Nou.115. cap. 3. vbi Imperator non ait testamentum esse nullum, vel nullius momenti, sed ait ἀκυροῦσθαι, id est, infirmari, vel (vt vetus interpres vertit) euacuari; nimirum per querelam inofficiosi. V. Suo herede ex iusta causa exheredato, testamentum ipso iure valet, nec per querelã subuerti potest.C.de inoffic.testam.l. si filiam.19. & d.No.115.cap.3. VI. Iusta exheredationis causa in postumum vel infantem nõ cadit: quia nec ex sua persona digni exheredatione videri possunt, nec debent alieno odio prægrauari. C.de inoffic. testam.l.si quis suo.33.§.1. Quare hæ personæ, si exheredentur, omnimodò & indistinctè possunt agere de inofficioso testamento. Quod non ita est in quasi postumo, qui infantiam excessit: hic enim iustam sui exheredandi causam testatori præbere potest. VII. Postumus institui heres potest ex lege xij tabularum, instituto quasi postumi valet ex lege Vellea, vel ex sententia Iuliani, vel ex coniunctione huius sententiæ cum lege Vellea, vt explicatur in l. Gallus. 29. & ad earum institutionum exemplum etiam exheredationes factæ valent.

III. *De iniusto, rupto, irrito facto testamento.*

POstquàm exposuit ea, quæ necessariò sunt obseruanda vt testamentum valeat: deinceps, quia contrariorũ eadem est scientia, & contraria iuxta se posita magis eluceſcũt, vitia testamentorũ proponit, propter quæ constat testamenta esse inutilia. 1 ¶ Primum vi- 2 tium est testamenti iniusti, quod propriè dicitur non iure factum, si desint iuris solemnia tit. 1. exposita: vel nullius momenti, si suus heres sit præteritus. l. 1. Species autem non iure facti est testamentum imperfectum, quod à testibus signatum, vel subscriptum non est. ff. de falſ. l. 6. & C.de testam. l. hac consultissima. 21. §. finem. ¶ Secundum est vitium rupti, Testa- 3 mentum rumpi dicitur, cùm, in eodem statu manente testatore, ius testamenti vitiatur.Instit. quib. mod. testam.infirm. §.1. ¶ Rumpitur autem I. Adgnatio- 4 ne vel quasi adgnatione sui heredis, id est, postumi, vel quasi postumi. l. 3. in princ. & §.1. & §.vlt. l.4.l.5. l.6.in prin.§.1.& 2.l.verum.8.in princ. l.postumorum. 13.l.qui vxorem.15.& Instit.de exhered.liber.§.1.& 2. & quib.mod.testam. infirm. §. 1. II. Posteriori testamento, quod iure perfectum est, licèt nemo ex eo heres existat: quia nemo paganus potest decedere cum duobus testamentis, & posterius prævalet. l.1.l.cum in testamento.16.& Instit.quib. mod.testam.infirm.§. posteriore. ¶ Tertium est vitium irriti. Fit autem ir- 5 ritum testamentum tribus modis. Primo modo testamentum fit irritum, cùm testator capite minuitur.d.l. 6.§. irritum. & §§. seqq. & Instit. quibus mod. testam. infirm.§. alio. Sed testatore capto ab hostibus, testamentum confirmatur iure postliminij, si in ciuitatem reuersus fuerit: aut lege Cornelia, si ibi decesserit. d.l. 6. §. penult. E contrario si testatoris memoria post mortem damnetur, vt crimine læsæ maiestatis, testamentum irritum fit. d. l. 6. §. sed ne eorum. Secundo modo testamentum fit irritum, cùm distinguitur, id est, si ex eo herediras non adeatur. l.1. ¶ Nota, testa- 6 mentum, quod iure non subsistit, interdum confirmari ex bono & æquo. Quod tribus casibus accidit. Primus casus est, si is, qui testamento officiebat, vel nolit vel non possit esse heres, & is sit scriptus heres, qui ab intestato est successurus: veluti si ex duobus filiis testatoris alter sit institutus, & alter præteritus abstineat hereditate: aut si postumus præteritus viuo testatore natus decedat: his enim casibus prætor dat heredi scripto bonorum possessionem secundum tabulas. l. postumus. 12. in princ. l. filio. 17. Secundus casus est, cùm testator capite minutus est, deinde pristinum statum recepit, adeo vt tempore mortis fuerit ciuis Romanus, & sui iuris: hoc enim casu testamentum iure prætorio conualescit, & à prætore sustinetur. Instit.quib.mod.testam.infirm.§.non tamen. Tertius casus est, cùm testator in posteriori testamento iussit prius valere: prius enim testamentum valebit, non quasi testamentum, ne idem cum duobus testamentis decedere dicatur, sed quasi codicilli: & in eo relicta debebuntur iure fideicommissi. d.l. postumus. §. 1. & ff. ad Trebell. l. si quis priore. 29. & Instit. quib. mod. testamen. infirm. §. sed etsi quis. Expositi sunt duo modi, quibus testamentum fit irritum: nempe capitis deminutio testatoris, & destitutio testamenti.

BIU Cujas

IV. *De his quæ in testamento delentur, inducuntur, vel inscribuntur.*

1 TErtio modo testamentum fit irritum, si testator consultò verba testamenti deleuerit, aut induxerit, aut inscripserit. l. pen. §. vlt. & ff. de testam. mil. l. in
2 fraudem. 15. §. 1. ¶ Delemus lituris: inducimus ductâ per medios versus lineâ: inscribimus nouis literis, quibus turbatur scriptura: cancellamus certis notis scri-
3 pturam concludentes. ¶ Nota primò his modis voluntatem testatoris in irritum recidere, si id ab ipso testatore fiat animo reuocandi quæ reliquit. nam si testator casu, vel alius quamcumque ratione fecerit, voluntas rata manet, ac sufficit verba legi posse. l. 1. 2.
4 & 3. ¶ Nota secundò his modis eatenus testamentum infirmari, quatenus deletum vel inductum est, cetera salua manere; adeo vt deleta sola heredis institutione, legata nihilominùs debeantur, nisi testator vo-
5 luerit totum testamentum infirmare. d. l. pen. ¶ Nota tertiò, vt consultò à testatore deleta vel inducta non debentur, ita superscripta, id est supra versus adiecta deberi, si testatoris voluntate scripta sint. C. de testam. l. si vnus. 12. §. 1.

V. *De heredibus instituendis.*

1 IN successione testamentaria testator, termini à quo: heres, termini ad quem: testamentum, medij rationem habet: quoniam hereditas à testatore ad heredem per testamentum & aditionem ex testamento transit, cùm igitur de testatore, ac testamento, dictum sit: con-
2 sequenter de heredibus instituendis agitur. ¶ Heredis institutio est vltima voluntas, quâ testator suam hereditatem alicui post mortem suam iure directo de-
3 fert. ¶ Est autem adeo cum testamẽto connexa, eíque essentialis, vt nec dari ab homine hereditas extra testamentum possit. C. de iu. Codicill. l. pen. Instit. eod. §. pen. & C. de pact. l. pactum quod dotali. 15. nec testamentum sine heredis institutione consistat. ff. tit. prox. l. pen. vers. Calpurnius, quæ dicitur esse caput & fundamentum testamenti. Instit. de legat. §. ante heredis. Quocirca vbi heredis institutio est, non possumus vocare codicillos, sed testamentum. ff. de codicill. l.
4 penult. & C. de testam. l. non codicillum. 14. ¶ Heredis institutio diuiditur in institutionem propriè dictam, & substitutionem. Nam si institutionis verbum latè accipiatur, etiam substitutionem complectitur. ff. tit. prox. l. si pater filio. 9. l. si mater. 33. §. 1. l. potest. 36. in princ. & ff. de libe. & postum. l. Gallus. 29. si verò anguste & propriè sumatur, à substitutione se-
5 iungitur. ff. eod. l. 1. in princ. ¶ Institutio propriè dicta
6 est, quæ fit primo gradu. d. l. 1. in princ. ¶ Nota primò gradum in testamento à loco differre: quia gradus sumitur ab ordine successionis, locus ab ordine scripturæ. Qui igitur primus & ante alios ad successionem vocatur, dicitur esse heres primo gradu institutus, licèt secundo loco heres scriptus sit. verbi gratiâ si testamentum ita sit conceptum: *Si Mæuius heres non erit, Titius heres esto: Mæuius heres esto:* non est dubitandum, quin Mæuius sit primo gradu institutus, licèt sit institutus secundo loco, id est, post Titium. l. si ita quis. 38.
7 & ff. tit. prox. l. 2. §. sed si quis ita. & §. seq. ¶ Nota secundò heredem esse aut suum, aut necessarium, aut extraneum, vt explicatur Instit. de hered. qual. & dif-
8 fer. ¶ Nota tertiò in heredibus extraneis hoc requiri, vt sit cum eis testamenti factio, id est, vt possint heredes instituí, vt enim in testatore testamenti factionem actiuam, ita in herede passiuam exigimus, idque tribus temporibus, videlicèt facti testamenti, mortis testatoris, & aditæ hereditatis, mediorum verò temporum ratio non habetur. l. 6. §. solemus. l. si alienum.
49. §. 1. & Instit. de hered. qual. §. in extraneis. ¶ Nota 9
quartò institui posse tam liberos homines, quàm seruos proprios, vel alienos. l. 3. l. non minùs. 31. & Instit. eod. in princ. ¶ Nota quintò cum seruis alienis testa- 10
menti factionem esse ex persona dominorum: adeo vt extranei seruus ita demum institui possit, si dominus eius possit. d. l. si alienum. 49. §. 1. & Instit. de hered. qual. d. §. in extraneis. ¶ Nota sextò Testatorem posse, 11
vel vnum vel plures, quotcumque velit, heredes facere. Instit. h. t. §. & vnum. ¶ Nota septimò cùm plures 12
heredes instituuntur, eos fieri heredes ex partibus æqualibus, nisi testator partes inæquales attribuerit. Instit. eod. §. si plures. ¶ Nota octauò hereditatem 13
plerumq; diuidi in duodecim vncias. l. seruum meum. 50. §. vlt. & Instit. eod. §. hereditas, vbi hanc partitionem exposui. ¶ Hæc dicta sint de institutione primi 14
gradus: consequenter dicendum de substitutionibus, quæ secundo, vel vlteriori gradu fiunt.

VI. *De vulgari, & pupillari substitutione.*

SVbstitutionis verbum latissimè patet. substitui 1
namque dicuntur iudices. ff. iudic. solu. l. pen. tutores. ff. de administr. tut. l. tutores. 39. §. in eum. arbores. ff. de vsufru. l. arbores. 59. in princ. & ff. de iu. fis. l. in fraudem. 45. §. pen. & Instit. de rer. diuis. §. sed si gregis. pecora. ff. de vsufr. l. vel inutilium. 69. & ff. de legat. 3. l. si grege. 12. Sed in præsentia substituendi verbum coarctatur ad vltimas voluntates. ¶ Immò cùm sub- 2
stitutiones fiant in hereditatibus, fideicommissis, legatis, & mortis causâ donationibus. ff. de legat. 3. l. vt heredib. 50. in princ. & C. de caduc. toll. l. vn. §. fin autem. nunc de iis solis substitutionibus tractatur, quæ in hereditatibus fiunt. ¶ Præterea cùm substitutio, 3
quæ fit in hereditatibus, aut sit directa, aut precaria seu fideicommissaria. C. de fideicommiss. l. eam quam. 14. hoc loco de directa tantùm agitur. ¶ Inter directam 4
& precariam sunt multæ differentiæ. I. Directa valet ipso iure: præcaria valet per fideicommissum. ff. de testam. milit. l. quærebatur. 19. in fin. princ. id est, heres iure directo accipit hereditatem per se, non ab alio: fideicõmissarius verò accipit de manu heredis. II. Directa fit verbis directis, veluti, *Si Titius heres non erit, Seius heres esto.* precaria seu fideicommissaria fit verbis precariis, veluti, *Rogo te Titi, vt cùm morieris, hereditatem meam Seio restituas.* Verba directa vocãtur. C. de testam. l. quoniam. 15. & de fideicomm. d. l. eam quam. & de testam. manum. l. directis. 16. vel verba ciuilia. l. 7. vel legitima. C. de testam. tut. l. vlt. & de testam. manum. l. pen. vel solemnia vel imperatiua. d. l. quoniam. sunt enim verba imperatiui modi, vt, *heres esto.* Precaria verò sunt, quæ in indicatiuo modo efferuntur, vt *volo, mando, peto, rogo.* C. commu. de legat. l. 2. Instit. de singul. reb. per fideicomm. §. vlt. quæ etiam vocantur inflexa. d. l. quoniam. Sed hodie etiam verba indicatiua habent vim directorum, si modò constet hanc esse testatoris voluntatem, vt aliquid recta via ad honoratum perueniat, non de manu alterius cãpiat. d. l. quoniam. Iustinianus quoque in d. l. 2. verbum *iubeo*, licèt non sit imperatiuũ, sed indicatiuum, tamen appellat directum. III. Per substitutionem directam substitutus fit verus heres: per fideicommissariam verò non fit heres, sed habetur quodammodo loco heredis. Instit. de fideicommiss. hered. §. restituta. vnde substitutus propriè loquendo distinguitur à fideicommissario, & substitutio à fideicommisso ac restitutione fideicommissaria. ff. de administr. tut. l. tutores. 39. §. heres. & ff. ad Trebell. l. 6.

§. pen.

BIU Cujas

§.pen.& C.de Instituit.& substit.& restitut.sub condi.
5 fact.in rubr. ¶ Substitutio directa, de qua nunc loquimur,nihil aliud est,quàm secūdi heredis institutio. l. ex facto. 43.§. Lucius. vel,secundo vlterioríve gradu facta institutio. l. 1. in princ. Nam testator quotcumque gradus heredum velit, facere potest.l.potest. 36.& Instit.de vulga.substit.in pr. Nihil refert, vtrùm secundi tantum mentionem facias, an etiam vlteriores exprimas: quia vlteriores, nisi expresse dicantur, tacitè sub secundo continentur: vt secundarum nuptiarum appellatione omnes significantur, quæ post primas contrahuntur, siue sint secundæ, siue tertiæ, siue quartæ, siue vlteriores. C.de secund.nupt.in rubr.
6 ¶ Omnis substitutio in aliquem casum fit. Casus est incertus euētus,in quem substitutio essentialiter confertur, veluti si in testamento scriptum sit, *Si Titius heres non erit, Seius heres esto:* Seius est substitutus in eum casum, quo Titius heres non erit. Ac modò vocatur casus.l.4.& C.de impub. & aliis substitut.l. precibus.8.modò euentus.d.l.4. §.vlt. modò causa. l.cùm ex filio.39. §.1. Dixi *essentialiter,* vt excluderem conditiones extrinsecùs substitutionibus adiectas, veluti *Si nauis ex Asia venerit, Si Titius consul fuerit,* de quibus
7 seq. titulo dicetur. ¶ Porrò casus generales duo sunt. vnus, *si heres non erit:* alter, *si decesserit.* sed hic subdiuiditur in tres: videlicèt, *si decesserit in pupillari ætate, si decesserit antequam mentis compos fiat, si decesserit post ætatem pupillarem.* Quare sunt omnino quatuor casus:primus, *si heres non erit:* secundus, *si in ætate pupillari decesserit,* vel, *si ante decesserit quàm in suam tutelam venerit:* tertius, *si in furore,* vel, *si antequàm mentis compos fiat, decesserit:* quartus, *si post pubertatem quandocumque decesserit,* vel, *si prius decesserit, quàm ad iustam & perfectam*
8 *ætatem peruenerit.* ¶ Substitutio est aut simplex, aut duplex. l.1.§.1. Duplicis appellatione intellige etiam triplicem, & quadruplicem, & omnino multiplicem, id est, siue duas substitutiones contineat, siue tres, siue plures: vt suprà appellatione secundi gradus, tacitè continebantur etiā tertius & quartus & vlteriores.
9 ¶ Simplex substitutio diuiditur in vulgarem, pupillarem, quasi pupillarem seu Iustinianeam, quam vulgò vocant exemplarem,& militarem. nam qui substituit,aut sibi,aut alteri heredem facit. sibi duobus modis, id est, vel *si primus heres non erit,* & est substitutio vulgaris:vel, *si heres erit, & postea heres esse desierit,* & est militaris: quia tantùm milites ex speciali priuilegio possunt ita substituere.4. l.centuria.15. Alteri substituitur, id est, ei qui non potest facere testamentum, vel propter ætatem,& est substitutio pupillaris.Instit. de pupil.substitut.in princ. vers.vlt. vel propter animi vitium, & est substitutio quasi pupillaris seu Iustinianea seu exemplaris. C. de impub. l. humanitatis. 9. Substitutio igitur vulgaris est, quæ fit in primum casum, veluti, *Si Titius heres non erit, Seius heres esto.* C.cod. l.precibus.8.& Instit.de vulga.substit. in pr. Pupillaris est, quæ fit in secundum casum, veluti, *Si filius meus in ætate pupillari decesserit, Seius heres esto.* d.l.precib.& Insti. de pupill. substitut.in pr. Iustinianea seu quasi pupillaris, seu exēplaris est, quæ fit in tertium casum, veluti, *Si filius meus in furore decesserit, Seius heres esto.* d.l.humanitatis. Militaris est, quæ fit in tertium casum, veluti, *Quandocumque Titius heres meus decesserit, Seius heres*
10 *esto.* d. l.centurio. & d. l. precibus. ¶ Operæ pretium est, has substitutiones inter se conferre. I. Vulgariter quilibet cuius substituit:pupillariter substituunt tantùm parentes, qui in potestate habent, liberis suis impuberibus in alterius potestatem non recasuris. l. 2. in princ.& Institut.de pupilla. substit. in princ.quasi pupillariter substituunt solùm parentes liberis furiosis vel mente captis, siue eos in potestate habeant, siue non. d. l. humanitatis. militariter substituunt tantùm milites ex speciali(vt dixi)priuilegio. d.l. centurio. & d. l. precibus. II. Vulgariter substituere nemo potest, nisi ei,quem heredem instituit. pupillariter substituitur etiam exheredato, dummodò testator sibi quoque aliquem heredem instituat.l. 1.§.pen.& vlt.& Institut. de pupill.substit.§.non solum.& §.seq.quasi pupillariter ei tantum substituitur, cui legitima portio relicta est. d. l. humanitatis. miles verò substituit filio suo, etiamsi neminem sibi heredem fecerit. ĩ. de testam. milit.l.miles ita.41.§.vlt. III. Quasi pupillariter certæ personæ,si extent,substitui debent,vt liberi,vel fratres ipsius furiosi seu mente capti. d. l. humanitatis. aliis modis quiuis substitui potest, etiam pupillari substitutione.l. 1.§. penult. IV. Ex substitutione pupillari & quasi pupillari, succeditur pupillo vel mente capto, cui substituitur: ex vulgari & militari succeditur testatori substituenti.d.l.centurio, & d.l.precibus.& Instit.de pupill.substit.in prin. V. Vulgaris dicitur,quia vulgò & passim fieri potest, & inter quascumque personas locum habet, pupillaris, quia fit pupillo. quasi pupillaris,quia fit quasi pupillo,id est,furioso vel mente capto.vt enim scribit Aristot. I.Ethico.nihil refert, vtrum quis ætate an moribus puer sit. eadem dicitur exemplaris & Iustinianea, quia exemplo pupillaris à Iustiniano est introducta,d.l.humanitatis. militaris dicitur, quia fit à milite. Hæc dicta sint de substitutione simplici. ¶ Multiplex substitutio vel est ab vno la- 11
tere, vel reciproca. Ab vno latere fit tribus modis.vel enim duo casus exprimuntur, veluti, *Titius filius meus heres esto: si Titius filius meus heres non erit, aut heres erit, & in pupillari ætate decesserit, Seius heres esto:* vel alter exprimitur, alter tacitè subauditur, secundum regulam iuris, quòd vulgaris expressa continet tacitam pupillarem, & expressa pupillaris tacitam vulgarem: vel neuter casus exprimitur, sed generali verbo substitutio fit, veluti, *Titio pupillo meo Seium substituo.* ¶ Reci- 12
proca similiter tribus modis fit.aut enim vtrinque casus exprimuntur, veluti, *Titius & Seius heredes sunto. Si Titius heres non erit, Seius heres esto. Si Seius heres non erit, Titius heres esto.* aut ab vna tantùm parte, veluti, *Si Titius heres non erit, Seius heres esto. Seio Titium substituo.* aut à neutra parte, veluti, *Titium & Seium inuicem substituo.* l.4. l. cùm in testamento. 37. §.1. ¶ Nota in 13
hac rubr. tātùm proponi vulgarem & pupillarem substitutionem: quoniam quasi pupillaris vel omittitur tamquam hoc iure incognita: vel sub pupillari continetur; quemadmodum appellatione Seruianæ actionis sæpe continetur etiam quasi Seruiana. Militaris autem pertinet ad tit. ĩ. de testam. milit. Ceterum in Codice latiùs concipitur tit.de impuberum & aliis substitutionibus. Nos putauimus non posse substitutionum materiam pro nostro instituto commodè ac plenè explicari, nisi omnia substitutionum genera simul exponerentur: nunc ad conditiones, quæ tam institutionibus, quàm substitutionibus accidunt, enarrandas transgrediamur. Nam dies institutioni heredis frustra adiicitur: &, si adiiciatur, pro non scripto habetur l. hereditas ex die.34. & Institut.eod. §.heres & purè.

VII. *De conditionibus institutionum.*

COnditionis verbum quinque modis accipitur. 1
I. Pro adiectione,quæ actum ob incertum euentum suspendit, vt hîc, & ĩ. de condit. & demonstr. & permultis aliis locis. II. Pro pacto seu lege contra-

BIU Cujas

ctus, vt §. de contrah. empt. l. 6. §. vlt. & de actio. emp. l. ex empto. 11. §. denique & C. de pact. l. 7. & de condict. ob cau. l. 3. & de vsur. l. cùm allegas. 15. & de rescind. vendit. l. ea conditione. 14. & sine cen. vel rel. l. 2. & de pact. int. empt. l. 2. III. Pro statu personæ. Institut. de iu. person. §. vltim. IV. Pro qualitate & iure personæ. §. de statu homin. l. in multis. 9. & de iudic. l. nonnunquam. 72. & de vsufr. l. sed si quid 15. & de hered. instit. l. 6. §. 1. vel rei, vt matrimonij. §. de iudici. l. exigere. 65, & de ri. nupt. l. capite. 19. l. tutor. 36. V. Pro optione siue electione. D. de inoff. testam. l. Papinianus. 8. §. si quis & irritum. ¶ Conditio in prima significatione, de qua sola sermo institutus est, nihil aliud est, quam adiectio præter subiecti essentiam, actum ob incertum futurum euentum suspendens, ita vt eâ impletâ actus valeat, deficiente reddatur inutilis. Dixi *adiectio*: quoniam conditio actui adiungitur. vtputà *si nauis ex Asia venerit, Titius heres esto*: hæc verba, *Titius heres esto*, faciunt institutionem, sed hæc verba adiecta, *si nauis ex Asia venerit*, reddunt institutionem conditionalem. Dixi *præter subiecti essentiam*: quia conditio actui essentialis, non est vera conditio, nec reddit actum conditionalem. verbi gratiâ, hæc institutio est pura, *Si moriar, Titius heres esto*. & hæc substitutio est pura, *Si filius meus in ætate pupillari decesserit, Titius heres esto*. §. tit. prox. l. qui liberis. 8. Idémque in legatis obtinet. exempli causâ, hoc legatum est purum, *Si Titius heres erit*, aut *si hereditatem adierit, Seio decem dato*. §. de legat. j. l. 3. & de condit. & demonstr. l. aliquando. 107. Dixi *actum*, vtens generali verbo: quia conditiones tam vltimis voluntatibus apponi possunt, vt hoc tit. & §. de condit. & demonstr. & C. de instit. & substit. & restit. sub condit. fact. quàm actibus inter viuos. §. de reb. cred. l. 7. & 8. & §. de oblig. & actio. l. obligationum ferè. 44. cum sim. Dixi *suspendens ob incertum futurum euentum*: quia conditio in præsens vel præteritum tempus collata, veluti, *si Rex Parthorum viuit, Si Titius consul fuit*, quoniam actum non suspendit, non est vera conditio: sed tum demum vera conditio est, cùm actum suspendit, quia in futurum confertur, veluti, *Si nauis ex Asia venerit. Si Titius consul erit*. l. institutio. 10. §. 1. & §. de reb. cred. l. cùm ad præsens. 37. & ll. seqq. & §. de verbor. obligat. l. conditio. 100. & Instit. eod. §. pen. Item cõditio necessaria, veluti. *Si sol orietur*, vel impossibilis, veluti *Si Titius cœlum digito tetigerit*, non est vera conditio, quia actum non suspendit. §. eod. l. 7. & 8. Dixi, *ita vt ea impleta* &c. quoniam hic est conditionis & suspensionis effectus. l. ei qui ita. 13. Sed notan tum, cõditionem interdum pro impleta haberi,
3 quæ impleta nõ est, vt posterius docebo. ¶ Conditio ad futuru tempus relata diuidi multis modis potest. I. In simplicem, veluti *Si Titius consul fiet*: & coniunctam, veluti *si Titius consul fiet, ac nauis ex Asia veniet*: & alternatam seu disiunctiuam, veluti *Si Titius consul erit, aut nauis ex Asia venerit*. l. 5. & Instit. de hered. instit. §. pen. II. In conditionem facti, & conditionem iuris. Conditio facti est, quæ, nisi ex facto & voluntate testatoris adiiciatur, inesse non intelligitur: veluti, *si nauis ex Asia venerit, si Titius consul factus fuerit*. Conditio iuris est, quæ si à testatore non adiiciatur, vi & potestate iuris inest, veluti vt heres suo arbitrio hereditatem adeat *si sui iuris sit*. §. de condit. & demonstrat. l. multùm interest. 21. Facti conditio subdiuiditur in affirmatiuam, veluti *si Titius consul erit*: & negatiuam, veluti *si Titius consul non erit: si cœlum digito non tetigerit*. §. de condit. & demonstr. l. quoties. 22. & de verb. oblig. l. 7. & Instit. eod. §. sub conditione. Vtraque est tripertita: nam affirmatiua est, vt quid detur, vel vt quid fiat, vel vt quid obtingat: & similiter negatiua, ne detur, ne fiat, ne obtingat. §. de condit. & demonstr. l. in facto. 60. in pr. III. In conditionem possibilem, quæ sola est vera conditio, vt suprà docui, veluti *si Titius consul erit, si nauis ex Asia venerit*: & necessariã veluti *si sol cras orietur*: & impossibilẽ, veluti *si Titius cœlum digito tetigerit*. §. de verb. oblig. l. 7. ¶ Possibilis subdi- 4
uiditur: I. Quia vel viuo tantùm testatore impleri potest, veluti *si mihi nupserit*: vel tantùm eo mortuo, veluti *si ad exequias meas venerit*: vel vtroque tempore, veluti *si nauis ex Asia venerit*. §. de condit. & demonstr. l. conditionum. 91. & C. de instit. & substit. sub cond. fac. l. 7. II. Quia vel certo tempore definitur, veluti *si ad exequias meas venerit*: vel infinitum tempus respicit, veluti *si filio meo nupserit*. d. l. conditionum. III. In causalem seu fortuitam, cuius euentus à casu & fortuna pendet, veluti *si nauis ex Asia venerit*: & potestatiuam siue arbitrariam, (hæc in l. si iam facta. 11. §. 1. §. de condit. & demonstr. vocatur promiscua.) cuius euentus à voluntate personæ honoratæ pendet, veluti *Titius si in capitolium ascenderit, heres esto*: & mixtam, veluti *si Mæuiam vxorem duxerit*. C. de caduc. toll. l. vn. §. sed hæc omnia. ¶ Potestatiua subdiuiditur in tria 5
genera: quia vel in dando consistit, veluti *si decem Mæuio dederit*: vel in faciendo, veluti *si in capitolium ascenderit*. §. ad Trebell. l. si cui purè. 31. §. vltim. & de solut. l. seruus decem. 68. vel mixta est, quæ simul dationem & factum continet, veluti *si rationes reddiderit*: quia hæc conditio, quod ad volumina tradenda & rationes examinandas attinet, factum in se habet: quod verò ad reliqua soluenda, in dando consistit. §. de condit. & demonstr. l. cùm seruus. 82. & de statulib. l. 6. §. vlt. ¶ Impossibilis dicitur, I. Et propriè, 6
cui natura impedimento est, quominùs existat, veluti *si cœlum digito tetigerit*. Instit. de inutil. stipul. §. si impossibilis. II. Quæ est contra ius, vel bonos mores, veluti *si hominem occiderit, si nudus in foro ambulauerit*, quoniam ea intelligimur facere posse, quæ iure & honestè facere possumus. l. filius. 15. III. Quæ est perplexa, id est, ex duabus conditionibus composita, quarum vtraque per se est possibilis, sed ipsæ sibi mutuò officiunt, veluti *Si Titius heres erit, Mæuius heres esto. si Mæuius heres erit, Titius heres esto*. l. si Titius. 16. Quæ verò ab eo qui honoratur, impleri non potest, si secundum naturam sit possibilis, veluti *si centies centena milia coronatorum dederit*, non connumeratur inter impossibiles, sed dicitur esse penè impossibilis. §. de statulib. l. 4. §. 1. ¶ Definitione & diuisione conditionis exposi- 7
tis, notentur sequentes regulæ. I. Inter *si* & *cum*, nulla est in effectu differentia: veluti, *si consul erit*, &, *cùm consul erit*. nam illo modo per conditionem significatur tempus: hoc modo per tempus significatur conditio. §. de condict. indeb. l. qui promisit. 48. & §. de verb. oblig. l. quodcumque. 45. §. penul. & hinc dictum est, diem incertum facere conditionem. §. de condit. & demonstr. l. si Titio. 22. in prine. II. In conditionibus voluntas testatoris præcipuum locum obtinet, ac dominatur. §. eod. l. in conditionibus. 19. III. Conditio institutioni adiecta, non censetur in substitutione tacitè repetita. §. de heredib. instit. l. sub conditione. 73. IV. Si hereditas sub conditione adimatur, sub contraria conditione dari intelligitur. l. pen. in fin. & §. de condit. & demonstr. l. aliquando. 107. V. Si conditio ad præsens, vel ad præteritum tempus relata, vera sit: institutio, tamquam purè facta, valet. si falsa sit, institutio est inutilis. l. institutio. 10. §. 1. & §. de iniust. rupt. l. cum in secundo. 16. VI. Si conditio in futurum collata,

collata, sit possibilis, iusta, & honesta: deficiens reddit institutionem inutilem, etiamsi sit heredi instituto impossibilis, quia sufficit eam esse naturâ, & iure possibilem, vt relictum nisi eâ impletâ non debeatur. ĩ. de statulib. d. l. 4. §. 1. existens verò non facit heredem, sed facit vt hereditatem acquirere possit, perinde ac si purè heres scriptus fuisset. l. ei qui ita. 13. & l. si pupillus. 26. VII. Si conditio ad futurum relata, sit impossibilis, vel iniusta, vel turpis: non vitiat institutionem, quemadmodum nec legatum, nec aliam vltimam voluntatem: sed ipsa vitiatur, adeo vt perinde sit, ac si voluntas pura esset. l. 1. l. 6. l. conditiones quæ. 9. l. conditiones contra. 14. & l. seq. & s̃. de hered. instit. l. seruum meum. 50. §. 1. & ĩ. de condit. & demonstr. l. 3. l. 6. in fin. l. non dubitamus. 20. & Instit. de hered. instit. §. impossibilis. Sed etsi non sola, sed cum altera conditione possibili sit adscripta: nihilominùs pro non scripta habetur, adeo vt tantùm conditio possibilis inspiciatur. l. si Mæuia. 45. Alia est ratio contractuum; quibus si conditio impossibilis adiiciatur, eos vitiat: quia non est tantus fauor contractuum, quantus vltimarum voluntatum. ĩ. de oblig. & act. l. 1. §. item sub impossibili. l. non solùm. 31. & Instit. de inutil. stipul. §. si impossibilis. Captatoria tamen conditio vitiat vltimam voluntatem. Est autem captatoria, qua quis alienam hereditatem captat, id est, quæ in futurum confertur, veluti, *Si me heredem scripserit, heres esto.* s̃. de hered. instit. l. captatorias. 70. & l. seq. l. Clemens. 81. §. 1. VIII. Conditionum perplexitas inutilem institutionem reddit. l. si Titius. 16. IX. Conditio institutioni heredis adiici in codicillis non potest: quia in defectum conditionis hereditas adimeretur: quod in codicillis fieri nequit. l. penult. §. 1. & Instit. de codicill. §. penult. X. Conditio, *si volet*, adiecta institutioni heredis necessarij, facit institutionem conditionalem, & ex necessario facit heredem voluntarium. institutioni autem heredis extranei frustra adiungitur; quia nullum effectum habet. l. verba. 12. XI. Suus heres sub alia quam potestatiua conditione instituì nequit. s̃. de hered. instit. l. 4. 5. 6. in princ. l. iam dubitari. 86. & C. de instit. & substitut. sub condit. fact. l. 4. XII. Institutio in arbitrium tertij collata expressè non valet, veluti, *si Titius volet Seius heres esto*: tacitè valet, veluti, *si Titius in Capitolium adscenderit, Seius heres esto.* s̃. de hered. instit. l. si quis Sempronium. 68. & ĩ. de condit. & demonstr. l. nonnumquam. 52. XIII. Mutata orationis qualitate fit conditio necessaria ex impossibili, vel impossibilis ex necessaria. nam si hæc conditio (exempli gratiâ) est impossibilis, *si cœlum digito tetigerit*: hæc est necessaria, si non tetigerit: &, si hæc est necessaria, *si Sol cras orietur*: hæc est impossibilis, *si Sol non orietur.* ĩ. de verb. oblig. l. 7. XIV. Si duæ conditiones coniunctim adscriptæ sint, veluti *si Titius consulerit, & nauis ex Asia venerit*, vtramque impleri oportet. at si disiunctim, veluti *Si Titius consulerit, aut nauis ex Asia venerit*, alterutram impleri sufficit. Institut. de heredib. instit. §. pen. nisi conditiones contrariæ sint; tunc enim voluntas est pura, veluti, *siue nauis ex Asia venerit, siue non venerit.* s̃. de peric. & commo. rei vend. l. necessariò. 8. §. 1. XV. Si idem in eodem testamento purè & sub conditione heres instituatur: institutio pura prævalet, adeo vt conditionalis non valeat. s̃. de heredib. instit. l. si te. 27. §. 1. l. si ita scriptum. 67. nisi ex alia parte purè, ex alia sub conditione sit institutus. l. liber homo. 59. §. Titius ex semisse. XVI. Si plures institutiones ex eadem parte sub diuersis conditionibus fiant: conditio, quæ prior existit, institutionem occupat, adeo vt non sit opus alterius cõditionis implementum expectare. l. si plures. 17. & s̃. de hered. instit. d. l. si te. §. vlt. XVII. Conditio dandi non impletur, nisi ei detur, qui in conditione positus est, verbi gratiâ institutus sub conditione *si Sticho decem dederit*, non implet conditionem, si domino Stichi det sine ipsius Stichi voluntate. ĩ. de condit. & demonstr. l. qui heredi. 44. in princ. & de solut. l. Stichum. 95. §. nam si furioso. & contrà institutus sub conditione *si decem Seio dederit*, Sticho Seij Seruo dans non implet conditionem, nisi aut consentiente Seio dederit. d. l. qui heredi. §. contrà. aut seruo det vt domino reddat, ac seruus in rem domini verterit. quemadmodum & conditio dandi pupillo vel furioso, non impletur dando tutori vel curatori, nisi in rem pupilli seu furiosi verterit. d. l. Stichum. §. nam si furiosus. XVIII. Conditio, quæ in dando consistit, quatuor casibus considerari potest. aut enim vnus vni dare debet, veluti, *Titius, si Seio decem dederit, heres esto*: aut duo vni, veluti, *Titius & Mæuius, si Seio decem dederint, heredes sunto*: aut vnus duobus, veluti, *Titius, si Seio & Caio decem dederit, heres esto*: aut duo duobus, veluti, *Titius & Mæuius, si decem Seio & Caio dederint, heredes sunto.* Primo casu conditio est indiuidua: nec potest Titius partem dando, fieri heres ex parte. Secundo casu conditio est diuidua: & singuli partem dando, partem accipiunt, arg. l. cui fundus. 56. ĩ. de condit. & demonstr. Tertio casu, si vtrique dari potest, conditio indiuidua est, si vni non potest: alteri partem dare, & pro ea parte conditionem implere licebit, vt pars hereditatis accipiatur, arg. l. pen. §. 1. ĩ. eod. Quarto casu conditionem esse diuiduam, ex dictis patet. XIX. Heres institutus *si decem heredibus dederit*, tota decem debet coheredibus dare, vt conditionem impleat: quamuis si fundus vni ex heredibus sub hac conditione prælegatus sit, coheredibus pro eorum portione dabit, & partem pro sua hereditaria portione retinebit. ĩ. eod. l. qui heredi. 44. §. vltim. XX. Facti conditio, veluti *si Romam iuerit, Si insulam ædificauerit*, omnino est indiuidua. ĩ. eod. l. pen. in pr. & s̃. de legat. iij. l. fideicommissa. 11. §. si in opere. & §. seq. XXI. Conditio mixta, quæ partim est in potestate personæ honoratæ, partim in eius potestate non est, quotiescumque non per eum stat qui sub conditione institutus est quominus conditio impleatur, sed per alterum, pro impleta habetur, veluti si quis institutus sit sub conditione *si decem Titio dederit*, ac Titius nolit accipere: vel sub conditione *si Seiam vxorem duxerit*, & Seia nubere nolit. l. 3. l. si quis. 11. l. vter. 23. & C. de instit. & substit. sub condit. fact. l. 1. quod & in legatis obtinet. ĩ. de condit. & demonstr. l. Titius. 14. l. iure ciuili. 24. & l. cùm pupillus. 78. in pr. secus est, si per heredem institutum stet quominùs conditionem impleat. ĩ. eod. l. Iulius Paulus. 81. in fi. & C. de instit. & substit. sub condit. fact. l. 2. XXII. Si iam factum est, quod conditionis loco ponitur: sic distinguitur: Aut testator ignorauit, aut sciuit. & si sciuit: aut id potest iterum fieri, veluti, *si nauis ex Asia venerit, si nupserit*: aut est eiusmodi, vt semel tantùm fieri possit, veluti, *cùm pubes erit.* Primo & tertio casu conditio pro impleta habetur. Secundo casu expectandum est, donec iterum impleatur. ĩ. de condit. & demonstr. l. hæc conditio. 10. §. 1. & l. seq. & l. si ita legatum. 68. XXIII. Regulariter conditio debet præcisè impleri, idcirco faciendi conditio non impletur dando vt fiat verbi gratiâ heres institutus *si opus in municipio fecerit*, non debet pecuniam municipibus dare vt opus faciant, sed debet opus facere. s̃. de legat. iij. l. fideicommissa. 11. §. vlt. Interdum tamen impletur per æquiualens, quod receptum est vel ob præsum-

BIU Cujas

ptam testatoris voluntatem, vt hæc conditio, *si emancipatus fuerit*, impleta intelligitur, si alio modo quam emancipatione, putà si morte patris factus sit sui iuris. C. de instit. & substit. sub condit. fact. l. 3. vel dispositione iuris: vt institutus sub conditione *si iurauerit se daturum*, vel *facturum*, non debet eam implere iurando, sed dando, vel faciendo. l. quæ sub conditione. 8. §. quoties & institutus sub conditione (idem in legatariis obtinet *(si in capitolium non adscenderit*, non potest aliter conditionem implere, quàm cauendo se non adscensurum, quæ cautio à Mucio auctore vocatur Muciana. Debet autem cauere heredi; proinde si coheredem non habeat, sed solus sit heres institutus, sub impossibili conditione institutus videtur. Et si caueat, deinde contrà fecerit, in stipulationem committet, ac rem vel æstimationem restituet. l. 4. §. 1. & j. de condit. & demonstr. l. 7. l. is cui. 18. l. cùm sub hac. 67. l. Titio. 73. fructus quoque restituet. j. eod. l. heres meus. 79. §. qui post. Sed hæc cautio non præstatur quandiu alia conditio simul adscripta pendet. Finge Titium heredem institutum *si nauis ex Asia venerit, & in* Capitolium non ascenderit: antequam nauis veniat, ad cautionem præstandam non admittitur. j. eod. l. auia. 77. §. 1.

VIII. *De iure deliberandi.*

TRactanti de conditionibus institutionum & substitutionum, non est omittenda cõditio illa substitutionum propria, *Si primus heres intra certum tempus non adierit hereditatem.* j. de acquir. hered. l. si quis heres ita. 62. hac enim ratione testator primo heredi tempus ad deliberandum de adeunda vel omittenda siue repudianda hereditate præstituit, ac post illud tempus eum excludit, substitutúmque admittit. Ferè autem solebant testatores præscribere centum dies vel vtiles, vel continuos, teste Vlpia. tit. 22. qui heredes instituipossint. Sed si testator hoc prætermiserit: is qui iurisdictioni præest, ex edicto prætoris tempus heredi præstituet, non minus centum dierum. l. 1. §. 1. & 2. & l. seq. & vel semel tantum, vel ex magna causa etiam hoc iterum concedit, si appareat prius non sufficisse. l. 3. & 4. quia cùm hereditas tam commoda quàm onera obtineat, & interdum lucrosa sit. Instit. de auctor. tut. §. 1. interdum damnosa. s. solu. matrim. l. quæ dotis. 33. non est heres cogendus, vt temere & præcipiti consilio hereditatem accipiat, vel amittat. Nouissimè Iustinianus constituit, vt non amplius nouem mensibus à iudice, nec vltra annum à principe heres impetrare deliberandi causâ possit. C. h. tit. l. vlt. §. sed quia. & vt intra hoc tempus ius deliberandi non solùm heredi scripto vel legitimo competat, sed etiam ad eius successorem eo intra deliberandi tempus moriente transferatur. C. eod. l. cùm in antiquioribus. 19. & vt heres omne periculum vitet, si rerum hereditariarum inuentarium fecerit ex præscripto. d. l. vlt.

LIBER XXIX.

TITVLVS I.

De testamento militis.

POSTQVAM egit de testamentis paganorum cõdendis, in quibus diximus spectari testatorem, heredem, & ipsum testamentum: seorsum agit de testamentis militum, qui in his tribus partibus reperiuntur habere propria iura, & propria priuilegia. l. 2. I. Circa personam testantis: vt quia mutus & surdus indistinctè potest facere testamentum. l. 4. & Instit. eod. §. quinimmo. nec non filiusfamilias. Instit. eod. Vers. sed testari. & quib. non est perm. fac. testam. in princ. Item ex militari delicto capite damnatus. l. ex militari. 11. in pr. II. Circa testamentum; quia non solùm iure communi, sed etiam iure militari omissis solemnitatibus regulariter requisitis miles testari potest. l. 1. 3. 4. & d. l. ex militari. & Instit. eod. in princ. nempe cum in castris degunt, & in expeditione testantur. C. eod. l. pen. & Instit. eod. in princ. & §. sed hactenus. item potest pro parte testatus, pro parte intestatus decedere. l. miles. ita. 41. in princ. & de heredib. instit. §. hereditas. vers. neque enim. Præterea silentium eius non ignorantis se habere liberos, pro exheredatione habetur. C. h. t. l. sicut. 9. & l. seq. & Instit. de exhe. lib. §. vlt. & eius testamentum de peculio castrensi factum non subiacet quærelæ inofficiosi. C. de inoffic. testam. l. vlt. §. 1. & 2. III. Circa heredem instituendum, vel substituendum: quia potest heredes instituere etiam deportatos, & ferè omnes, qui testamenti factionem non habent. l. idem est. 13. §. & deportati & heredem facere ex certo tempore, vel ad certum tempus. d. l. miles ita. in princ. & substituere etiam ei qui heres extitit, etiam si post pubertatem decesserit. l. 5. vt docui. s. tit. de vulga. & pupill. substit. cùm agerem de militari substitutione.

II. *De acquirenda, vel omittenda hereditate.*

PErpurgata quæstione an testamentum valeat, iam de effectu testamenti, quod iure subsistit, videndum est. Hic duæ diuisiones occurrunt. ¶ Prima diuisio est, quòd heres aut acquirit hereditatem ex testamento sibi delatam, aut omnino omittit, aut omissa hereditate sibi testamento delata, succedit ab intestato, vel quouis alio modo possidet hereditatem. Acquirit hereditatem extraneus adeundo, vel pro herede gerendo: Instit. de hered. qual. §. extraneis. & §. seq. Suus heres ipso iure, si ad ius ciuile respicias. s. de libe. & postum. l. in suis. 11. & Instit. de hered. qual. §. sui autem vel immixtione, si spectes ius prætorium. d. §. extraneis. Pro herede gerit, qui aliquid facit quasi heres. l. pro herede. 20. in princ. vel qui animo adgnoscit successionem, licèt nihil attingat hereditarium. l. gerit. 86. & Instit. de her. qual. §. vlt. Se immiscere dicitur, qui id facit, quo facto, nisi suus esset, pro herede gerere diceretur. l. eum bonis. 87. in princ. Omissio diuiditur in omissionem propriè dictam, repudiationem, & abstentionem. Omittit propriè suus vel extraneus, qui tempore excluditur: repudiat extraneus, qui profitetur se nolle fieri heredem. abstinet suus beneficio prætoris, cùm iure ciuili sit heres necessarius. Instit. de hered. qual. d. §. sui autem. & d. §. extraneis. ¶ Nota primò hereditatis causam esse indiuiduam, adeo vt non possit pro parte acquiri, pro parte omitti. l. 1. & 2. ¶ Nota secundò eum qui coactus adit, fieri heredem, & egere restitutione in integrum ex tit. quod metus causa. l. si metus. 85. & s. quod met. cau. l. si mulier. 21. §. pen. nisi fallens adeat, id est, simulet se velle adire, cùm reuera nolit. l. 6. §. vltim. ¶ Nota tertiò eum non posse repudiare, qui non potest adire. l. 4. l. is potest. 18. ¶ Nota quartò impuberem omnimodo posse abstinere: puberem ita demum, si se non immiscuit. l. impuberibus. 11. ¶ Nota quintò suis quidem heredibus etiam ignorantibus, immo etiam inuitis iure ciuili hereditatem acquiri. l. furiosus. 63. & Instit. de hered. qual. §. sui autem. & de hered. quæ ab intest. §. sui autem.

1 2 3 4 5 6 7

BIU Cujas

tem heredes fiunt: sed extraneos heredes dubitantes aut ignorantes acquirere aut repudiare hereditatem non posse. scire enim debent, vtrùm ex testamento, an ab intestato hereditas sibi delata sit, & quota ex parte, & se esse heredes voluntarios. l. is qui putat. 15. & ll. seqq. l. si quis extraneus. 21. & ll. seqq. l. pater. 93. in princ.

III. *Testamenta quemadmodum aperiantur, inspiciantur, & describantur.*

1 AD acquirendam hereditatem spectat etiam discrimen lege Papia statutum inter extraneos heredes ex asse, vel ex parte. nam hereditatem clausis tabulis adire heres ex asse poterat, heres ex parte non poterat. ff. de in. & fa. ignor. l. 1. §. vlt. & ff. de condit. & demonstr. l. multum. 21. in fin. sed hæc differentia à Iustiniano sublata est, ita vt tam ex parte, quàm ex asse heres, etiam ante apertas tabulas possit adire hereditatem. C. de caduc. toll. l. vn. §. in nouissimo. Sed nihilominùs etiam hodie testamentum aperiri & publicari debet. C. de testam. l. testamenta. 18. intra tertium, aut quintum à morte diem, si Paulo credimus lib. 4. sentent. tit. 6. eiúsque inspiciendi, & describendi copia cuilibet postulanti facienda. l. 1. in princ. cùm quia de his quæ ad testamentum pertinent, neque sine iudice transigi, neque apud iudicem veritas exquiri aliter potest, quam inspectis & cognitis testamenti verbis. d. l. 1. §. 1. tum etiam quia testamenti instrumentum publicum est. l. 2. in princ. denique quia publicè interest, vltimam testatoris voluntatem ad exitum perduci. l. 5. ¶ Nota primò, nihil referre, in quacumque materia testamentum scriptum sit, d. l. 2. §. ad causam. ¶ Nota secundò, exhibendas esse tam primas, quàm secundas, id est pupillares tabulas, d. l. 2. §. ad causam. (Si tamen pupillares tabulæ seorsum signatæ sint, prætor eas aperiri nisi causâ cognitâ non patietur. l. pupillares. 8.) & si plura testamenta sint, omnia esse exhibenda. d. l. 2. §. si plura. ¶ Nota tertiò viuentis testamentum non esse aperiendum. d. l. 2. §. si dubitetur. ¶ Nota quartò testamenti inspectionem ita esse concedendam, vt legi possit. d. l. 2. §. inspectio. Sed prætor excipit diem & consulem, quos describi aut inspici non vult, ne falsi committendi occasio detur. d. l. 2. §. diem. fac. l. 1. §. editiones. vers. dié. ff. de eden. ¶ Nota quintò, si quis nolit exhibere tabulas testamenti, quas fateatur penes se esse, eum officio iudicis ad tabulas exhibendas præcisè compelli. Si neget penes se esse, conueniri posse interdicto de tabulis exhibendis. d. l. 2. §. vlt. de quo ff. lib. 43. tit. 5. quamquam ab herede actione ad exhibendum, & rei vindicatione conueniri potest. l. 3. ¶ Nota sextò, cùm tabulæ testamenti sunt aperiendæ, prætoris officium esse, vt cogat testes conuenire, & signa sua adgnoscere, vel negare se signasse. l. 4. & 5. Sed etsi non omnes adsint, dummodò maior pars signatorum sit inuenta, ipsis interuenientibus resignabitur testamentum, & recitabitur. l. 6. & si quis ex eis aberit, ad eum mittetur tabulæ, vt signum suum adgnoscat. l. 7.

2 3 4 5 6 7

IV. *Si quis omissa causa testamenti, ab intestato, vel alio modo possideat hereditatem.*

1 EX ea diuisione, quam initio tituli secundi proposui, tertium membrum superest, cùm quis omissa successione sibi ex testamento delata, hereditatem alia ratione possidet. Hoc casu sic distinguitur: Aut titulo vniuersali pro herede, vel pro possessore possidet: aut particulari, vt pro emptore, pro dote, pro donato. Qui titulo vniuersali possidet, vtili actione prætoria perinde tenetur legatariis & fideicommissariis, ac si ex testamento successionem accepisset: qua ratione prætor eius dolo occurrit, qui in fraudem legatariorum successionem sibi testamento delatam omisit. l. 1. in princ. & §. non quærimus. Hac actione tenetur etiam, qui pretio accepto hereditatem omisit, si heres non sit soluendo. l. 2. Atqui causam testamenti omisit, & vnà cum altero possidet, pro parte tenetur, nisi pecuniam accepit, vt causam testamenti omitteret: quo casu tenetur in solidum. l. si non solus. 10. in princ. Qui verò titulo particulari possidet, hac actione non tenetur. l. vlt. Exposita est prima diuisio ad effectum testamentorum pertinens.

V. *De senatusconsulto Silaniano, & Claudiano, quorum testamenta ne aperiantur.*

ALtera diuisio est, quòd hereditas vel manet penes heredem, qui eam acquisiuit, vel ei aufertur tamquam indigno. Regulariter manet: tamquàm indigno aufertur certis casibus, & certis de causis: quarum aliæ communes hereditatibus & legatis reiiciuntur in tit. ff. de his quæ vt indign. propriæ verò ipsius hereditatis sunt tres. ¶ Prima causa est, si hereditatem quis adierit, vel bonorum possessionem petierit, vel suus heres bonis se immiscuerit, priusquàm ex senatusconsultis de familia quæstio habita, ac serui noxij puniti sint. l. 3. §. non tantùm. & l. 5. Noxios intellige, qui vel necauit, vel, cùm posset, opem non tulit. l. 1. in princ. l. cùm dominus. 19. Occisum intellige vi, non clam, vt veneno clā dato. d. l. 1. §. occisor. & §§§. seqq. l. propter. 21. in princ. Non tamen eo clam occiso delictum impunitum relinquitur: sed tantùm tabularum recitatio, & hereditatis acquisitio non differtur: nihilominùs tamen quæstio habetur, & supplicium de noxiis sumitur. l. 1. §. quid ergo. & heredi defensio mortis, id est, vt crimen iudicio persequatur, incumbit. l. 5. §. fin. quod si facere neglexerit: tam hereditas, quam legatum, si ex parte heredi scripto prælegatum sit aliquid, aufertur. l. si sequens. 15. ¶ Senatusconsulta, quibus hac de re cauetur, plura sunt. Primum est senatusconsultum Silanianum: cuius tempus incertum est. Nam Pe. Fabri coniectura à Cuiacio relata lib. 1. obseruat. cap. 18. probat quidem hoc senatusconsultum factum esse ante Lepidum & Taurum consules: sed non euincit esse factum anno proximo, P. Cornelio Dolabella & C. Iunio Silano consulib. anno ab vrbe condita 761. potiùs quàm anno 758. Q. Cæcilio Cretico Silano & A. Licinio Nerua Silano consulibus: aut anno 728. C. Cæsare Octauio Augusto & M. Iunio Silano consulibus hoc senatusconsulto cautum est, ne testamenti tabulæ eius qui necatus esse dicetur, antè aperiantur, quàm de seruis. d. l. 1. in prin. sub eodem tecto existentibus, vel criminis consciis. d. l. 1. §. hoc autem. vel qui simul cum domino, putà in itinere fuerunt, quæstio habeatur, & noxij puniantur. d. l. 1. §. hoc autem. ¶ Secundum est senatusconsultum innominatum: quod Augusti ætate, Tauro & Lepido consulib. factum est, vt cognitioni aperti contra senatusconsultum Silanianum testamenti præscribatur quinquennio: nisi arguantur, qui parricidij pœnâ teneri possunt. l. in cognitione. 13. ¶ Tertium est senatusconsultum Claudianum seu Neronianum seu Pisonianum (tot enim nominibus appellatur.) Cl. Nerone Cæsare & L. Calpurnio Pisone consulib. factum:

2 3 4 5

ctum: quod sententiam Silaniani confirmauit, & insuper iussit, viro occiso, de vxoris seruis, & vxore necata, de mariti seruis æquè haberi ac de propriis personæ occisæ seruis quæstionem. d. l. 1. §. si vir. Paul. 3. sentent. tit. 5. §. Neroniano. & vt si pœnæ obnoxius seruus venisset, & postea quandocumque supplicio affectus esset, venditor emptori pretium restitueret. l. senatusconsulto. 8. ¶ Accessit deinde lex Cornelia de his qui ante quæstionem habitam fugerunt. l. lege. 25. in prin. & §. 1. ¶ Item accesserunt varia principum rescripta, vt Traiani. l. si exheredatus. 10. §. 1. Hadriani. d. l. 1. §. iuxta. Spartian. in Hadriano. Diui Marci. l. 2. Orationis quoque Diui Marci, quæ desideratur, mentio fit in l. pen. C. de his quib. vt indig. ¶ Insuper accessit edictum prætoris: cuius duæ sunt partes. Priori parte cauetur, ne quid ad causam testamenti pertinens, sciens quis, dolo malo, aperiendum, recitandum, describendum curet, priusquam de seruis ex senatusconsulto quæstio habita, & de noxiis supplicium sumptum fuerit. l. 3. §. quod ad causam, & vt qui aduersus ea fecerit, teneatur actione populari in centum aureos: cuius summæ dimidia pars accusatori conceditur, altera dimidia confiscatur. d. l. lege. §. vlt. Posteriori parte cauetur, ne heres scriptus priùs adeat, vel se immiscеat, vel bonorum possessionem petat, quàm dicta quæstio habita sit, & noxij puniti sint: alioquin hereditas tamquàm indigno auferatur, & confiscetur, vt suprà notaui ex l. 3. §. non tantum. & l. 5. Hæc de prima auferendæ hereditatis causâ dicta sint. ¶ Secunda causa est ingratitudo heredis, qui necem defuncti inultam reliquit. l. Gaius. 12. & C. de his quib. vt indign. l. 1. 7. l. sororem. 10.

VI. *Si quis aliquem testari prohibuerit, vel coëgerit.*

TErtia ex constitutione Hadriani est, si heres defunctum testari prohibuerit, ne alium heredem faceret, qua quidem constitutione tenetur tam heres legitimus, qui testari prohibuit, quàm heres scriptus, qui testamentum mutari, aut nouum fieri non permisit. l. 1. in pr. & C. eod. l. 2. ¶ Quarta causa est, si quis testari coëgerit, id est, si quem coëgerit, vt se heredem faceret. C. eod. l. 1. Maritus autem, qui non vi, aut dolo, sed maritali sermone vxorem sibi beneuolam ita reddidit, vt ab ea heres institueretur, extra pœnam est. l. vlt. & C. eod. l. vlt. Satis de testamentis condendis, & de eorum effectu dictum est.

VII. *De iure codicillorum.*

DIsserenti de testamentis, non sunt omittendi codicilli, quoniam ad causam testamenti pertinent. l. Plotiana. 18. & ſ. de senatusconſ. Silan. l. 3. §. si quis codicillos. & testamenta quemad. aper. l. 2. §. ad causam. & ĵ. de tabul. exhib. l. 1. §. hoc interdictum. Aut enim ex testamento, aut ab intestato fiunt. Priori casu sunt quasi pars, accessio, & sequela ipsius testamenti. Posteriori casu vicem exhibent testamenti, id est, sunt quasi testamentum quoddam imperfectum, vt pote cùm hereditas in eis dari, vel adimi non possit. l. 2. §. si codicillorũ & §. vlt. l. quidam. 14. in pr. l. ab intestato. 16. & ſ. testam. quemad. aperi. l. pen. Cùm igitur de testamenti propriè dicti validitate tractatum sit, consequenter agitur de codicillis, qui vel sunt quasi testamentum quoddam per se, vel quasi pars testamenti. ¶ Codicillos plerumq; plurali numero dicimus. ĵ. de verb. signif. l. non est sine liberis. 148. interdum codicillus in numero vnitatis ab Imperatoribus vsurpatur. C. de testam. l. non codicillum. 14. & l. cùm antiquitas. 28. ¶ Codicillorum verbum est homonymum, ac sumitur. I. Pro epistolio seu schedula. Cic. lib. 6. epist. 18. *Quæsiui à Balbo per codicillos, quid esset in lege.* & lib. 5. ad Quintum fratrem, epistola. 10. *Epistolam hanc conuitio efflagitarunt codicilli tui.* II. Pro diplomate principis. ſ. de excus. l. administrãtes. 41. in pr. Instit. quib. mod. ius potest. solui. §. filiusfamiliâs. III. Pro instrumento quodam vltimæ voluntatis. C. h. t. l. pen. Et quamuis ipsum vocabulum ostendat, tum demũ propriè dici codicillos, cùm scriptura interuenerit. Azo in summa, C. eod. num. 4. tamen codicilli dicuntur etiam sine scriptis fieri, vt mox docebo. ¶ Codicilli in tertia significatione, quæ hîc accipienda est, nihil aliud sunt, quàm vltimæ voluntatis instrumentum. d. l. pen. non solemne. l. 6. §. 1. & 2. & Instit. eod. §. vltim. citra hereditatis directam dationem, vel ademptionem. l. 2. §. vlt. & C. eod. l. 2. & l. pen. & Instit. eod. §. pen. ¶ Eorum originem declarat Imperator Instit. eod. in pr. ¶ Similes sunt testamento I. Quia vtrumque est vltimæ voluntatis instrumentum: & codicilli aut sunt pars testamenti, aut vicem testamenti exhibent, vt suprà docui. II. Quia is potest facere codicillos, qui potest facere testamentum, id est, qui testamenti factionem habet. l. 6. §. pen. l. conficiuntur. 8. §. codicilli. III. Quia vtrumque fieri debet vno contextu. l. cum antiquitas. 28. in pr. IV. Quia vt testamentum potest fieri in scriptis, vel sine scriptis. C. de bonor. poss. secund. tab. l. 2. & Instit. de testam. §. vltim. ita etiam codicilli. C. h. t. l. vltim. §. vltim. & de sacrosanct. eccles. l. generali. 13. & bon. liber. l. 3. ¶ Differunt autem à testamento. I. Quia nullam solemnitatem desiderant, vt in definitione codicillorum posui. II. Quia quinque testes etiam non rogati in Codicillis sufficiũt. C. h. t. l. vlt. §. vlt. cùm in testamẽtis septem rogati adhiberi debeant. ſ. qui testam. fac. poss. l. heredes. 21. §. pen. & Institut. de testam. §. sed cùm paulatim. & §. vlt. III. Quia possunt fieri plures codicilli. l. 6. §. 1. & Instit. eod. §. vlt. testamentum verò vnius testatoris vnum necessariò est: si quidem posteriori tollitur prius. ſ. de iniust. rupt. l. 2. l. cùm in secundo. 16. & Instit. quib. mod. testam. infirmant. §. posteriore, quamquàm vnum testamentum diuersis codicibus fieri potest. ſ. qui testam. fac. poss. l. vnum. 24. & Instit. de testam. §. pen. IV. Quia hereditas iure directo in codicillis nec dari, nec adimi potest, vt in definitione codicillorum positum est. Ratio huius dicti triplex est vna, ne confundatur ius testamentorum & codicillorum. Instit. h. t. §. pen. quia si idem vtroque instrumento fieri posset, frustra duo essent instrumenta iure introducta: vnum enim sufficeret. C. eod. l. pen. altera: quia cùm testamentum per heredis institutionem confirmetur, certè, si hæc in codicillis fieret, testamentum per codicillos confirmaretur: quod est absurdum, cùm è contrario codicilli ex testamento pendeant, & ex eo debeant vim accipere. l. quod per manus. 10. Quædam autẽ voluntates in testamento & codicillis testamento confirmatis locum habent, non in codicillis ab intestato factis: vt legatũ. l. conficiuntur. 8. §. vlt. & Instit. de fideicom. hered. §. præterea & tutoris datio. ſ. de testam. tut. l. 3. ¶ Postremò notandum est, eum, qui heredem instituit, vel exheredat, præsumi velle facere testamentum non codicillos. C. de testam. l. non codicillum. 14. ac testamentum, quod iure testamenti non valet, putà quia coram quinque testib. factum est, non valere iure codicillorum, nisi testator hoc iusserit appositâ clausulâ, quam codicillarem

BIU Cujas

larem appellant ſ. qui teſtam. fac. poſſ. l. ex ea. 29. §. 1. & C. h. t. l. vlt. §. 1.

LIBER XXX.

TITVLVS I.

De legatis & fideicommiſſis. j.

1 IT ſi legata & fideicommiſſa ab hereditate diſtinguuntur. ſ. de eden. l. quædam. 9. §. 1. & manda. l. ſi hereditatem. 32 & ĵ. de legat. iij. l. ſi Titius. 96. tamen ipſa quoque in teſtamento vel codicillis teſtamento confirmatis relinquuntur, vt initio ſuperioris tituli notaui quin etiam fideicommiſſa tam vniuerſalia quàm particularia in codicillis quoque ab inteſtato relinqui poſſunt. Inſtitut. de fideicommiſſ. hered. §. præterea. & de codicill. §. penult. Rectè igitur tandem poſt expoſita teſtamenta, heredúmque inſtitutiones, & codicillos, de legatis & fideicom-
2 miſſis agitur. ¶ Legati vocabulum accipitur multis modis. I. Anguſtiſſimè, pro ſpecie quadam vltimæ voluntatis, particulari, directa pecuniaria, vt Inſtitut. de lega. §. ante heredis & Nou. 1. vbi diſtinguitur non ſolùm ab aliis vltimis voluntatibus, ſed etiam à libertate legata. II. Anguſtè, vt complectatur etiam directam dationem libertatis. ĵ. de verb. ſign. l. in generali. 80. III. Latè, vt inſuper complectatur etiam fideicommiſſum. ſ. de pact. dotal. l. Bæbius. 30. & ĵ. de lega. iij. l. fideicommiſſa. 11. §. ſi rem ſuam, & §. ſi ſeruo. IV. Latiùs, vt præter hæc etiam mortis causâ donationem comprehendat. ĵ. eod. l. & fideicommiſſum. 87. V. Latiſſimè, vt quamuis vltimam voluntatem ſignificet. ĵ. de verb. ſign. l. verbis legis. 120. Se-
3 cunda ſignificatio ſumi hoc loco debet. ¶ Legatum definitur. I. Donatio teſtamento relicta. ĵ. tit. prox. l. legatum. 36. vel, donatio quædam à defuncto relicta. Inſtit. eod. §. 1. verbum *relicta*, eſt vltimæ voluntatis proprium. ĵ. de tabul. exhib. l. 1. §. pen. Particula *quædam*, in d. l. legatum. abeſt à libro Florentino, non à vulgatis editionibus, ideóque Accurſ. eam vtrobique interpretatur. Sed nec eius, nec Cuiacij expoſitionem probo: ſed puto hanc particulam hoc loco eſſe notam improprietatis; quia legatum non eſt propriè donatio, ſed improprie. ĵ. de donat. l. 1. in pr. Porrò vulgati codices in d. §. 1. reddunt, *ab herede præſtanda*. quæ verba à veteribus libris obſunt; eáq; Theophilus, Harmenopolus, Accurſius non adgnoſcunt. Ea qui adſcripſit, legatú à fideicõmiſſo ſeiungere voluit: quia legatum à ſolo herede deberi poteſt: fideicõmiſſum etiam à legatario, fideicommiſſario, & mortis causâ donatario. C. de fideicommiſſ. l. ab eo. 9. & Inſt. de ſingul. reb. per fideic. relict. in princ. Ego exiſtimo Modeſtinum in d. l. legatum. accepiſſe legati vocabulum in latiſſima illa ſignificatione, in qua etiam heredis inſtitutionem, ac tutoris dationem complectitur, vt in xij tabulis, *Paterfamiliàs vti legaſſit, ita ius eſto*. ĵ. de verb. ſignif. d. l. verbis legis: quam legem fortaſſe interpretabatur. II. Delibatio hereditatis, qua teſtator ex eo, quod vniuerſum heredis foret, alicui quid collatum vertit. l. legatum. 116. in princ. Hæc definitio etiam fideicommiſſo conuenit: niſi ita accipiatur, vt dicatur eſſe tantùm hereditatis delibatio. nam fideicommiſſo delibari poteſt etiam legatum, & mortis cauſa donatio: immo etiam fideicommiſſum fideicommiſſo delibari poteſt. d. l. ab eo. & Inſtitut. de fideicomm. hered. §. præterea, & de ſing. reb. per fideicommiſ. reli. in princ. Rectè ait *delibatio*: quia lex Falcidia permittit hereditatem delibari vſque ad dodrantem, non onerati vltra dodrantem, multò, minus exhauriri in totum. ĵ. ad leg. Falcid. l. 1. in princ. Inſtitu. eod. in princ. III. Quod legis modo, id eſt, imperatiuè teſtamento relinquitur, vnde à fideicommiſſo diſtinguitur, quod precatiuo modo relinquitur. Vlp. in fragm. h. t. in pr. ſed difficile eſt oſtendere heredis inſtitutionem ſub hac definitione non contineri. IV. Definiri poteſt vltima voluntas particularis, directa. *Vltima voluntas*, eſt genus ſecludens legata ab actibus inter viuos, atque etiam à donatione causâ mortis. Verbum *particularis*, excludit heredum inſtitutiones, & exheredationes. Verbum *directa*, ſeiungit legata à fideicommiſſis. ¶ Legatorum olim 4
erant quatuor genera: per vindicationem, per damnationem, ſinendi modo, & per præceptionem: quæ declarantur ab Vlpia. in fragment. h. t. & à Caio lib. 2. Inſtitut. eod. Sed Iuſtinianus eorum generum differentiam ſuſtulit, & omnib. legatis vnam naturam dedit. C. commu. de legat. l. 1. & Inſtitu. h. titu. §. ſed olim.
¶ Fideicommiſſum eſt, quod precatiuè relinquitur. 5
Vlpian. eod. tit. in princ. & tit. de fideicom. in princ. id eſt, verbis præcariis, qualia ſunt, *peto, rogo, volo, mando, fidei tuæ committo*. C. commu. de legat. l. 2. Inſtit. de ſingul. reb. per fideicomm. rel. §. vlt. De verbis directis vel precariis lege, quæ ſcripſi ſ. de vulga. & pupill. ſubſtit. §. 4. ¶ Fideicommiſſorum duo ſunt genera: vniuer- 6
ſale, id eſt hereditatis; & particulare, id eſt ſingularum rerum. ĵ. ad Trebell. l. 1. in princ. Inſti. per quas perſon. nob. acquir. §. vlt. & de fideicommiſ. hered. in princ. & de ſing. reb. per fideicomm. rel. in princ. ¶ Differen- 7
tiæ inter legata & fideicommiſſa plures ſunt. Nec obſtat. l. 1. Vbi Vlpianus ait per omnia eſſe exæquata legata fideicommiſſis: quia non dicit in omnibus, ſed per omnia. ſubandi, in lege Falcidia, & quartæ retentione, vt eleganter interpretatur. Cuiac. hîc in Paratit. & lib. 8. obſeru. cap. 4. Rurſus non obſtat. l. 2. C. commu. de legat. & §. ſed non vſque. Inſtit. h. tit. vbi Imperator ait ſe exequaſſe legata fideicommiſſis in omnibus, & per omnia: quoniam hæc exæquatio intelligenda eſt tantùm de effectu, qui in praxi cernitur, quia legatum habet etiam vim fideicommiſſi, & fideicommiſſum habet etiam vim legati, vt docui in Analyſi Inſtit. ad d. §. ſed non vſque. ¶ Differentiæ ergo hæ 8
ſunt. I. Diuerſas habent non ſolùm definitiones, ſed etiam etymologias. nam legatum dicitur, quia legis modo, id eſt imperatiuè relinquitur: fideicommiſſum, quia nullo iuris vinculo continetur, ſed fidei & pudori committitur eius qui fideicommiſſum præſtare rogatur. Inſtit. de fid. hered. in princ. & §. vlt. II. Appellatione legari ſæpe ſignificatur fideicommiſſum: fideicommiſſi verò appellatione numquam ſignificatur legatum. Cuiac. 4. obſeru. cap. 23. III. Legatum fit verbis directis: fideicommiſſum precariis. Vlpia. h. t. in pr. IV. Omne legatum eſt particulare. Inſtit. per quas perſon. nob. acquir. §. vlt. fideicommiſſum verò partim eſt vniuerſale, partim ſpeciale ſeu particulare, vt ſuprà oſtendi. idcirco dicimus hereditatem fideicommiſſariam, non legatariam. V. Legata non valent, niſi ex teſtamento: fideicommiſſa verò etiam ab inteſtato relinqui poſſunt. Inſtit. de fideicom. hered. §. præterea. VI. Legari ab herede tantùm poteſt: fideicommiſſum etiam à legatario, fideicommiſſario, mortis cauſa donatario relinqui poteſt. C. de fideicõ. l. ab eo. 9. & Inſti. de ſingul. reb. per fideicom. rel. in princ. quin etiam ab heredis vel legatarij herede. ſ. de legat. iij. l. 5. §. 1. VII. Fideicommiſſi proprium eſt, vt qui præſens à te-

ſtatore rogatus eſt, omnimodo fideicommiſſum ſoluere cogatur, etiamſi nullus teſtis adfuerit, niſi iuret ſe non fuiſſe à teſtatore rogatum. C. de fideicom. l. 9 vlt. & Inſtit. de fideicom. hered. §. vlt. ¶ De effectu legatorum & fideicommiſſorum, præter id quod iam notaui, legatum habere etiam vim fideicommiſſi, & fideicommiſſum habere vim etiam legati, ſciendum eſt, legatario & fideicommiſſario ad perſequendum id quod ſibi relictum eſt, dari actionem perſonalem ex teſtamento, & rei vindicationem, & actionem hypothecariam. C. commu. de legat. l. 1. & Inſtit. h. t. §. ſed olim. cùm igitur rei vindicationem habeat: manifeſtum eſt, ad eum rei dominium rectâ viâ tranſire: quod olim obtinebat tantùm in legato. ff. de furt. l. à Titio. 64. Immo tantùm in quibuſdam legatorum generibus, vt Caius declarat lib. 1. Inſtit. tit. 5. hodie verò non ſolùm in omnibus legatis, ſed etiam in fideicommiſſis propter dictas legatorum & fideicommiſſorum exæquationes locum habet. idcirco tam fideicommiſſa, quàm legata referuntur inter modos acquirendi dominij, Inſtit. per quas perſon. nob. acquir. 10 §. vlt. ¶ His expoſitis, propiùs accedo ad rubricas Pandectarum, quæ ad legata pertinent. Prolixitas huius tractatus multos non ſolùm titulos, ſed etiam libros requiſiuit, quorum ordo ac ſeries vt plenè intelligatur, notandum eſt, tres de legatis quæſtiones practicas occurrere. Prima quæſtio eſt, an legatum valeat. Secunda, quando dies legati cedat, id eſt, quando deberi incipiat. Tertia, quibus caſibus de legato præſtando cauere oporteat. Quæ de legato tantùm brevitatis causâ dico, eadem de fideicommiſſo intelligo. Pro ſolutione primæ quæſtionis legata diſtinguuntur in tria genera. Alia namque omnino debentur, alia prorſus non debentur, alia pro parte debentur. De legatis omnino vtilibus ac debitis, duplex eſt tractatus: Prior generalis: Poſterior ſpecialis de annuis legatis, & de diuerſis rebus legatis. Prior pars ob nimiam prolixitatem diuiſa eſt in tres titulos iiſdem verbis inſcriptos, quod & tit. ff. de verb. oblig. accidit, ſed illa differentia eſt: quòd titulus de verborum obligationibus librum vnum non implet: titulus autem de legatis & fideicommiſſis tres libros continet: proinde vulgò citari ſolet de legatis & fideicommiſſis ſecundò, de legatis & fideicommiſſis tertiò. Vulgò autem tria de legatis capita ſtatuunt. & quamuis hæc in horum titulorum legibus confundantur, tamen volunt potiſſimum & præcipuè agi Primò de rebus legatis. Legari autem poſſunt res omnes, quæ ſunt in commercio, dummodò non ſint ipſius legatarij, tam corporales quam incorporales. immo legari poſſunt etiam quæ non ſunt in rerum natura, ſi modò fore ſperentur, vt futuri fructus. Inſtit. h. t. §. non ſolùm. §. ea quoque. §. ſed ſi rem. & §. tam autem.

LIBER XXXI.

TITVLVS I.

De legatis & fideicommiſſis ij.

1 SECVNDÒ de perſonis. Legare poteſt, qui teſtamentum facere poteſt, atque hoc non ſolùm obtinet in legato, quod ex teſtamento valere dixi. Inſtit. de fideicom. hered. §. præterea. ſed etiam in fi- 2 deicommiſſo. l. 2. ¶ Illis autem legari poteſt, quibus cum teſtamenti factio eſt. Inſtitut. de legat. §. legari. Item legari poteſt vel vni, vel pluribus: iiſque aut coniunctim, aut diſiunctim. l. ſi plurib. 33. & l. ſeq. & ff. tit. prox. l. re coniuncti. 89. & de verb. ſignif. l. triplici. 142. & Inſtit. h. t. §. ſi eadem.

LIBER XXXII.

TITVLVS I.

De legatis & fideicommiſſis ij.

TERTIÒ de verborum ſignificatione: 1 cui reſpondet tit. 38. libri. 6. Codicis. vbi notentur hæ regulæ. I. A propria verborum ſignificatione non eſt recedendum, niſi manifeſta ſit teſtatoris voluntas. l. non aliter. 69. in princ. II. Teſtatoris voluntas, ſi de ea conſtet, verborum proprietati præualet. ff. de inſtr. vel inſtrum. leg. l. cùm de lanionis. 18. §. item caccabos & de ſuppell. leg. l. Labeo. 7. §. vlt. verſ. nam etſi prior. & de condition. & demonſtr. l. in conditionibus. 19. in princ. & ad ſenatuſconſultum Trebellian. l. vbi purè. 19. §. 1. & C. de fideicomm. libert. l. cùm inter. 14. in fin. III. Nemo aut ſine voce, aut vtens vocabulo omnino alieno, poteſt videri aliquid dixiſſe. vt putà qui ſuppellectilem legauit, non poteſt videri togam legaſſe. d. l. Labeo. §. vlt. IV. Voluntates defunctorum non ſunt ſtrictè interpretandæ. ff. de vſu. & habit. l. plenum. 12. §. ſed ſi pecoris. ſed latiùs & pleniùs. ff. de diuerſ. reg. iur. l. in teſtamentis. 12. ¶ Hactenus de legatis & fideicommiſſis in genere: deinceps diuerſorum legatorum & fideicommiſſorum effectus ſpecialiter enarrabuntur. 2

LIBER XXXIII.

TITVLVS I.

De annuis legatis & fideicommiſſis.

CVM in ſingulos annos legatur, huius legati propria hæc ſunt. I. Plura ſunt legata: & primi quidem anni legatum eſt purum, ſequentium conditionale: videtur enim hæc ineſſe conditio, *ſi legatarius viuet*: & ideo mortuo eo legatum ſequentium annorum ad heredem eius non tranſit. l. 4. & ſingulis annis quæritur, an legatarius ius habeat capiendi legati. l. cùm in annos. 11. II. Legatum initio anni debetur. idcirco extremi anni legatum pertinet ad heredem legatarij, licèt non toto anno legatarius vixerit. l. 5. l. in ſingulos. 8. l. filiæ. 22. III. Si legatum ſit annua bima trima die, tribus penſionibus ſoluetur: & quidem æqualibus, niſi alia fuerit teſtatoris voluntas. l. 3. IV. Hoc legatum quocumque loco petetur, ibi dari debebit. l. 1. V. Similis eſt expoſitio menſtrui legati: veluti quòd ſunt plura legata, & quòd primi menſis legatum purum eſt, ſequentium conditionale, & quòd initio ſingulorum menſium debetur: idcirco in titulorum indice ſcriptum eſt, *de annuis & menſtruis legatis.*

II. *De vſu, & vſufructu, & reditu, & habitatione, & operis per legatum vel fideicommiſſum datis.*

CVi vſus legatus eſt, ipſe vti debet, nec facultatem vtendi ad alium transferre poteſt: & ad neceſſitatem tantùm quotidianam modicos fructus, ſi 1

qui

qui sunt, percipit. Is autem cui vsusfructus legatus
est, & omnes fructus percipit, & facultatem vtendi
fruendi ad alium transferre potest, vt notaui. ſ. de vſu
2 & habit. ¶ Hæc legata annuo legato similia sunt,
quatenus legatarij morte finiuntur in aliis differunt:
vt quia capitis quoque deminutione finiuntur. ſ. tit.
3 proximo. l. in singulos. 8. ¶ Reditu legato, fructus
rei vel eorum æstimatio debetur, habitatio non debe-
tur. l. quidam. 17. l. fundi. 38. & hoc legatum mortè le-
gatarij finitur, quoniam vsufructui, vel potius annuo
4 legato simile est. l. patrimonij. 22. ¶ Si habitatio in
singulos annos legetur, plura sunt legata, quæ initio
singulorum annorum debentur. l. habitationis. 11. Sin
autem heres damnetur pati vt Titius in domo inha-
5 biret, vnum videtur esse legatum. l. damnas. 15. ¶ Is
cui habitatio legata est, eam locare potest. C. de vsufr.
l. cum antiquitas. 13. & Instit. de vsu & habit. §. pen.
6 ¶ Hoc legatum anno non terminatur, sed morte le-
gatarij finitur. ſ. de cap. min. l. pen. & de vsu & habit. l.
7 habitario. 10. in princ. & §. vtrum. ¶ Operæ legari
8 possunt tam liberi hominis, quam serui. l. 3. ¶ Et ope-
9 ræ legatæ locari possunt. ¶ Hoc autem legatum nec
capitis deminutione, nec non vtendo nec morte lega-
10 tarij finitur. l. 2. & ſ. de oper. seruor. l. 2. ¶ Hæc omnia
legata, id est, annua, vsusfructus, vsus, reditus, habi-
tationis, operarum, inter se similia sunt. d. l. patrimonij.
& ſ. tit. prox. d. l. in singulos. 8. & de vsu & habit. d. l. si
habitatio: in princ. & de oper. serui. l. 3. 4. 5.

III. *De seruitute legata.*

1 SEruitutis vocabulum hîc propriè & angustè acci-
pitur pro seruitute prædiali, vt & in tit. ſ. de serui-
2 tutibus. & in l. locare. 44. ſ. loca. ¶ Propria huius le-
gati hæc sunt. I. Seruitus ei tantùm legari potest, qui
prædium habet, cui acquiratur. ſ. commu. præd. l. 1. in
fin. & Instit. de seruit. §. pen. II. Si à pluribus heredibus
legetur, à singulis solidum debetur, quia est indiuidua.
l. vlt. III. Si alternis annis putà ius aquæ ducendæ le-
getur, vnum est legatum; licet vsufructu alternis an-
nis legato, sint plura legata. ſ. titul. prox. l. cùm
vsusfructus. 13. IV. Hoc legatum est perpetuum, nec
finitur morte legatarij; quia seruitus non est ius perso-
nale, sed reale; nec ad tempus ipso iure, sed in perpe-
tuum constituitur. Quòd si vsque ad conditionem
vel diem legata sit, post conditionem illam vel diem
obstabit legatario doli exceptio. ſ. de seruit. l. 4. in prin.

IV. *De dote prælegata.*

1 CVm maritus vxori dotem legat, dicitur dos rele-
gata, quia mulieri redditur, & ad eam reuertitur:
vel prælegata, quia restitutio dotis repræsentatur, id
est, citiùs dos restituitur propter legatum, quàm resti-
2 tueretur, si legata non esset. ¶ Hoc igitur legatum est
vtile: quia plenius est, quàm actio de dote. Instit. de
legat. §. sed si vxori. vbi tres vtilitates huius legati ex-
3 posui. ¶ Ibidem diuisionem dotis prælegatæ tradidi:
quia maritus vel accepit dotem, vel non accepit: &
vel certam summam siue rem in prælegando demon-
strauit, vel simpliciter legauit dotem, nulla demon-
4 stratione adiecta. ¶ Adde iis, quæ ibi docui, proprium
esse huius legati, vt per legem Falcidiam non minua-
tur. ſ. ad l. Falcid. l. cùm dotem. 57. & l. cùm vsusfru-
5 ctus. 81. §. 1. ¶ Porrò non tantùm dos, sed & alia præ-
legari dicuntur, nimirum quotiescumque fit aliqua
anticipatio seu repræsentatio: vt cùm heredi ex parte
instituto aliquid legatur, quia heres hoc antè capere
debet, quàm hereditas diuidatur; ideóque vocabatur
legatum præceptionis. Item cùm seruo aut filiofami-
liâs peculium legatur. ſ. de except. rei vend. l. 1. §. pen. &
ſ. de pecul. lega. l. si peculium. 10. & l. vlt. & ſ. de statu-
lib. l. 3. §. inde quæritur. vers. cùm igitur. Item cùm de-
bitori id legatur, quod debet. ſ. de liber. leg. l. non so-
lùm nostrum. 8. §. pen. Sed & id quod ante alia legata
vel fideicommissa relinquitur, prælegari dicitur. ſ. de
legat. ij. l. Titia Seio. 87. §. Seia. & de legat. iij. l. vxo-
rem. 41. §. 1.

V. *De optione, vel electione legata.*

OPtio ab electione differt, vt legitimus & solem- 1
nis actus. ſ. de diuers. reg. iur. l. actus. legitimi. 77.
ab actu vulgari. Sed hodie, sublatis veterum solem-
nitatibus, inter optionem & electionem legatam nihil
interest. ¶ Cùm genus legatur, vt homo, vel bos: siue 2
testator optionem electionémve legatario dederit, si-
ue simpliciter legauerit, electio legatarij est, vt ex re-
bus testatoris, quæ illius generis sunt, eligat quam rem
velit, sic tamen vt nec optimum eligere possit, nec
pessimum accipere cogatur. ſ. de legat. j. l. legato gene-
raliter. 37. in princ. semper enim electio est legatarij,
nisi testator electionem heredi concesserit. l. 2. & In-
stit. de legat. §. si generaliter. & §. seq. Si igitur electio
serui data sit, legatarius eliget ex seruis testatoris,
quem volet. d. l. 2. & l. vlt. Si in numero multitudinis,
electio seruorum, non expresso certo numero, data
sit: tres eligi poterunt. l. 1. Si optio pluribus sit legata,
neque in electione consentiant, sorte res dirimetur,
& illius optio præualebit, in quem sors ceciderit: quod
& in pluribus legatarij heredib. obtinet. C. commun.
de legat. l. vlt. Instit. de legat. §. optionis.

VI. *De tritico, vino, vel oleo legato.*

HIc plura noranda occurrunt. I. Non expressâ
qualitate, sed tantùm quantitate, putà *certum
pondo olei do lego*, heres dabit quale volet. l. 4. nisi testator
electionem legatario dederit. l. 2. §. 1. II. Non expressa
certa quantitate, sed indefinitè legato concepto, ve-
luti, *Heres meus vxori meæ oleum, acetum dare damnas
esto*, id omne debebitur, quod testator mortis tempore
reliquit. l. 7. in princ. III. Si certa quantitas legetur ex
eo quod in fundo nascetur, & minus nascatur; non
plus legatario debebitur, quàm natum erit. l. 5. Atsi an-
nuum sit eiusmodi legatum, veluti, *Ex eo vino, quod in
fundo Tusculano nascetur, heres meus decem amphoras quot-
annis in annos singulos dato*: certè si quo anno vinum na-
tum non erit, ex fructu superioris anni numerus am-
phorarum supplebitur. l. ex eo. 13. IV. Expresso pon-
dere impossibili, legatum non valet, veluti si quis le-
get tritici modios centum, qui singuli pondo centum
pendeant. d. l. 7. §. 1. V. Vino legato, tam vinum dolia-
re, quàm vinum diffusum debetur, vnà cum vasis, quæ
non ad perpetuum vsum reseruantur, vt cadis, & am-
phoris, sed neque dolia debentur, neque vtres, neque
cullei. l. 3. §. 1. l. 6. l. vino legato. 14. l. pen. Vinum dolia-
re est, quod in doliis seruatur. diffusum, quod ex doliis
in vasa, vt cados & amphoras diffusum est. d. l. pen. vi-
num autem pendens significat ipsas vuas & vinde-
miam nondum collectam. Plaut. in Trinum.

„ *Tum vinum, priusquam coactum est, pendet putridum.*

VI. Vino legato, id debetur, quod ex vinea natum, vi-
num permansit. vide l. si quis vinum. 9 in princ. Intel-
lige permansisse ex quo factum est, vsque ad tempus
testamenti, non vlteriùs. d. l. si quis vinum. §. 1. Quin
etiam acetum legatario debetur, si testator id loco vi-
ni habuit. l. 1. hoc igitur, aceto legato non continetur.
l. 3. in princ. Quamquam si testator, qui certam vini
quantitatem legauit, nihil vini in bonis reliquit, heres
vinum emere & legatario præstare debet, non acetum

BIU Cujas

quod vini numero fuit. d. l. si quis vinum. §. 1. VII. Vino cum vasis legato, debetur etiam vinum, quod non est in vasis, sed in doliis. l. 6. & l. pen. VIII. Vino veteri legato, ex vsu testatoris legatum æstimabitur, qui si non appareat, vinum superioris anni non vinum hornum legatario debebitur. d. l. si quis vinum. §. vlt. & Ill. seqqq.

VII. *De instructo, vel instrumento legato.*

1 AVt res legatur, vt fundus, vel ædes: aut rei instrumentum, vt instrumentum fundi, vel ædium: aut res, & instrumentum: aut res cum instrumento: aut res
2 instructa. ¶ Hi tres postremi casus sunt inter se similes: ac semper duo sunt legata, alterum rei principalis, alterum instrumenti. l. 1. in princ. differunt tamen: quia si legatus sit fundus instructus, vel fundus & instrumentum, deinde testator viuus fundum alienauerit; extincto fundi legato, nihilominùs instrumentum legatario debetur: at si fundus cum instrumento legatus fuerit; testatore fundum alienante, nihil legatario debebitur. l. 5. Præterea fundi instructi legatum plenius est: quia non solùm instrumenta fundi continet, vt reliqua duo legata, veluti ligones, & aratra; sed etiam instrumenta patrisfamiliâs, quibus in eo fundo instructior est, vt mensas, scamna, lectos. l. quæsitum. 12. §. sed si fructus. ¶ Instrumentum est apparatus rerum diutiùs mansurarum, sine quibus possessio
3 exerceri nequit. d. l. quæsitum. in princ. & diuersis rebus tribuitur. dicitur enim instrumentum agri. d. l. quæsitum. §. si in agro. & §§. seqq. vineæ. l. villæ. 16. §. 1. villæ. d. l. villæ. in pr. l. si mancipia. 19. §. 1. domus. d. l. quæsitum. §. si domus. & multis paragraphis sequentibus balnei. l. tabernæ. 13. §. 1. l. item pictoris. 17. §. vlt. tabernæ. d. l. tabernæ. in princip. l. cùm quæratur. 23. pictoris. d. l. item pictoris. in princ. Pistoris l. cùm de lanionis. 18. §. 1. lanij. d. l. cùm de lanionis. in princ. piscatoris. d. l. item pictoris. §. 1. medici. d. l. cùm de la-
4 nionis. §. in instrumento. nauis. l. vlt. ¶ Nota instrumenta prædij vocari etiam dotes prædiorum. l. 2. §. 1.

VIII. *De peculio legato.*

SImiliter aut legatur seruus, aut peculium, aut seruus & peculium, aut seruus cum peculio. & vel legatur peculium ipsi seruo manumisso, vel extraneo. vide §. si peculiũ. Instit. de legat. Filij quoque familiâs peculium legari potest vel extraneo, vel ipsi filio. l. vlt.

IX. *De penu legata.*

1 PEnus in masculino genere est secundæ, vel quartæ declinationis: in feminino, tantùm quartæ: in neutro, tertiæ. dicitur etiam in neutro genere penum secundæ declinationis, & penu indeclinabile. Hoc ideo notaui: quia Paulo Iurisconsulto placuit indicare, nomen penus omnibus generibus dici. l. 4. §. nomen.
2 ¶ Penus appellatione continentur esculenta & potulenta ad futurum vsum recondita in loco, quem inde
3 penarium vocamus. ¶ Dicitur autem penus ex eo quòd non in promptu est, sed intus & penitus reconditum. vide Gell. lib. 4. cap. 1.

X. *De suppellectile legata.*

1 SVppellex est domesticum patrisfamiliâs instrumentum, quod neque argento auróve facto, nec vesti adnumeratur. l. 1. & omnino quod in aliam speciem non cadit. l. 7. §. 1. & est res mobilis. l. 2. vt mensæ, subsellia, scamna, lecti, &c. l. 3. ¶ Originem vocabuli inde Labeo ducit, quòd olim his, qui in legationem proficiscebantur, locari solebant ea quæ sub pellibus vsui forent. d. l. 7. in princ.

LIBER XXXIV.

TITVLVS I.

De alimentis & cibarijs legatis.

ALimenta dicuntur ea, sine quibus corpus ali non potest, vt cibaria, vestitus, habitatio. l. 6. & l. vlt. Cibariorum appellatio, quam alimentorum angustior est. l. diariis. 21. Is cui alimenta debentur, alimẽtarius vocatur. s. de transact. l. cùm hi. 8. §. eam transactionem. ¶ Propria horum 2 legatorum hæc sunt. I. Relinqui possunt etiam deportatis, vel seruis pœnæ. l. is cui. 11. & seruis propriis sine libertate. l. seruos. 17. II. Vsque ad pubertatem relicta, debentur pueris vsque ad annum decimum octauum, puellis vsq; ad quartum decimum. l. Mela. 14. §. 1. III. Nec minuuntur, nec augentur, si testator, qui alimenta legauit, postea prædia alimentario ad alimenta inde percipienda iusserit esse obligata. l. Lucius. 12. Minuuntur tamen per legem Falcidiam, vt cetera legata. ẽ. ad leg. Falcid. l. Diui. 89. in princ. IV. De his in futurum debitis transigi non potest, nisi prætor causâ cognitâ permiserit. s. de transact. d. l. cùm hi. & C. eod. l. de alimentis. 8.

II. *De auro, argento, mundo ornamentis, vnguentis veste, vel vestimentis & statuis legatis.*

AVrum & argentum vel est infectum, vel factum, 1 vel signatum. Infectum est, quod certam speciem non suscepit, sed est in massa, aut lamina. Factum est, quod certam speciem recepit, vt vasa aurea, vel argentea. Signatum est, quod publicâ formâ percussum, inter numeratas pecunias refertur. Sed auro, vel argento legato, tantùm factum & infectum, non etiam signatum continetur. l. cùm aurum. 19. in princ. Gemmæ autem anulis aureis inclusæ, ad legatarium vnà cum annulis trãseunt l. pediculis. 32. §. 1. ¶ Mun- 2 dus muliebris est, quo mulier fit mundior & elegantior, vt specula, matulæ, &c. l. argumento. 25. §. ornamenta. vers. mundus. & d. l. pediculis. §. Titia, iis exclusis, quæ valetudinis causâ parantur. d. l. argumento. §. vlt. & quæ vir sibi retinuit, non vxori tradidit. l. pen. in princ. ¶ Ornamenta muliebria sunt quibus mu- 3 lier ornatur, id est quæ ad nullam aliam rem quam ornandi corporis causa parantur vt inaures. armillæ: anuli non signatorij. d. l. argumento. §. ornamenta. ¶ Vnguenta mundo muliebri continentur. d. l. argu- 4 mento. §. ornamenta. præter ea, quibus sanitatis causâ vngimur. ead. l. §. vlt. ¶ Vtrum vestis, an vestimen- 5 tum legetur, nihil refert. l. vestis. 23. in prin. l. inter. 33. quamuis Festus vestimentum faciat speciem vestis. Dicitur autem vestimentum, quod consumatum est, non quod est tantùm contextum. l. vestimentum. 22. Ad vestimenta referimus omnia lanea, linea, bombycina, pellicea, quæ induendi præcingendi amiciendi insternendi iniiciendi incũbandíve causâ parata sunt, & quæ his accessionis vice cedunt, vt insitas picturas, & clauos qui vestibus insuuntur. d. l. vestis. §. 1. & §. vlt. ¶ Vestimenta omnia sunt aut virilia, aut pueri- 6 lia, aut muliebria, aut communia, aut familiarica, vt prospicuè docet Vlpian. in d. l. vestis. §. vestimenta. ¶ Legari etiam possunt statuæ, vel imagines. l. 6. §. vlt. 7 l. si imaginem. 12 l. si statuam. 14.

III. *De*

BIU Cujas

III. *De liberatione legata.*

OMnibus debitoribus liberatio legari potest. l. 1. in princ. ¶ Multis autem modis hoc legatum fit. I. Si cui legetur, quod debet, etiamsi eius rei dominus sit. d. l. 1. in prin. II. Si heres petere, vel exigere prohibeatur. l. 2. l. non solùm nostrum. 8. §. tale. & §. pen. cum sim. Idem est, si vetet debitorem molestari, vel ab eo exigi: l. Aurelio. 20. in princ. III. Si heres damnetur debitorem liberare. l. cum ita, 19. vel testator dicat se velle vt debitor ab actione liberatus sit, l. Aurelius. 28. §. Titius testamento. & §. Mæuia. vel ei concedi, quod debet. ead. l. §. legatum. IV. Si testator dicat se debitori donare, quod sibi ab eo debetur. d. l. Aurelius. §. Titius Seio. V. Si remittat, quod sibi debetur. d. l. Aurelius. §. testamento. VI. Si iubeat dari Titio, quod sibi debet. l. vltim. in princ. VII. Datione chirographi. l. 3. §. 1. & 2. ¶ Prætetea liberatio legatur vel in totum, vel pro parte. l. 7. in princ. & ſ. de legat. iij. l. cùm quis. 37. §. nuptura. & vel ad tempus, vel in perpetuum. Instit. de lega. §. si quis debitori. ¶ Legatarius liberari debet modò per acceptilationem, modò per pactum de non petendo, secundum distinctionem traditam in d. l. 3. §. nunc de effectu. & præterea doli mali exceptione se tuetur, si ab herede conueniatur. d. l. 3. §. nunc de effectu. d. l. cùm quis. §. nuptura. & Instit. de legat. d. §. si quis debitori.

IV. *De adimendis, vel transferendis legatis vel fideicommissis.*

HVcusque de legatis vtilibus tam in genere, quàm in specie dictum est. Deinceps agitur de legatis, quæ variis de causis inutilia sunt. Prima causa est, si legatum sit à testatore quibuscumque verbis siue in testamento, siue in codicillis ademptum, vel ad alium translatum. Instit. h. t.

V. *De rebus dubiis.*

SEcunda causa est, si legatum adeo dubium sit, vt dubitatio tolli per commodam interpretationem non possit: veluti si nomen legatarij non sit adscriptum in testamento. l. 4. aut si legatum sit Sempronio amico, & sint duo Sempronij æquè amici testatoris, & similibus casibus. l. si quis de plurib. 9. & l. seq. ¶ Notentur de rebus dubiis hæ regulæ. I. In ambiguo sermone non vtrumque dicimus, sed id duntaxat quod volumus. l. 3. II. Vt aliquid dicatur, tam verba quàm mens & dicendi voluntas necessaria sunt. quocirca qui aliud voce pronunciat, aliud dicere vult, neutrum dicit. d. l. 3. Hæc regula in rerum, non in hominum vocabulis obtinet: quoniam illa sunt immutabilia, hæc verò mutari possunt. Rerum vocabula dicuntur, quæ communi quodam consensu sunt imposita, vt suppellex, vestis aurum, argentum, electrum. Hominum vocabula dicuntur, quæ singuli homines pro libitu imponunt, & mutant, vt fundus Cornelianus, vel Sempronianus. Ergo si testator in hominis vocabulo errauit, & cùm Sempronianum fundum legare vellet, Cornelianum nominauit, Sempronianus debetur: quia falsa demonstratio non nocet legato, si verò cùm vestem legare vellet, suppellectilem se legare dixit, neutrum legatario debetur: id est, nec suppellex, quia testator hanc legare noluit, nec vestis, quia hanc testator non dixit. ſ. de legat. j. l. 4. III. Ambiguam orationem interpretari debemus potiùs vt actus valeat, quàm vt pereat. l. quoties in actionib. 12. l. vbi. 21. benignè enim interpretari debemus, & secundum id, quod credibile est cogitatum à testatore fuisse. l. cùm in testamẽto. 24.

VI. *De his quæ pœnæ causâ relinquuntur.*

TErtia causa esse videtur, si pœnæ causâ legatum fuerit, id est, vt heres coërceretur, quo magis, vel quo minùs aliquid faceret. veluti, *heres meus si filiam suam Titio in matrimonium collocauerit*, vel, *nisi collocauerit, decem Seio dato.* ¶ Huiusmodi legatum iure antiquo est inutile; quia legatum fauore legatarij, non odio heredis relinqui debet. Sed Iustinianus hoc legatum sustinet, nisi quid probrosum, vel contra leges contineat. C. h. t. l. vn. Instit. de legat. §. vlt. ¶ Pœnam à conditione non verba sed voluntas testatoris distinguit ac separat. l. 2.

VII. *De regula Catoniana.*

QVarta causa est, si Catoniana regula (quæ & sententia dicitur. ĵ. de condit. & demonstr. l. Iulianus noster. 86.) legato obstet. ¶ Quæ quidem sic definit: Legatum, quod, si facti testamenti tempore decessisset testator, inutile foret, id, quandocumque testator decedat, non valet. l. 1. in princ. ¶ Hæc regula in legatis & heredum institutionibus puris obtinet, non in conditionalibus. l. 3. & 4.

VIII. *De his quæ pro non scriptis habentur.*

QVinta causa est, si legatum habeatur pro non scripto, veluti si ita scriptum sit, vt intelligi non possit. l. 2. aut si ei relinquatur, qui iam desiit esse in viuis. l. penult.

IX. *De his quæ vt indignis auferuntur.*

SExta causa est, si legatario tamquam indigno auferatur legatum. Non solùm enim ita aufertur hereditas, vt expositum fuit ad tit. de senatusconsul. Silaniano, sed etiam legatum vel fideicommissum. ſ. eod. l. si sequens. 15. §. 1. vt hic titulus docet. ¶ Eleganter Cuiacius distinguit inter incapaces, & indignos: quia incapacibus relicta, sunt ab initio inutilia, & apud heredem remanent sine onere: indignis relicta, ipso iure valent, sed ad fiscum plerumque transferuntur, vel ad heredem, vel ad aliam personam cum onere. Finge in primo testamento scriptos esse heredes capaces, in secundo incapaces: secundum testamentum ipso iure non valet, ideóque prius non rumpitur, sed ipso iure valet: verumtamen heredibus in primo testamento scriptis hereditas tamquam indignis aufertur, quia non habent postremam testatoris voluntatem, & confiscatur saluis legatis. l. cum quidam. 12.

LIBER XXXV.

TITVLVS I.

De conditionibus, & demonstrationibus, & causis, & modis eorum quæ in testamento scribuntur.

SEptima causa est, si conditio defecerit. De conditione abundè egi. ſ. de constit. & instit. vnde transferri huc possunt quæ ad hunc locum pertinent; quia pleraque hereditatibus & legatis communia sunt. Hîc tãtum notetur, legari posse purè, in diem, & sub conditione. l. 1. ¶ Octaua causa videtur esse falsa demonstratio legatarij, vel rei legatæ. verùm hac de causa tum demum vitiatur legatum, cùm de testatoris voluntate non constat: aliàs locum habet regula iuris, quòd falsa demonstratio non vitiat legatum. l.

BIU Cujas

demonstratio.17.in princ. & §.1.l.falsa.33. in princ.&
3 §.1.& Instit. de legat.§. huic proxima. ¶ Demonstratio est,quæ vice nominis fungitur, nec refertur ad futurum tempus, vt conditio, sed ad præsens, veluti, *Stichum, qui meus est, do lego*: vel ad præteritum,veluti, *Stichum, quem à Seio emi*. Hæc autem verba, *Stichum qui meus erit cùm moriar*, conditionem faciunt. ſ. de le-
4 ga. j. l. 6. Vide Cuiac. lib.2, Obseru. cap.39. ¶ Nona causa videtur esse falsa causa legati. Causam præteritam seu procatarcticam intellige, quam Doctores impulsiuam vocant,id est, quæ testatorem impulit ad legatum relinquendum: veluti, *Titio, quia negotia mea gessit, decem do lego*. Sed hac ratione legatum non vitiatur, nisi vel probetur testatorem aliàs legaturum non fuisse.l.cùm tale.72.§. falsam causam, vel causa conditionaliter sit concepta,veluti, *Titio, si negotia mea gessit, decem do lego*.d.l.demonstratio.§.quod autem.& §. seq.
5 & Instit.de legat. §. longè magis. ¶ Decima causa videtur esse, si legatarius modo, qui legato adscriptus est,non satisfaciat. Est autem modus, futura seu finalis causa: veluti, *lego Titio decem, vt opus faciat*. d.l.demonstratio.§.vlt. & dicitur pro conditione obseruari: quia legatarius non aliter potest legatum consequi, quàm vt cogatur modum à testatore adscriptum implere.C.de his quæ sub mo.lega.vel fid.relin.l.1.

II. *Ad legem Falcidiam.*

1 EXposita sunt legata & fideicommissa, quæ sunt omnino & in totum vtilia, siue inutilia: superest, vt de his agamus, quæ pro parte debentur, pro parte non debentur; quia per legem Falcidiam minuuntur.
2 ¶ Hæc lex est plebiscitum: lata est enim à P. Falcidio tribuno plebis, temporibus Augusti, Cn. Domitio & C. Asinio consulibus. distin.2. c. quædam. Dion. in
3 Augusto. ¶ Duo sunt huius legis capita. Primo capite confirmatur legandi facultas testatoribus data per legem xij.tabularum. Altero capite limitatur ea facultas, ne testator possit vltra dodrantem legare, vt salua
4 penes heredem quarta pars maneat.l.1.in pr. ¶ Nota primò eum, qui intra dodrantem legat, dici hereditatem delibare: qui vltra dodrantem, onerare: qui omnia legat, exhaurire. ¶ Nota secundò rationem, id est
5 computationem legis Falcidiæ separatim spectari in singulis heredibus: ita vt si multi sint heredes, quilibet quartam partem suæ portionis saluam habere de-
6 beat. l.in singulis.77. & Instit. eod.§.1. ¶ Nota tertiò quantitatem patrimonij, ad quam ratio legis Falcidiæ refertur, eo tempore spectari, quo testator mortuus est, nec ex eo legata minui, vel conseruari, quòd post mortem testatoris bona sunt deminuta, vel aucta. l.in
7 ratione. 30. in princ.l. in quantitate 73.& Instit. eod. §. quantitas. ¶ Nota quartò quædam de patrimonio priùs deduci, quàm ratio legis Falcidiæ ineatur, vt æs alienum, funeris impensam,& prædia seruorum in te-
8 stamento manumissorũ. Instit.eo.§.vlt. ¶ Nota quintò interdum non esse locũ Falcidiæ,sed legata sine diminutione deberi:quos casus retuli. disput.1c.the.31.

III. *Si cui plus quàm per legem Falcidiam licuerit,legatum esse dicetur.*

NOta sextò,si dubitetur,an locus Falcidiæ futurus sit, prætorem legatario & heredi succurrere: quia legatarius nihilominùs solidum legatum accipit, sed ita vt cogatur datis fideiussoribus heredi cauere, si apparuerit se amplius legatorũ nomine cepisse, quam lege Falcidia capere liceat, se quanti ea res erit, tantam pecuniam daturum, dolúmque malum abfuturum.l.1.in princ.& l.3.§.1.

LIBER XXXVI.

TITVLVS I.

Ad senatusconsultum Trebellianum.

NOta septimò legem Falcidiam tantùm 1
de legatis locutam esse: sed senatusconsulto Pegasiano (quod factum est Vespasiani ætate, Pegaso & Pusione cõsulibus) producta est ad fideicommissa in testamento relicta. Institut. de fideicomm. hered. §. Sed quia stipulationes. & ex constitutione Diui Pij ad fideicommissa ab intestato relicta. ſ. ad leg. Falcid. l. filiusfam.18.& ex constitutione Seueri ad donationes causâ mortis. C. eod.l.5. Pegasianum autem à Iustiniano transfusum est in senatusconsultum Trebellianum. Institut. de fideicomm.hered.d. §.sed quia stipulationes.quod Neronis temporibus factum fuerat Trebellio Maximo & Anneo Seneca consulib. Instit. eod.§.& Neronis. Itaque Doctores Falcidiam de legatis, Trebellianicam de fideicommissis detrahi dicunt: quamquam & hæc rectissimè Falcidia dici potest. Institut. quib. mod. testam.infirm.§.sed etsi quis cum simil. ¶ Illud quoque 2
ex Pegasiano tributum est Trebelliano, vt heres adire hereditatem nolens, cogatur desiderante fideicommissario adire, & ipsi fideicommissario restituere. d.§. sed quia stipulationes, vers. sed etiam id. ¶ Ex se autem Trebellianum habet,vt actiones hereditarias tàm 3
actiuas quàm passiuas ad fideicommissarium transferat vel in solidum, vel pro ea parte,pro qua hereditas restituta est. Instit, eod. d. §. & Neronis.§.ergo siquidem.& d.§.sed quia stipulationes.

II. *Quando dies legatorum aut fideicommissorum cedat.*

ABsoluta est prima de legatis & fideicommissis 1
quæstio, an valeant: sequitur secunda, quando dies eorum cedat. ¶ Cedere diem dicimus, cùm de- 2
beri incipit: venire diem, cùm incipit posse peti. ſ. de verb,*signific. l.cedere diem*.213.in pr. ¶ Dies legati puri 3
cedit a morte testatoris.*C.de caduc.toll.l.vn.§.cum igitur. & §. in nouissimo. exceptis legatis, quæ ad heredes legatarij non transeunt,vt vsu,vel vsufructu legato.l.2.* & 3.& C. de caduc. toll. d.l. vn.§. libertatibus. vers.excepto. libertate seruo legata, & legato pecuniario, quod vel seruo cum libertate, vel seruo legato relictum est. l. 7.§. vlt.& l.seq.& C. de caduc.toll.d.l.vnic.§.libertatibus. ¶ Dies legati puri venit, cùm aditur hereditas. d. l. 7. 4
in pr. tuncque dicitur legatum deferri,siue ad legatarium pertinere. ſ. de legat.ij.l. si ita. 45.§. 1. ¶ Sed in 5
diem certam legatum debetur quidem à morte testatoris. ſ. de vsu & vsufr.leg. l. Sempronius. 26. sed ante diem à testatore præscriptum,licèt hereditas sit adita, peti non potest.l.si dies. 21. in pr.& j. tit. prox. l. non tamen.9. ¶ Legatum conditionale, vel in diem in- 6
certam relictum, neque debetur neque peti potest ante cõditionem,vel diem existentem.d.l.si dies.in pr.d. l.cedere diem. & d.l.vn. §.sed hæc omnia. ¶ Effectus 7
cessionis est, vt legatum debeatur. d. l. cedere diem. & ad heredem legatarij eo nondum acquisito decedentis transmittatur.l.5.in pr.& ſ. de vsu & vsufru. legato. d. l. Sempronius. ¶ Effectus delationis est, vt 8
legatum peti,vel repudiari possit. ſ. de legat. ij. d. l. si ita.§. 1. & l. si mihi. 59. & de acquir. hered. l. in repudianda.23.

III. Vt

III. *Vt legatorum seu fideicommissorum seruandorum causâ caueatur.*

1 VLtima de legatis & fideicommissis quæstio est, quib. casibus de his præstandis cauere oporteat. Cauendum autem est, nisi testator cautionem remiserit. l. vlt. in princ. quotiescumque solutio legati vel fideicommissi differtur, vel quia dies legati nondum venit, vel quia conditio pendet, vel quia heres de legato seu fideicommisso litigat, quasi debitum non sit.
2 l.hæc stipulatio.14. & l.seq. ¶ Hæc vocatur vulgaris cautio. ſ. de legat.j.l.filiusfamiliâs.114. §. iidem princi-
3 pes.& est satisdatio. l.1.§.1. & seqq. ¶ Cauent autem heredes, & ceteri, qui legatum vel fideicommissum præstare debent.d.l.1.§.non solùm. & §§.seqq. legatario vel fideicommissario, aut eius procuratori.d.l.1.§. procuratori,vel ei, qui legata præcipere & distribuere debet.l.quidam.96.§.penult. vt quibus diebus testator dari fieri voluit, his diebus detur vel fiat, dolúmque malum abfuturum.d.l.1.in princ.

IV. *Vt in possessionem legatorũ vel fideicommissorum seruandorum causâ esse liceat.*

1 SI neque de legatis vel fideicommissis cautum sit, cùm caueri debeat,neque per legatarium vel fideicommissarium stet quominùs caueatur; prætor legati vel fideicommissi seruandi causâ hunc mittit in possessionem.l.1.§.1.& ſ.tit.prox.l.1.§.nec sine ratione,rerum hereditariarum, quæue dolo malo heredis desierunt esse hereditariæ.l.5.§.qui in possessionem. non vt heredem expellat, sed vt cum eo possideat custodiæ
2 causâ.d.l.5.in prin. ¶ Mittitur autem in possessionem omnium bonorum.neque hoc corrigitur,vt vulgò putant,per Nou.53.cap.4.vbi Iustinianus ait mitti in possessionem pro modo debiti: quoniam vniuersa bona pro debita tantum quantitate obligantur,dum missione in possessionem pignus prætorium constituitur, vt pulchrè Cuiac. notat ad eam No. Denique hæc duo non sunt confundenda, res pignerata vel possessa, & debita quantitas,propter quam res pignerata vel possessa est: quandoquidem etiam parte debiti solutâ, manet totum pignus obligatum, non tamen pro toto legato seu toto debito,cuius pars soluta est,sed pro residuo. D. famil.erciscun.l.his consequenter.18.§.cùm vnus.& de euict.l.rem hereditariam.65. Expositæ sunt vltimæ voluntates & earum instrumenta.

IVLII PACII
A BERIGA I. C.
ISAGOGICORVM IN PANDECTAS
PARS VI.

LIBER XXXVII.

TIT. I. *De bonorum possessionibus.*

1 RIPLEX est successio in bonis defuncti: hereditas testamentaria,bonorum possessio, & hereditas legitima. hereditas tam testamentaria, quàm legitima, est ciuilis: bonorum verò possessio est prætoria. ſ. de hered.petit. l.1.2.3.& Instit.h.t.vers.quos autem. Testamentariam meritò præposuit legitimæ imitatus legem xij. tabularum,& edictum perpetuum. ĵ. si tab. testam. null. extab. l.1. in princ. quia dispositio testatoris facit cessare dispositionem legis. ĵ. de precar.l. & habet. 15. §. cùm quis.& C. de pact.conuent.l.vlt.vnde quandiu spes est heredem fore ex testamento, tamdiu legitima successio cessat. ſ. de acquir.hered. l.quamdiu potest.39.& ĵ. de diuers.reg.iur.l. quamdiu possit.89. Inter hæc duo ciuilium successionum genera interiicit prætoriam bonorum possessionem: quia cum partim sit ex testamento,partim ab intestato; rectè tamquàm vtriusque extremi particeps,medium locum tenet. Quamobrem post expolita testamenta, nunc agitur de bonorum possessionib. ¶ Bonorum possessio est ius persequen- 2
di retinendíque patrimonij siue rei,quæ cuiusque cum moreretur fuit, vt Vlpianus definit in l.3.§.bonorum. Ait *ius*: quia bonorum possessio significat merum ius, licèt rerum possessio, de qua ĵ. sub tit.de acquir. poss. plurimum facti habeat.d.l.3.§.1.& ĵ.de acquir. possess. l.1.§. furiosus & §. seq. & de captiu. l. in bello. 12. §. facti. Ait *persequendi retinendique*. Persequitur,qui non possidet: retinet,qui possidet. Instit. de interd. §.retinendæ.cum sim. Bonorum igitur possessionem habet etiam is, qui non possidet, id est,ius successionis prætoriæ habet quis, siue de facto possideat, siue non possideat. Porrò cùm propriè loquendo persecutionis vocabulum ab actione distinguatur. ĵ.de oblig.& act. l.actio in personam.28. & de verbor.signif.l.pecuniæ. 178. §. actionis hoc loco mihi sic accipiendum videtur, vt persecutionem prætoriam significet, vt seiungatur ab hereditate, quæ est iuris ciuilis. Ait *patrimonij* sic maluit dicere, quàm hereditatis; quia hereditas significat ciuilem successionem. Interdum tamen hereditatis appellatione bonorum possessio continetur. ĵ. de verb. signif. l. hereditatis. 138. & C. vn. libe. l. vn. quemadmodum heredis appellatione interdum significatur bonorum possessor. ſ. de condit. & demonstr. l. in conditionib. 19. §. pen. & C.qui admitt.l.vlt.non quòd sit verus heres. Instit. h. t. vers. quos autem.sed quia in omnib. vice heredis habetur. l. 2. Ait *siue rei* quia vt ciuilis petitio hereditatis datur etiam contra eum qui rem hereditariã licèt minimam possidet. ſ. de hered.petit.l.regulariter.9. & l. seq. ita etiam possessoria hereditatis petitio, quæ datur bonorum possessori, & habet eosdem effectus. ſ. de possess. hered.petit.l.2. Nec dubium, quin similiter in re hereditaria idem ius habeat bonorũ possessor, si eam possideat quod heres. ¶ Iam verò cum bonorum possessio deferatur vel ex 3
testamento, vel ab intestato. ĵ. de bonor. possess. secund.tab.l.1.in princ.& Instit. h.t.§.1. & vel deferatur in bonis ingenui, vel liberti: primo loco dicetur de bonorum possessionibus ex testamento ingenui: postremo de bonorum possessionibus ab intestato:interiicientur autem successiones in bonis libertorum,tam ex testamento, quàm ab intestato; vt iura patronatus non in diuersos locos distracta, sed simul coniuncta, faciliùs discantur; & ea, quæ tam cum primo quàm cum vltimo tractatu affinitatem habent, medio loco collocentur, secundum methodum, quam initio huius libri notaui.

II. *Si tabulæ testamenti extabunt.*

DE bonorum possessionibus ex testamento duo generaliter sunt notanda. Primò notandum, has bonorum possessiones competere, cùm tabulæ testamenti extant, licèt non proferantur. ĵ. de bonor.possess. secund.tab.l.1.§.sufficit. Rectè fit mentio tabularum

BIU Cujas

rum testamenti, vt & in aliis titulis ad bonorum possessionem pertinentibus, quia testamentum iure prætorio fit tabulis per septem testes obsignatis. bonorum tamen possessiones constitutionibus principum productæ sunt ad testamenta nuncupatiua. Institut. de testam. §. sed prædicta. & C. de bonor. possess. secund. tab. l. 2.

III. *De bonorum possessione furioso, infanti, muto, surdo, cæco, competente.*

SEcundò notandum, has bonorum possessiones deferri & acquiri etiam furiosis, infantibus, & ceteris, in hac rubrica enumeratis. nam alij possunt per tutores bonorum possessionem acquirere, vt infantes. C. de iu. delib. l. si infanti. 18. §. parente alij per curatores, vt furiosi. l. 1. alij etiam per semetipsos, vt muti, surdi, & cœci. l. 2. Hæc generaliter dicta sint de bonorum possessione ex testamento: nunc ad eius diuisionem accedamus.

IV. *De bonorum possessione contra tabulas.*

1 DVplex est bonorum possessio ex testamento. Prima est contra tabulas: altera secundum tabulas: sed illa est potior. ff. de bonor. possess. secund. tab. l. 2.
2 in princ. ideóque primo loco explicatur. ¶ Hæc bonorum possessio datur liberis, parentibus, & patronis: sed potissimum liberis, de quibus hoc titulo agitur: nam de cæteris posteriùs dicetur. Datur ergo hæc bonorum possessio liberis præteritis. l. 1. in pr. & ff. tit. prox. l. 1. in princ. nisi præteritio pro exheredatione habeatur, vt cùm mater vel auus maternus testamentum fecit. l. 4. §. penult. & Instit. de exhered. liber. §. vlt. Intellige eam præteritis competere per se. nam & institutis competit propter alios, vt propter fratres suos præteritos: sufficit enim edictum committi per filium præteritum, vt etiam institutus admittatur. exheredatis verò nullo modo competit. l. si post. 10. §. pen. & vlt. Datur autem tam suis, quàm emancipatis, & emancipatorum liberis. l. 3. in prin. & ff. tit. prox. l. is qui. 15. & C. de collat. l. vt liberis. 17. Item postumis. l. 1. §. hæc autem. videlicet postquàm nati sunt. ff. de ven. in possess. mitt. l. vlt.

V. *De legatis præstandis contra tabulas bonorum possessione petita.*

TRes sunt effectus petitæ bonorum possessionis contra tabulas testamenti. Primus effectus est, vt legata ex eo testamento non debeantur, nisi liberis, vel parentibus, vel dotis nomine vxori nuruíve relicta sint. l. 1. Ne dicas hunc titulum hodie esse inutilem, eò quòd No. 115. omnia legata tuetur: quoniam ea No. non pertinet ad bonorum possessionem contra tabulas, sed ad querelam inofficiosi testamenti.

VI. *De collatione bonorum.*

1 SEcundus effectus est collatio: quæ duplex est, bo-
2 norum, & dotis. ¶ De collatione bonorum sciendum est, liberos emancipatos, qui ad bonorum possessionem vnà cum liberis integri iuris admittuntur, cogi bona sua, quæ propter emancipationem sibi acquisiuerunt, conferre, id est, cum bonis paternis confundere (confusio vocatur in l. si deportatus. 8. C. de bon. præscript. & confundi dicitur, quod confertur, in l. si soror. 8. C. h. t.) vt ex vniuersa illa massa partes fiant inter suos & emancipatos Nisi enim hæc collatio ab emancipatis fieret, non essent liberis integri iuris exæquatis; quod prætori propositum fuit sed essent melioris conditionis, quod est iniquum. l. 1. in pr. 3
¶ Nota primò hanc collationem tantùm inter liberos defuncti locum habere, non inter adscendentes, vel transuersales. glo. vltim. in l. 1. C. de legit. hered. Iaf. in l. si emancipati. num. 26. C. h. t. ¶ Nota secundò 4
emancipatos liberis tantùm integri iuris conferre, non etiam emancipatis. l. 1. §. vlt. l. 2. §. si tres. l. 3. §. Iulianus, & C. eo. d. l. si emancipati. 9. Quin etiam conferunt, ij, qui nec sui nec emancipati sunt, vt descendentes ex feminis. C. eod. l. vt liberis. 17. l. illam. 19. ¶ Nota tertiò 5
conferre quem ea quæ habuit cùm pater moreretur, deducto ære alieno. l. 1. §. qui ab hostibus & §. seq. & C. eod. l. 6. ¶ Nota quartò ea conferri, quæ in legi- 6
timam imputantur ad excludendam inofficiosi querelam: non conferri autem bona castrensia vel quasi castrensia. C. h. t. l. filiæ. 12. & D. pro soc. l. cùm duob. 52. §. idem Papinianus. immo hodie ne quidem aduentitia conferri, sed tantùm profectitia. C. h. t. l. vltim. ¶ Nota quintò, hoc iure collationem fieri ab intesta- 7
to, siue testamentum à parente factum non fuerit, siue euersum sit per contra tabulas, vel per querelam inofficiosi. C. eod. l. 4. l. si emancipati 9. l. vt liberis. 17. Immo etiamsi parente deportato, pars bonorum relicta liberis sit. C. de bon. præscript. l. si deportatus. 8. ex testamento autem non esse locum collationi, nisi parens eam fieri iusserit. l. 1. §. vel maximè. & §. seq. & C. eod. l. 7. l. à patre. 10. & ff. si quis omis. cau. testam. l. si filius. 23. & C. comm. vtriusque iudic. l. vlt. hodie verò etiam ex testamento collationi locus est, nisi testator eam prohibuerit, quia censetur per obliuionem non iussisse. Nou. 18. cap. 6. ¶ Nota sextò collationem fieri vel 8
reipsa, vel cautione de conferendo. l. 1. §. iubet. vel cautione de defendendo, vt ij, quibus confertur, à necessitate aliquid præstandi liberentur. C. eod. l. 2. vel remissione, veluti si quis patiatur tantum fratrem præcipere ex bonis paternis, quantum ei conferre debet. C. eod. l. 5. & D. de administr. tuto. l. cùm post. 43. §. 1. vers. sicut in collatione.

VII. *De collatione dotis.*

DOtem profectitiam filiæ suæ vel emancipatæ 1
conferunt tam suis, quàm emancipatis. C. de collat. l. 4. & l. filiæ 8. siue bonorum possessionem petierint, siue se bonis paternis miscuerint. l. 1. in princ. ¶ Aduentitia olim conferebatur fratribus, qui in po- 2
testate patris manserunt, non emancipatis. d. l. 4. sed hodie omninò nõ cõfertur. C. de collat. l. vlt. ¶ Æquè 3
autem in dote atque in aliis bonis hodie obtinet, vt collatio fiat, siue succedatur ab intestato, siue ex testamento, nisi parens contrarium in testamento suo statuerit. Nou. 18. cap. 6. ¶ Donatio quoque propter 4
nuptias in collationem venit. C. de collat. l. illam. 19. & l. pen. §. 1. ¶ De simplici donatione à parente facta, 5
meritò ambigitur. nam eam conferri traditur in l. si donatione. 13. & l. vt liberis. 17. in fin. C. eod. quarum illa loquitur de filiafamiliâs, hæc de emancipatis. Sed conferri negatur in l. filiæ. 18. in princ. C. fam. ercisc. & in d. l. pen. §. 1. vbi duo casus excipiuntur. Nec video, quomodo hæc loca conciliari possint, nisi cum Cuiac. lib. 3. Obseru. cap. 30. distinguamus inter succedentes ex testamento, & succedentes ab intestato: quia iure Codicis hæc distinctio obtinet, vt suprà docui. Hanc sententiam si amplectamur: fatendum erit, simplicem donationem à parentibus in liberos collatam, hodie indistinctè conferendam esse, id est, non solùm ab intestato, sed etiam ex testamento nisi testator contrarium statuerit. No. 18. cap. 6.

VIII. *De*

BIU Cujas

VIII. *De coniungendis cum emancipato liberis eius.*

TErtius effectus est ex clausula à Iuliano adiecta edicto perpetuo.l.3.& ĩ.tit.prox. l.1.§. si pater, vt emancipato petenti bonorum possessionem contra tabulas testamenti paterni iungatur in vnam portionem filius eius in potestate aui retentus, adeo vt huic filio soli conferat, non fratribus suis.l.1.in princ. cùm enim filius gradu, nepos ratione suitatis potior videatur, neutrum à successione excludi, sed vtrumque simul ad bonorum possessionem admitti, æquum est. d.l.1. §.1. Idem obtinet in bonorum possessione vnde liberi. ĩ.de bon.poss.sec.tab.l.5.in princ.

IX. *De ventre in possessionem mittendo, & curatore eius.*

1 DIctum est de liberis, quibus datur bonorum possessio contra tabulas: alij sunt, quibus alia bono-
2 rum possessio vice huius datur. ¶ Primò si filius, cui nato daret prætor bonorũ possessionẽ, adhuc in vtero sit, prætor ventrẽ in possessionẽ mittit vice contra tabulas bonorum possessionis.l.1.in pr. Hoc ius ad alias quoq; edicti partes producitur. ex omnibus enim partibus venter in possessionẽ mittitur, ex quibus is admitteretur, qui in vtero est, si in reb. humanis esset.l.7.
3 in pr. ¶ Vẽtre autẽ in possessionẽ misso, & bonis curator vnus vel plures dari solent.d.l.1.§.quoties.& §.seq.

X. *De Carboniano edicto.*

1 SI impuberi controuersia fiat, an inter liberos sit: causâ cognitâ perinde ex edicto, quod primus Carbo prætor introduxit, possessio datur, ac si nulla de ea re controuersia esset, iudiciúmque in tempus pu-
2 bertatis causâ cognitâ differtur. l. 1. in princ. ¶ Hoc edictum ad contra tabulas bonorum possessionem, &
3 ad alias quoque aptatur l.3. in prin. ¶ Hæc bonorum possessio est decretalis: quoniam ex edicto à prætore decernitur pro tribunali; edictalis verò absque decre-
4 to est sine re, vt Cuiac. hîc notat. ¶ Porrò hæc bonorum possessio, si satisdatum sit, non tantùm ad possessionem adipiscendam, sed etiam ad rerum persecutionem, & ad debita exigenda, & ad collationes valet, l. penult.

XI. *De bonorum possessionibus secundum tabulas.*

1 HActenus de prima bonorum possessione ex testamento, quæ est contra tabulas, & de his quæ eius vice dantur, sufficienter dictum est: sequitur se-
2 cunda, quæ est secundum tabulas.l.2.in princ. ¶ Hæc datur directa scriptis heredibus: vtilis, nuncupatis. C. eod.l.2. Rationem attuli huius discriminis. ĩ.tit.2.

XII. *Si à parente quis manumissus sit.*

1 EXpositis duabus edicti partibus de bonorum possessione contra tabulas & secundum tabulas, Sciendum est, vtramque dari, non solùm liberis, vt suprà expositum fuit, sed etiam parentibus, & patronis. Ac de bonorum quidem possessione secundum tabulas nulla dubitatio esse potest: de ea igitur videamus, quæ est contra tabulas: ac primùm dicamus de
2 parentibus. ¶ Qui si à liberis emancipatis præteriti sint, contra tabulas bonorum possessionem petere possunt: quia patronis assimilantur: adeo vt sicuti patroni contra tabulas libertorum, ita etiam parentes contra tabulas liberorum bonorum possessionem ac-
3 cipere possint. ¶ Hoc ius ita demum parenti competebat, si contractâ fiduciâ emancipasset, id est, si ipse manumisisset. nam si patri fiduciario mancipasset, & is manumisisset; certè ipse pater fiduciarius pro patrono habebatur: ipsi autem patri naturali non dabatur hæc bonorum possessio, sed alia, quæ vocabatur *vnde decem personæ*. Instit. h. t.§.1. Idcirco hic titulus ita inscribitur, *Si à parente quis manumissus sit.* sed hodie ex Iustiniani constitutione, sublatis veterum solemnitatibus, & imaginariis venditionibus, & sublata bonorum possessione vnde decem personæ, semper censetur pater emancipasse contractâ fiduciâ, & indistinctè habet ius patroni in bonis liberorum. Instit. eod.§.sed eos.& de legitima adgn.succes.§.vlt.& C. de emancipat.liber.l.vlt.

XIII. *De bonorum possessione ex testamento militis.*

QVod superiori titulo traditum est, parentes à liberis præteritos, eorum bona scriptis heredibus auferre per contra tabulas, exceptionem patitur in rebus castrensibus: hæ namque ex speciali priuilegio in bonorum possessionem contra tabulas militis non veniunt. ĩ.de testam.l.si à milite.29.& l.seq. Hactenus de parentibus: iam dicamus de patronis.

XIV. *De iure patronatus.*

QVia bonorum possessio contra tabulas liberti, est pars iuris patronatus, libet totum hoc ius plenè explicare. Huius iuris tres sunt partes, deinceps enarrandæ.

XV. *De obsequiis parentibus & patronis præstandis.*

PRima pars iuris patronatus in obsequiis spectatur. 1
¶ Obsequium est honor, qui alicui exhibetur. l.2. 2
in princ. l.7. §.vlt. ¶ Hoc debent liberti patronis, & 3
liberi parentibus: quia filio & liberto semper honesta & sancta persona patris ac patroni videri debet. l. Liberto. 9. Qui secus fecerit: tamquam ingratus, extra ordinem punitur.l.1. §. si filius. & C. de libert.& eor. libe.l.1. & in potestatem domini seu patris retrahitur. C. eod. l. 2. & C. de ingrat. libe. l.vn. interdum & alia pœna infligitur: veluti qui parentem vel patronum sine venia prætoris in ius vocauit, 50. aureis multatur. ĩ.de in ius voc.l.pen.& vlt.

LIBER XXXVIII.

TITVLVS I.

De operis libertorum.

SEcvnda pars iuris patronatus in ope- 1
ris cernitur, quas liberti patronis præ-
stant. ¶ Operæ sunt diurnum officium. 2
l.1. Intellige diem naturalem ab ortu ad occasum Solis, non diem ciuilem horis quatuor & viginti constantem, vt in l.more. 8. ĩ. de feriis. ¶ Operarum aliæ sunt artificiales, quæ in arti- 3
ficio: aliæ officiales, quæ in officio exhibendo consistunt. atque hæ naturaliter debentur patrono, licèt ei à liberto promissæ non sint. ĩ.de condict. indeb.l.si non sortem.26.§.libertus. artificiales verò non debentur, nisi ex promissione vel iureiurando liberti. l.7. & de manu.testamen.l.seruum.36.& de liber.cau.l.vlt.& de fideiuss.l. si quis pro eo.56.in princ.& de acceptil.l. & per iusiurandum.13. in princ. Caius lib.2.Instit.tit. 9.§. item & alio. ¶ Hæc dicta sint de operis liberto- 4

BIU Cujas

rum. De operis seruorum dictum est. ff. lib. 7. tit. 7. (vbi notaui esse operas etiam brutorum animalium) & lib. 33. tit. 2. Operæ filiisfamilia. ff. tit. prox. l. pen. & omnino liberis hominibus imponi non possunt. d. l. si quis pro eo. in princ.

II. *De bonis libertorum.*

1 TErtia pars iuris patronatus ad bona libertorum respicit. In hac parte prætor tria remedia dat pa-
2 trono. ¶ Primum remedium est bonorum possessio contra tabulas liberti, si ab eo patronus sit in testamento præteritus: per quam aufert tertiam bonorum partem heredi scripto. vide §. sed nostra. Instit. hoc t.
3 ¶ Alterum remedium est bonorum possessio vnde legitimi: per quam succedit liberto intestato. vide d. §. sed nostra. Instit. h. t. & §. sed eos. de bonor. possess. & l. vlt. C. de bon. libertor. editam ex Basilicis à Cuiacio
4 lib. 20. obser. cap. 34. ¶ Quibus ex locis duo notabis. Vnum est, patronum non habere bonorum possessionem contra tabulas liberti, minus in bonis habentis quàm centum aureos. Alterum est, libertorum liberos, parentes, & fratres præferri patrono: adeo vt his succedentibus, neutra bonorum possessio patrono detur in bonis liberti, id est, neque contra tabulas testati, neque vnde legitimi ab intestato.

III. *De libertis vniuersitatium.*

HÆ bonorum possessiones dantur etiam vniuersitati, quæ seruum suum ad libertatem produxit l. vn.

IV. *De adsignandis libertis.*

1 MOrte patroni transit ius patronatus ad eius liberos l. 5. in princ. l. patronæ. 18. cum sim. Sed si patronus vni ex liberis adsignauerit libertum: ille solus, cui adsignatio facta est, ex senatusconsulto pro pa-
2 trono habetur. l. 1. in princ. ¶ Nota adsignari non posse soli filio emancipato. Instit. eod. §. datur. sed si quis ex pluribus filiis in potestate retentis vni, simúlque filio emancipato libertum adsignauerit: emancipatus per fratrem integri iuris, cui iunctus est, beneficio adsignationis fruetur. l. vtrum. 9.

V. *Si quid in fraudem patronis factum sit.*

TErtium remedium est actio Fabiana vel Caluisiana personalis. l. 1. §. hæc actio. qua reuocantur ea, quæ libertus in fraudem patroni alienauit, ne portionem legitimam ei relinqueret. d. l. 1. in pr. & §. vtrum. & passim. Illam Fabius vel Fauius: (nam alibi Fabiana, alibi Fauiana scriptum est) hanc Caluisius prætores introduxerunt. & illa quidem habet locum ex testamento. hæc verò ab intestato. l. 3. §. patronus. & §. seq.

VI. *Si tabulæ testamenti nullæ extabunt, vnde liberi.*

1 HVcusque de bonorum possessionibus ex testamento, quas diximus locum habere, si tabulæ testamenti extent: has sequuntur bonorum possessiones ab intestato. l. 1. §. ita. quæ tunc datur, cùm tabulæ testamenti validi non extant. l. 3. Siue enim testamentum factum non sit, siue factum quauis de causa sit inutile, ab intestato succeditur. l. 1. §. planè & §.
2 penult. ¶ Hic sunt quatuor bonorum possessiones, quarum priores sunt posterioribus potiores. d. l. 1. §. 1. Prima est bonorum possessio vnde liberi: qua liberi parentibus succedunt: siue in eorum potestate, siue sui iuris fuerint. d. l. 1. §. liberos. & ff. quis. or. in bo. poss. seru. l. 1. §. vlt. Sed filius adoptiuus, quandiu est in adoptiua familia, patri adoptiuo tamquam filius ex hac edicti parte potest succedere, nó patri naturali: emancipatus autem à patre adoptiuo, è contrario vocabitur ad successionem patris naturalis, non patris quondam adoptiui. d. l. 1. §. liberos. & l. 4. & Instit. de hered. quæ ab intest. §. at hi.

VII. *Vnde legitimi.*

SEcunda est bonorum possessio vnde legitimi. Legitimi sunt liberi sui, adgnati, patronus, & pater qui filium emancipauit.

VIII. *Vnde cognati.*

TErtia est bonorum possessio vnde cognati. Cognatos hîc propriè & angustè accipe, vt hi significentur, qui ratione sanguinis iuncti erant defuncto, non tamen erant in eius familia, vt coniuncti per feminas. ff. de gradib. l. vlt. §. cognati. & §. cognationis. & Insti. de legit. adgnat. tut. §. 1. & de success. cogn. §. pen. & coniuncti per masculos, quorum adgnatio per capitis deminutionem sublata est. Instit. eod. §. 1.

IX. *De successorio edicto.*

COmmunia dictis bonorum possessionibus duo 1
sunt. Primò his commune est, vt si priori loco vocati, bonorum possessionem non accipiant, sequentes in eorum locum succedant, & ad bonorum possessionem vocentur, vt putà cum liberi primo loco vocentur, his repudiantibus vocantur legitimi & similiter his quoque repudiantibus, cognati: item repudiante proximiore adgnato, vel cognato, sequens admittitur. ¶ Nota primò successionis verbum esse ho- 2
monymum alia namque est successio, qua defuncto succeditur: alia, qua quis in locum eius succedit, qui prior ad hereditatem vel bonorum possessionem vocabatur hæc posterior significatio in præsentia debet accipi, & ab hac appellatur edictum successorium. ¶ Nota secundò successorium edictum obtinere tam 3
in diuersis bonorum possessionis generibus, vt repudiantibus liberis vocantur legitimi, & repudiantibus legitimis vocantur cognati: quàm in eodem genere, vt repudiante fratre vocatur patruus. ¶ Nota tertiò 4
non solùm alios aliis, sed etiam eosdem sibi ipsis succedere verbi gratiâ filius integri iuris, est in numero liberorum, & legitimus, & cognatus si igitur non petierit bonorum possessionem vnde liberi: potest petere vnde legitimi: & hac quoque omissa, vel repudiata, potest petere vnde cognati. d. l. 1. §. sed videndum & ff. quis or. in bonor. possess. seru. l. 4. §. 1. ¶ Nota 5
quartò huic successioni locum esse, cùm prior vel repudiauit, vel non petita bonorum possessione decessit, vel tempore exclusus est l. 1. §. qui semel. §. si intra. §. sed videndum. Tempus autem petendæ bonorum possessionis à prætore præstitutum est parentibus & liberis vnius anni; & reliquis dierũ centum. d. l. 1. §. quod dicimus. & §. largius. & Institut. de bonor. possess. §. cùm igitur quod quidem tempus vtile est. Instit. eod. §. pen. & ff. quis or. in bon. possess. seru. l. 2.

X. *De gradibus & affinibus & nominibus eorum.*

SEcundò dictis bonorum possessionibus commune 1
est, vt gradu proximiores præferantur remotioribus; & qui sunt in eodem gradu, simul admittantur. Nam quod nepos vnà cum patruo suo succedat auo, quamuis nepos sit in secundo gradu, patruus eius (id est, filius defuncti) sit in primo gradu: hoc ideo fit, quia nepos in locum patris sui prædefuncti succedit, eúmque repræsentat. Instit. de hered. quæ ab intest. §. 1
cùm

cùm filius. adeo vt repræsentatiuè dici possit esse in primo gradu, eadémque ratio est aliorum liberorum, qui parentum suorum prædefunctorum locum occupant. ceterum pater filio suo in bonis aui præfertur. l. 5. §. 1. eo excepto, quòd filio emancipato iungitur eius filius qui in potestate aui remansit. d. l. 5. in pr. vt fuit expositum. ſ. de coniun. cum emanc. lib. eius. Quoniam igitur in dictis trib. bonorum possessionum ordinibus, vnde liberi, vnde legitimi, vnde cognati, graduum ratio habetur: meritò de gradibus hoc loco agitur: vt intelligamus, quinam singulis gradibus collocentur vel inter liberos, vel inter parentes, vel inter cognatos siue adgnatos. Cum hoc tractatu coniunctus est tractatus de affinibus: ideóque sub eundem ti-
2 tulum refertur. ¶ Cognatio est sanguinis vera vel ficta coniunctio. Vera est inter natura coniunctos: ficta inter coniunctos per adoptionem. Illa vocatur naturalis: hæc, ciuilis seu legitima. Item illa propriè appellatur cognatio: hæc, adgnatio. Inter aliquos tantùm naturalis, inter nonnullos ciuilis tantùm, inter alios vtraque coniunctio est. l. 4. §. cognationis. Naturâ tantùm coniuncti sunt, qui sunt eiusdem sanguinis, non eiusdem familiæ, vt mater & filius, vt coniuncti per feminas, vt adgnati capite minuti, sicuti notaui ad tit. vnde cognati. Ciuiliter tantùm coniuncti sunt, qui sunt eiusdem familiæ, non eiusdem sanguinis, vt coniuncti per adoptionem; quoniam adoptio non ius sanguinis, sed adgnationis affert. ſ. de adopt. l. qui in adoptionem. 25. Ideóque fratres adoptiui impropriè vocantur consanguinei. Insti. de legiti. adgnat. succeſſ. §. per adoptionem. Vtroque vinculo iuncti sunt, qui ex iustis nuptiis. d. l. 4. §. cognationis. verſ. vtroque iure per masculos sunt coniuncti. d. l. vlt. §. cognati. & §. cognationis. & de legit. adgn. tut. §. 1. neque sunt capite minuti. Instit. de legi. adgn. tut. §. vlt. & de succeſſ. cognat. §. 1. Est & altera cognationis diuisio, quòd alia est inter parentes & liberos, alia inter transuersales, id est, inter eos qui ex eodem parente sunt procreati. l. 1.
3 in pr. & Instit. eod. in pr. ¶ Gradus est cognatorũ vel adgnatorũ distantia: quæ quidẽ à generatione sumitur: tot enim iure ciuili inter duas personas gradus numerantur, quot sunt generationes interiectæ. l. vlt. §. nam quoties. & Inst. eo. §. hactenus. Iuris canonici alia ratio
4 est, vt in Analysi eiusdem tituli exposui. ¶ Affinitas est per nuptias coniunctio inter coniugem & alterius coniugis cognatos. Hoc est, quod dicitur in d. l. 4. §. sed quoniam. affines esse viri & vxoris cognatos. non est enim intelligendum, cognatos viri & vxoris esse affines inter se: sed cognatos viri, esse affines vxoris:
5 & cognatos vxoris, esse viri affines. ¶ Dicuntur ergo affines, eò quòd duæ diuersæ cognationes per nuptias copulantur, & altera ad alterius finem accedit. affinitas namque iure ciuili per nuptias contrahitur. d. l. 4. §. sed quoniam. Sed iure Pontificio affinitas etiam ex concubinatu, & alio coitu oritur. ext. de eo qui cogn. consanguin. vxo. suæ. cap. 6. verſ. sed nec affinitas. &
6 cap. tuæ. 10. ¶ Illa quoque inter hæc iura differentia est, quòd iure ciuili inter affines nulli gradus ponuntur. d. l. 4. §. gradus. iure autẽ canonico, quia vir & vxor sunt vna caro, quoto cognationis gradu aliquis marito iungitur, etiam eius vxori iunctus esse dicitur: & quo gradu cognationis distat à muliere, eodem distat
7 ab eius marito. xxxv. quæst. 5. c. porrò. ¶ Quod ad nomina attinet, quæ est tertia huius rubricæ pars, quidam cognatorum gradus propria nomina habent, vt pater, filius, patruus. &c. plerique propriis nominibus carent, vt parentes supra tritauum, liberi vltra trineposem. l. vlt. §. parentes. & transuersales præter fratrem, patruum, patruum magnum, patruum, abpatruum, consobrinum, sobrinum, propius sobrino, & ceteros, qui eisdem gradibus sunt: vt meritò Iustinianus dixerit, faciliùs esse singulorum cognatorum gradus quàm nomina indicare. Instit. hoc tit. §. hactenus. 8
¶ Sunt autem alia nomina adgnatis & cognatis communia, alia adgnatorum, vel cognatorum propria, alia affinium. Communia cognatorum & adgnatorum in linea adscendentium, id est parentum, sunt hæc: pater mater: auus, auia: proauus, proauia: abauus, abauia: atauus, atauia: tritauus, tritauia: in linea descendentium id est liberorum, hæc: filius, filia: nepos, neptis: pronepos, proneptis: abnepos, abneptis: atnepos, atneptis: trinepos, trineptis. in transuersalibus hæc: frater, soror: consobrinus, si latè hoc vocabulum accipiatur. l. 1. § quarto gradu. in fin. & Instit. eod. §. quarto gradu. verſ. consobrinus: propior sobrino, propior sobrina: sobrinus, sobrina. Nomina adgnatorum propria sunt tantùm in transuersalibus: patruus amita: patruelis: propatruus, proamita: abpatruus, abamita. Nomina cognatorum propria, similiter sunt in transuersalibus: auunculus, matertera: consobrinus, consobrina, propriè dicti: amitinus, amitina: proauunculus, promatertera: abauunculus, abmatertera. Nomina affinium sunt: socer, socrus: gener, nurus: prosocer, prosocrus: progener, pronurus: leuir, glos: sororius, fratria: vitricus, nouerca: priuignus, priuigna. vide l. 4. §. gradus. & §. seq. & disput. 2. the. 17.

XI. *Vnde vir & vxor.*

EXpositæ sunt tres bonorum possessiones ab intestato: vnde liberi, vnde legitimi, & vnde cognati: quarta & vltima est, vnde vir & vxor: per quam coniux superstes coniugi defuncto vel defunctæ succedit, id est, vir vxori: aut vxor viro.

XII. *De veteranorum, & militum successione.*

POst quàm specialiter explanatæ sunt bonorum possessiones, tam ex testamento, quàm ab intestato, superest, vt quædam eis communia explicentur. Primò in milite speciale est, vt si capitali pœna ex delicto militari damnatus sit, ex eius testamento peti possit bonorum possessio secundum tabulas, & ab intestato ei succedat legitimus heres, vel proximus cognatus vsque ad quintum gradum. l. 1. & 2. Idem seruari in veterano, hæc rubrica indicat. Pagani capite puniti bona confiscantur. ſ. de bon. damnat. l. 1.

XIII. *Quibus non competit bonorum possessio.*

SEcundò si heres scriptus prohibuerit defunctum mutare testamentum: aut is qui ab intestato succedit, prohibuerit eum facere testamentum, ne ad alium successio deueniret: ei, tamquam indigno, aufertur, & confiscatur, quod morte eius consecutus est: siue sit hereditas, siue legatum vel fideicommissum, siue bonorum possessio. De hereditate auferenda dictum est sub tit. de senatusco. Silan. de legatis autem & fideicommissis sub tit. de his quæ vt indign. de bonorum verò possessione hîc congruè tractatur. vbi intelli-
ge non competere bonorum possessionem, quæ propter dictam confiscationem non competit cum effectu.

XIV. *Vt ex legibus, senatúsve consultis bonorum possessio detur.*

TErtiò vti noua lex, (nam legi xij. tabularum bono- 1
rum possessiones sunt incognitæ) vel senatusconsul-

BIU Cujas

sultum, vel principis constitutio, bonorum possessionem defert, ita eam prætor dat, siue ex testamento, siue ab intestato. l. vn. & Instit. de bonor. possess. §. septi-
2 ma. ¶ Superiores bonorum possessiones vocantur ordinariæ. Instit. eod. §. sed eas, in fi. hæc, extraordinaria, d. §. septima.

XV. *Quis ordo in bonorum possessionibus seruetur.*

QVarto bonorum possessiones certo ordine sunt dispositæ, secundum quem deferuntur: vnde eas ordinarias, appellari diximus, nam bonorum possessiones ab intestato cessant, si petatur bonorum possessio contra tabulas, vel secundum tabulas: atque hæc illi cedat. item ab intestato præferuntur liberi legitimis, legitimi cognatis, cognati coniugi. Hoc igitur ordine bonorum possessiones ordinariæ disponuntur:

1	Contra tabulas.	1	Ex testamento.
2	Secundum tabulas.	2	
3	Vnde liberi.	1	Ab intestato.
3	Vnde legitimi.	2	
4	Vnde cognati.	3	
5	Vnde vir & vxor.	4	

Hæc dicta sint de bonorum possessionibus.

XVI. *De suis & legitimis heredibus.*

1 EXpositis duobus successionum generibus, nimirum successione ciuili ex testamento, & successione prætoria per bonorum possessionem, supereſt vt
2 dicamus de successione ciuili ab intestato. ¶ Quam partem breuiter attingam, quia iura omnia Digestorum, Codicis, & Institutionum, quæ de intestati hereditate loquuntur, per Nou. 118. à Iustiniano sunt abrogata. Ibi namque tres heredum ordines Imperator facit: & primò vocat liberos defuncti: secundò parentes, tertiò transuersales, sublatâ suitatis, & adgnationis prærogatiuâ. fratres tamen & sorores ex vtroque parente coniunctos, adiungit parentibus; necnon Nou. 127. cap. 1. adiungit horum fratrum vel sororum
3 filios. ¶ Sed hîc in primo ordine vocantur sui heredes, quos definiui. ſ. de liber. & postum. §. 2. Horum proprium est, vt heredes fiant ipso iure; quia etiam viuo parente sunt quodammodò domini: vt non tam hereditatem acquirere videantur, quam dominium in eorum persona continuari. ſ. eod. l. in suis. 11. & Instit. de heredit. quæ ab intest. defer. §. Sui autem heredes
4 fiunt. ¶ In secundo ordine vocantur legitimi heredes. Sunt autẽ legitimi heredes vel ex lege xij. tabularum,
5 vel ex iure nouo. ¶ Ac primò quidem ex lege xij. tabularum vocantur proximi adgnati. Instit. de legit. adgnat. succeſſ. in princ. inter quos ex Anastasij constitutione collocantur fratres & sorores emancipati. C. de legit. tut. l. 4. & de legit. hered. l. vlt. & Instit. de succeſ. cognat. §. 1. & ex Iustiniani constitutione filij sororum. C. de legit. hered. l. pen. & Instit. de legit. adgn. succeſſ.
6 §. hoc etiam. ¶ Secundò ex eadem lege xij. tabularum patroni, vel eorum liberi succedunt libertis. Instit. de legit. patro. tut. verſ. eo enim. & de succeſſ. libert. in pr.
7 ¶ Tertiò ex eiusdem legis mente & interpretatione parentes succedunt liberis, quos emanciparunt. Instit. de legiti. adgn. succeſſ. §. vlt. quia patronorum iura propter emancipationem habent, vt exposui ſ. si à paren. quis manumiſſ. sit. §. 3.

XVII. *Ad senatusconsultum Tertullianum, & Orphitianum.*

1 QVarto ex senatusconsulto Tertulliano (quod Diui Hadriani temporibus factum est. Instit. de se-
natusconsul. Tertull. §. postea) mater filiis, & filiabus 2
succedit. ¶ Quintò ex senatusconsulto Orphitiano (quod Orphitio & Rufo Consulibus factum est Diui Marci temporib. Institu. de senatusconſ. Orphit. in pr.) filij & filiæ succedunt matri: & ex constitutionibus principum nepotes & neptes succedunt auiæ. Institut. 3
eod. §. 1. ¶ Absolutus est tractatus de tribus successionum generibus, ciuili ex testamento, prætoria, & legitima.

LIBER XXXIX.

TITVLVS I.

De operis noui nunciatione.

MEMORIA repetendum est, quod initio 1
tertiæ partis notaui, in his Pandectarum partibus, tertia, quarta, quinta, & sexta, quatuor genera iudiciorum considerari: videlicèt de obligatione, de personæ statu, de rei dominio, & de possessione. Obligatio ex variis causis & quasi fontibus nascitur. Itaque multa obligationum genera constitui possunt: quorum tria à dictæ tertiæ partis initio ad hunc vsque locum enarrata sunt. Primum genus fuit obligationum ex contractibus realibus, vt mutuo, commodato, &c. Secundum ex contractibus personalibus, vt sponsalibus, nuptiis, tutelis. Tertium ex successionibus. Nunc igitur ad reliqua obligationum genera enarranda pergamus. Quartum genus est obligationum de damno infecto, id est, quod nondum factum est, sed futurum timetur. ſ. tit. prox. l. 2. ¶ Hæ obligationes sunt tres. 2
Prima ex operis noui nunciatione oritur. Nam qui opus nouum facit, per nunciationem inhibetur, & vetatur in ea pergere, etiamsi ius faciẽdi habeat. l. 1. in princ. ¶ Opus hîc intellige, quod solo coniunctum 3
est, cuius ędificatio vel demolitio videtur opus nouum continere. ceterùm si quis messem faciat, arborem succidat, vineam putet quamquam opus facit, tamen ad hoc edictum non pertinet. d. l. 1. §. hoc autem. ¶ Opus 4
nouum facit, qui aut ædificando, aut detrahendo aliquid, pristinam faciem operis mutat. d. l. 1. §. opus. Nec refert vtrum intra oppida, an extra oppida in villis, vel agris fiat: nec vtrum in loco publico, an in priuato fiat. d. l. 1. §. siue autem. Si quis autem ædificium fulciat, certè non opus nouum facit sed veteri sustinendo remediũ adhibet. d. l. 1. §. si quis ædificium. ¶ Nun- 5
ciare nouum opus, est denunciare ne opus nouum fiat. Quapropter ad futura, non ad iam facta opera hoc remedium operis noui nunciationis pertinet. d. l. 1. §. 1
¶ Nunciare nouum opus potest, qui dominiũ habet, 6
vel seruitutẽ. ſ. de remiſſ. l. vn. §. ius habet. vrbanã scilicèt. ſ. de seruit. præd. vrban. l. inter. 15. in fi. nõ rusticã. l. qui viã. 14. Fructuarius procuratorio nomine nũciare vicino potest ipsi autẽ domino nunciandi ius non habet. l. 1. §. vlt. & l. 2. & ſ. de remiſſ. d. l. vn. §. pen. ¶ Nun- 7
ciatio in rem fit, non in personã, id est, in re præsenti fit ei qui in re præsenti est, siue sit dominus, siue domini, operisue nomine ibi sit, cuiuscunque sit conditionis, dummodò intelligat quod agitur, idcirco nunciatio seruo vel fabro facta, dominum tenet, licèt infantem, vel furiosum. l. 5. §. nunciationem. & §. seq. l. operis. 10. & l. seq. ¶ Nunciat aliquis nouum opus, 8
I. Vel suo vel alieno nomine. d. l. 1. §. item nunciationem. II. Vel iuris sui conseruandi, vel damni depellendi causâ. d. l. 1. §. penult. III. Vel per prætorem,

rem, vel per lapilli iactum, vel verbis hæc autem propriè & angustè vocatur operis noui nunciatio, quæ verbis fit: sed minus est ceteris vtilis, quoniam aduersarium possessorem facit. d. l. 1. §. nunciatio ex hoc. &
9 d. l. 5. §. meminisse. ¶ Effectus nunciationis est, vt ab opere abstineatur, donec vel satisdetur de opere restituendo, si contra facientem iudicabitur, vel nunciatio remissa à prætore fuerit. l. non solùm. 8. §. sciendum. Tollitur enim nunciatio satisdatione, vel remissione: quin etiam alienatione, & morte alienantis. d. l. non solùm. §. pen. non morte eius, cui nunciatum fuit. ead. l. §. vlt. Interdum nunciationem contemnere licet: veluti si quis riuos, aut cloacas purget, opusue aliud faciat, cuius mora periculum est allaturа. l. 5. §. si quis ri-
10 uos. & §§. seqq. ¶ Ad operis noui nunciationem pertinent tria interdicta. I. Restitutorium, quo prætor opus contra nunciationem factum restitui iubet. l. prætor. 20. in princ. II. Prohibitorium, ne vis fiat nouum opus facienti, si de eo restituendo satisdederit, aut per aduersarium steterit quominùs satisdaret. d. l. prætor. §. deinde. III. Prohibitorium, ne vis fiat nouum opus facienti, postquam nunciatio à prætore remissa fuerit. ff. de remiss. l. vn. in princ.

II. *De damno infecto, & de suggrundis, & protectionibus.*

1 SEcunda obligatio de damno infecto est propter periculum, quod vicino ædificio minam minante, vel parte eius, vt proiecto, vel protecto) liber Flor. hîc habet protectionibus, in indice habet proiectioni-
2 bus) vel suggrundâ imminet. ¶ Proiectum est, quicquid vltra ædes eminet, ita vt ab altera parte suspensum maneat: alioquin non proiectum, sed immissum diceretur. Proiecta igitur sunt, vt mæniana, protecta, suggrunda. Immissa, vt tigna, quæ ab ædibus in vicinas ædes immittuntur. ff. de verb. signif. l. malum. 242. §. 1. Mæniana sunt, quæ spectandi causâ proiiciuntur, à Mœnio inuentore appellata, vt Festus, Asconius, & alij auctores sunt. Protectum est eminens tecti pars, quæ stillicidium arcet à pariete. Suggrunda sunt tabulæ circa ædificium à summo extensæ, quæ ædes tuentur ab iniuria imbrium, atque etiamsi, larignæ fuerint, à periculo incendiorum, vt ex Palladio & Vi-
3 truuio Cuiac. hîc notat. ¶ Qui damnum ab ædibus vicini ruinosis sibi metuit, petere à vicino potest, vt sibi eo nomine à vicino caueat: dummodò enim iuret se non calumniæ causa id petere, prætor vicinum, si dominus sit, repromittere; si alieno nomine interueniat, satisdare; si dubitetur an sit dominus, sub exceptione satisdare iubet. eóque ita vt oportet non cauente, aduersarium eius in possessionem primo decreto mittit. in contumaciam perseuerante, etiam possidere secundo decreto iubet. l. 7.

III. *De aqua & aquæ pluuiæ arcendæ.*

1 TErtia de damno infecto obligatio est, cùm ex opere manu facto. l. 1. §. 1. aqua pluuia (id est, quæ de cœlo cadit, & quæ imbre exercescit. d. l. 1. in princ. vbi pro *atquè*, puto legendum *& quæ*) nocitura est. d. l. 1. §. 1. l. 6. §. officium. l. Antæus, 14. §. in hoc iudicium. l.
2 vicinus. 24. §. pen. ¶ Qui opus fecit, aut facienti successit, opus suis impensis tollere, ac damnum post litem contestatam contingens sarcire cogitur. is, cuius seruus fecit, eum noxæ dedere potest. alij tantùm patientiam præstare tenentur, vt opus tollatur. d. l. 6. §.
3 officium. & §§. seqq. l. supra. 11. §. vlt. & l. seq. ¶ Hac de causa datur actio personalis. d. l. 6. §. aquæ. ex lege
4 xij. tabularum. ff. de statulib. l. Labeo. 21. in pr. ¶ Hinc occasione sumpta, agitur latiùs de aqua, id est, de aquæ seruitutibus, vt aquæ ducendæ. l. 7. cum tribus lll. seqq. & d. l. Suprà. in pr. l. si prius. 17. in pr. & §. 1. l. si in publico. 18. & §. 1. & l. vlt. & aquæ hauriendæ. d. l. si prius. §. via. ¶ Quapropter hic titulus inscribitur *de aqua*, 5
id est aquæ seruitutibus, (nam aquæ appellatione interdum significatur seruitus, vt in l. liberto. 31. §. vlt. ff. de negot. gest. & in rubr. C. de seruit. & aqua) *& aquæ pluuiæ arcendæ.* subaudi, actione. ¶ Expositum est 6
quartum obligationum genus, quod ad damna infecta spectat.

IV. *De publicanis, & vectigalibus, & commissis.*

QVintum obligationis genus ad vectigalia respi- 1
cit. ¶ Vectigalia sunt redditus fisci, aut reipub. 2
vnde vocantur publica vectigalia. ff. de verb. signif. l. inter. 17. §. 1. & præcisè publica. ff. pro soc. l. vt in conductionibus. 33. & dicuntur esse fructus, quibus respub. sustinetur, apud Tacitum lib. 13. annal. Hæc qui conducunt, publicani nominantur. l. 1. §. 1. l. quantæ, 12. §. vlt. & l. seq. in princ. & ff. de verb. sign. l. eum qui, 16. vel redemptores. ff. loca. l. cùm in plures. 60. §. pen. eáque conductio appellatur redemptura. ff. de instit. actio. l. 5. §. Labeo. & apud. Liu. in extremo lib. 33. quamquam redemptor propriè dicitur, qui faciendum aliquid, vt templum, vel porticum; aut præbendum, vt annonam exercitui conduxit: & tum demum, cùm id fecit, vel præbuit, pecuniam à fisco accipit, auctore Festo. Cùm autem multæ essent publicanorum societates: is, qui à populo conducebat, quia manu sublata significabat se auctorem conductionis esse, manceps appellabatur, teste eodem Festo. hunc Ascon. vocat. publicanorum principem. Præs verò est, vt ait Festus, qui populo se obligat, interrogatus à magistratu, quia populo præstare debet, itaque tam manceps, præs est, quàm qui pro eo præs factus est: socij verò sunt, qui in partem quæstus vel iacturæ à mancipibus & prædibus vocabantur. Hæc Festus. ¶ Vectigalium 3
varia sunt genera: vt scriptura, decuma, portorium: ac publicanorum genera totidem, vt decumani, pecuarij, portitores. Scripturam pastores ex publicis pascuis soluebant pecuariis: decumam aratores, qui publicos agros colebant, decumanis dabant. portorium mercatores portitoribus mercium importatarum vel exportatarum nomine pendebant. Sunt & Salinarum & fodinarum vectigalia. l. sed & hi. 13. in princ. & ff. de verb. signif. d. l. inter. §. 1. ¶ Ergo vectigal publicanis 4
debetur, vt ob negotiationem, & transductionem mercium. C. de vectigal. l. 6. debetur octaua. C. eod. l. 7. & de eunuch. l. 2. quam publicani, exigentes vocantur octauarij. C. de vectigal. l. à legatis. 8. Qui verò vectigal debet, is debet res apud publicanum profiteri. l. vlt. §. Diuus. & §. seq. & vectigal soluere. C. de vectigal. l. 5. 6. & passim. alioquin ob omissam professionem, vel solutionem, res incidunt regulariter in commissum, & confiscantur, quæ vocatur pœna commissi. d. l. vlt. §. quoties. vel pœna vectigalis. d. l. vlt. §. licèt. Interdum res non confiscatur, sed duplum vectigal soluitur, vt cum quis non dolo, sed per errorem incidit in commissum. d. l. vlt. §. Diui quoque fratres. Interdum pœna remittitur, vt militi. C. de vectigal. l. 3. & pupillo intra diem trigesimum soluenti vectigal. l. 7. §. 1. ¶ Dixi de 5
obligatione, qua debetur publicano: nunc dicam de obligatione, qua publicanus tenetur. I. Siue eius nomine alius, siue eius familia aliquid rapuerit, furtúmve fecerit, aut damnum dederit, præter vulgares actiones vi bonorum raptorum, furti, legis Aquiliæ, propria

BIU Cujas

actione prætoria tenetur: qua, nisi res restituta fuerit, intra annum in duplum, post annum in simplum condemnatur. & si serui fecerint, nisi eos exhibeat, sine noxæ deditione in eum iudicium datur. l. 1. In duplo autem res ipsa inest, ita vt sit actio mixta. l. 5. §. 1. II. Si quid illicitè exegerit, putà vectigal exegerit ab eo qui vectigal non debet, vel supra octauam exegerit ab eo qui octauam præstare debebat: si quidem sine vi fecit, duplum: si per vim, quadruplum restituit. eò amplius extra ordinem plectitur. l. locatio. 9. §. quòd illicitè.

V. *De donationibus.*

1 SExtum & vltimum obligationis genus est ex causa
2 donationis. ¶ Donatio à dono dicitur. ff. tit. prox.
3 l. senatus. 35. §. 1. ¶ Et est liberalis, nullo iure cogente facta concessio. l. donari. 29. in princ. & ff. de verb. si-
4 gnif. l. donari. 82. ¶ Diuiditur I. In donationem propriè dictam, per quam donatarius non obligatur, nisi naturaliter ad ἀντιδοσεα. ff. de hered. petit. l. sed etsi. 25. §. consuluit: & donationem impropriè dictam, quæ accipientem obligat, qualis est donatio causâ mortis. ff. de reb. cred. l. non omnis. 19. & donatio sub modo, veluti dono tibi decem vt eas Romam. C. de condict. ob causam. l. 2. 3. 7. 8. II. In donationem inter viuos, &
5 mortis causâ. Instit. h. t. in prin. ¶ Donatio inter viuos fit multis modis. I. Rei traditione tùncque est modus acquirendi dominij. Instit. ibib. II. Stipulatione: tùncque datur actio ex stipulatu. C. eod. l. si quis argentum. 35. §. sed si quidem. III. Contractu innominato, do vt des, vel do vt facias: ita contrahitur donatio sub modo. IV. Nudo pacto. hinc olim non dabatur actio sed ex Iustiniani constitutione hodie datur actio, id est, condictio ex lege. d. l. si quis argentum. §. sed si quidem. Instit. eod. §. aliæ. No. 162. cap. 1. Siue autem nudo pacto, siue stipulatione fiat, si quingentos aureos excedat, regulariter insinuationem apud acta requirit: alioquin in ea quãtitate, quæ quingentos aureos excedit, nõ valet. C. eo. l. sancimus. 34. & l. pen. & Instit. eod. d. §. aliæ.

VI. *De mortis causa donationibus & capionibus.*

1 DOnatio quoque mortis causâ multis modis fit. Vel enim donat aliquis nullo præsentis periculi metu conterritus, sola mortalitatis cogitatione motus: vel imminente periculo motus, ita donat vt statim res fiat accipientis: vel periculo motus, non sic donat vt statim faciat accipientis, sed tunc demum cùm mortuus fuerit. l. 2. l. senatus. 35. §. mortis causâ. Imminens mortis periculum intellige, siue propter morbum, siue propter nauigationem, vel longinquum iter, siue ob aliam quamcumque causam. l. 3. 4. 5. 6. Cùm autem ita datur, vt statim res accipientis fiat: hoc quatuor modis accidere potest, primo, vt omnimodò donatore ex eo casu, cuius contemplatione donauit, putà ex ea valetudine mortuo, res non reddatur: secundo, vt etiamsi prior ex ea valetudine donator decesserit, tamen res reddatur, si mutata voluntate restitui sibi voluerit: tertio, vt non aliter reddatur, quàm si prior ille, qui accepit decesserit: quarto, & nullo casu fit repetitio, id est, ne quidem si donator conualuerit. l. si aliena. 13. §. 1. d. l. senatus. §. mortis causâ. sed hæc postrema, licèt mortis cogitatio sit eius causa procatarctica, id est occasionem donandi dederit; tamen iudicanda potiùs est donatio inter viuos, quàm mortis causa. l. vbi. 27. Nam & moriens donare non mortis causâ potest. l. Seia. 42. §. 1. tunc verò est mortis causa donatio, cùm donator mauult se habere, quàm donatarium: & potius vult habere donatarium, quàm heredem. l. 1. & d. l. senatus. §. sed mortis. & Instit. de donat. §. 1. vers. & in summa. ¶ Hæc donatio lõgè à simplici inter viuos donatione distat. d. l. senatus. §. sed mortis. & legatis comparatur. l. illud. 37. in pr. & C. eod. l. vlt. & Instit. de donat. §. 1. vers. hæ mortis. Idcirco qui potest legare, potest mortis causâ donare. l. Marcellus. 15. & qui legati est capax, etiam mortis causâ donationẽ capere potest. l. omnibus. 9. d. l. senatus. in pr. eo autem tempore quo donator moritur, nõ quo donatio fit, spectatur an donatarius capere possit. l. in mortis. 22. morte enim perficitur. l. non videtur. 32. & ante mortem reuocari potest, etiam dum pendet an conualescere donator possit. l. mortis causâ donatio. 16. Denique facta in fraudem creditorum non valet, quemadmodum nec legata. l. etsi debitor. 17. ¶ Mortis causâ capitur, quicquid propter mortem alterius obuenit. l. qui pretio. 8. in pr. itaque etiam quod mortis causâ donatur, mortis causâ capitur. l. mortis causâ capimus. 18. in pr. Sed hac appellatione in his causis vti solemus, quæ proprio nomine carent: vtputà si quid alicui conditionis implendæ causa datum sit, aut si alienæ mortis causâ donatum sit. l. qui pretio. 8. l. mortis causa filij. 11. d. l. mortis causâ capimus. 18. in princ. l. mortis causâ capitur. 31. in princ. l. inter. 38. Absolutus est tractatus de obligationibus, siue obligationum iudiciis.

LIBER XL.

TIT. I. *De manumissionibus.*

SEQVVNTVR præiudicia, quibus quæritur, 1
vtrum aliquis sit liber, an seruus: & vtrùm ingenuus, an libertinus. Sed quia per manumissionem ex seruis fiunt libertini, atque hi interdum iura ingenuitatis consequuntur: hæc in primis enarrare, operæ pretium erit. ¶ Manumissio est de manu, 2
id est, potestate dimissio; hoc est, datio libertatis. ff. de iusti. & iu. l. 4. & Instit. de liberrin. in princ. ¶ Multis 3
modis procedit. Instit. eod. §. multis. sed præcipui modi, quibus manumittitur, secundum Vlpianum tit. de libertis, & Caium lib. 1. Instit. tit. 1. sunt hi: Primò manumittitur censu, cum domini iussu seruus inter ciues Romanos censum profitetur. Secundò in ecclesia, de quo modo agitur C. lib. 1. tit. 13.

II. *De manumissis vindicta.*

TErtiò vindictâ, id est, festucâ capiti serui impositâ apud magistratum, apud quem legis actio est.

III. *De manumissionibus quæ seruis ad vniuersitatem pertinentibus imponuntur.*

NOtandum est, hoc modo etiam seruos vniuersitatum manumitti posse.

IV. *De manumissis testamento.*

QVartò in testamento. Hoc modo libertas relinquitur vel iure directo, ita vt manumissus fiat libertus orcinus, id est, testatoris defuncti. Instit. de sing. reb. per fideicommiss. rel. §. libertas.

V. *De fideicommissarijs libertatibus.*

VEl per fideicommissum, ita vt manumissus fiat libertus heredis, aut legatarij manumittentis. d. §. libertas.

VI. *De ademptione libertatis.*

VTraque autem libertas, id est, tam directa, quàm fideicommissaria, ita demum competit, si nec à lege,

BIU Cujas

lege, nec à testatore adempta sit. l. vn. & ſ. tit. prox. l. si seruus. 50. & de manumiss. testam. l. si peculium. 10. §. 1.

VII. *De statuliberis.*

RVrsus libertas in testamento relinquitur vel purè, vel in diem, vel sub conditidne. Is autem, qui statutam in diem vel conditionem libertatem habet, statuliber appellatur. l. 1. in pr. si modò libertas iure directo, non per fideicommissum relicta sit. ſ. de man. testam. l. libertate. 55. in pr. & ad leg. Falcid. l. eius. 37.

VIII. *Qui sine manumissione ad libertatem perueniunt.*

REgulariter serui per manumissionem ad libertatem perducuntur, vt hactenus expositum est. Interdum sine manumissione ipso iure liberi fiunt.

IX. *Qui, & à quibus manumissi, liberi non fiunt, & ad legem Æliam Sentiam.*

INterdum è contrario manumissi, libertatem non consequuntur: vt cùm in fraudem creditorum manumissi sunt: quia lex Ælia Sentia impedit libertatem. Instit. qui & ex quib. caus. manum. non poss. in pr.

X. *De iure aureorum annulorum.*

LIberti omnes propter manumissionem libertate fruuntur, si modò manumissio valeat: quidam verò etiam ingenuitate fruuntur vel saluo iure patronatus, videlicèt si ius aureorum annulorum impetrauerint. l. pen. & vlt. quod beneficium nouissimè omnibus libertis Iustinianus indistinctè concessit. No. 78.

XI. *De natalibus restituendis.*

VEl extincto iure patronatus, nimirum cum natalibus à principe sunt restituit. illis enim vtique natalibus restituuntur, in quibus initio omnes homines fuerunt, antequam seruitus iuregentium introducta esset. l. 2. 3. & vltim. in fin. & C. de nupt. l. imperialis. 23. §. 1.

XII. *De liberali causâ.*

HIs expositis, declarantur duo præiudicia, quibus de statu personæ quæritur. Primum præiudicium est, quo quæritur, vtrum aliquis sit liber, an seruus. quod bifariam moueri potest, vel enim qui in possessione libertatis est, in seruitutem petitur: vel qui est in possessione seruitutis, proclamat in libertatem. C. h. t. l. eam quæ. 21. & ſ. de procur. l. seruum. 33. §. 1.

XIII. *Quibus ad libertatem proclamare non licet.*

SEd non omnibus licet in libertatem proclamare. quibusdam enim hoc denegatur, vt maiori viginti annis, qui se ad pretium participandum venundari passus est. l. 1. 3. & seqq. & ſ. eno, quem quis per vim domino eripuit, & in testamento manumisit. l. 2.

XIV. *Si ingenuus esse dicetur.*

SEcundum præiudicium est, quo quæritur, vtrùm sit ingenuus, an libertinus.

XV. *Ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur.*

VTrique præiudicio commune est, vt de statu defuncti quæri non possit, si aut quinquennium lapsum sit. l. 1. in princ. aut in deteriorem conditionem retractetur. d. l. 1. §. vlt. & l. 3. aut sententia super statu lata sit. hæc enim eo mortuo retractari nequit: eo viuo retractari potest, etiamsi pro ingenuitate pronunciatum fuerit. d. l. 1. §. sed interdum.

XVI. *De collusione detegenda.*

ET, si constiterit eum colludente domino vel patrono fuisse iudicatum ingenuum, seruus aut libertus eius efficitur qui collusionem detexit. l. 1. & l. pen. Colludere dicuntur, qui non seriò inter se in iudicio contendunt, sed simulatè; proinde ludere videntur. De præiudiciis hactenus.

LIBER XLI.

TITVLVS I.

De acquirendo rerum dominio.

EXPOSITIS iudiciis personalibus, quæ sunt de obligationibus: & præiudiciis, quæ sunt de statu personarum; sequitur iudicium petitorium, quod est de rerum dominio. 1 ¶ Dominium est ius, quo res nostra est, ita vt de ea pro libitu disponere possimus. C. mandat. l. in re mandata. 21. nisi iure, vel testamento, vel conuentione prohibeamur. C. de reb. alie. non alien. l. vlt. 2 ¶ Diuiditur multis modis. I. Aut est ciuile, aut naturale. nam rerum dotalium mulier naturale, maritus ciuile dominium habet. C. de iu. dot. l. pen. II. Vel est directum, veluti quod habet feudi dominus, aut qui prædium in emphyteusim dedit: vel vtile quale habent Vassallus & emphyteuta. ſ. si ager vectig. l. 1. in fi. & C. de fun. patrimo. l. si possessores. 12. & C. de hæret. act. h. si verò dominus. III. Aliud est dominium proprietatis. D. de vsufr. l. si cuius. 13. in princ. & §. sed si ædium. l. sed si quid. 15. §. pen. l. locum. 17. in princ. l. sed et si. 25. §. 1. l. dominus. 57. §. 1. l. vsufructuarium. 62. §. 1. & de vsufr. accresc. l. interdum. 10. & quib. mod. vsusfr. amit. l. si ubi. 17. l. si seruus. 27. & si vsusfruperet. l. 5. in princ. & de vsu & habitat. l. si ita. 16. §. 1. & vsufru. quemad. caue. l. si vsusfructus. 9. in princ. & §. vlt. & C. de vsufr. l. 2. l. 3. §. 1. l. si domina. 10. & Instit. eod. §. pen. Aliud seruitutis, vt dominium vsusfructus. D. si vsusfr. petet. l. 3. Aliud possessionis. ſ. de condict. indeb. l. indebiti. 15. §. 1. Cùm dicimus dominium proprietatis: interdum, vt in d. l. si domina, intelligimus plenam proprietatem, à qua non est vsusfructus separatus (plena proprietas vocatur. ſ. de vsufr. l. qui vsumfructum. 36. §. 1. l. si extraneo. 46. in princ. & quib. mod. vsusfr. amittit. l. 2. in princ. & plenum ius. D. eod. l. si tibi. 17.) quando que significamus proprietatem deducto vsu, vt in d. l. si ita. §. 1. ſ. de vsu & habit. plerumque proprietatem deducto vsufructu, vt in multis iuribus suprà allegatis. hæc vocatur proprietas nud.. ſ. quib. mod. vsusfruct. amitt. l. 2. in princ. & de vsufr. lega. l. si vsusfructus. 8. l. si alij. 19. & Instit. de vsufr. §. 1. & §. vlt. vel proprietas sola. ſ. de vsufr. d. l. qui vsumfructum. §. 1. & simpliciter proprietas, vt in l. 5. in princ. ſ. si vsusfruct. petet. ¶ Dominium earum rerum quæ sunt in commercio, acquiritur aut iure gentium, aut iure ciui- 4
li. l. 1. & Instit. de rer. diuis. §. singulorum. Iuris gentium modi multi & varij sunt, sed ad quinque generales referuntur, occupationem, accessionem, commixtionem, perceptionem, & traditionem, vt exposui in Epit. iur. disput. 5. the. 8. & sequentib. Iuris ciuilis modi partim sunt particulares, quibus res singulæ acquiruntur, partim vniuersales, quibus acquiruntur vniuersitates; Instit. per quas perso. nob. acquir. §. vlt. Particulares sunt, vsucapio vel præscriptio, donatio, legatum, fideicommissum particulare. d. §. vlt. & adiudicatio. Inst. de offic. iudic. §. vlt. & noxæ deditio. Instit. de noxalib. action.

BIU Cujas

action. §. dominus. Vniuersales sunt, hereditas, bonorum possessio, arrogatio, addictio bonorum. d. §. vlt.

5 ¶ Nota primò neminem esse dominum membrorum suorum. ſ. ad leg. Aquil. l. liber homo. 13. in princip.

6 ¶ Nota secundò non posse esse plures eiusdem rei dominos in solidum. ſ. commoda. l. 5. §. vlt. eodem scilicet dominij genere. Nam possunt esse duo domini in solidum diuersis modis. vt putà eiusdem rei dotalis mulier habet dominium naturale, maritus ciuile. C. de iu. dot. l. penult. item alius potest habere dominium directum, alius vtile, vt in emphyteusi & feudo accidit. Præterea possunt esse plures domini, non corporis diuisione; sed iuris intellectu. ſ. de legat. ij. l. Mæuius. 66. sed si pars. id est, vt habeant partes, non pro diuiso, (alioquin essent domini diuersarum rerum) sed pro indiuiso. Hactenus de dominio.

II. *De acquirenda, vel amittenda possessione.*

1 IAm de possessione & iudiciis possessoriis dicẽdum. Possessio duplex est: altera propriè dicta, secundum quam aliquis possidet: altera impropriè dicta, secundum quam non possidet, sed tantùm in possessione est. l. 3. §. vlt. l. si quis ante. 10. §. 1. & de precar. l. 6. §. is qui. Quemadmodũ enim aliud est, esse seruum. aliud esse in seruitute. D. ex quib. cauſ. maior. l. ei quoque. 11. Inst. de ingen. §. vlt. ita aliud est possidere: aliud, in possessione esse: licèt hęc interdũ cõfundantur, vt Cuiac. docet lib. 12. Obser. c. 34. De possessione propriè dicta agitur hoc libro: de his qui sunt in possessione, dicetur libro sequenti. ¶ Possidere dicitur, qui rem corporalem. l. 3. in pr. quæ est in commercio. l. cùm heredes. 23. §. vlt. l. qui vniuersa. 30. §. 1. sibi detinet: cuiúsve nomine alius, vt colonus, procurator, hospes, amicus, detinet. Quapropter aliud est detinere aliud possidere. fieri enim potest vt alius teneat, alius possideat. vtputà colonus tenet, dominus autem per colonum possidet. l. generaliter 9. l. quod meo. 18. in pr. l. si id quod. 25. §. 1. Res incorporales impropriè possideri dicuntur, quatenus earum vsus pro possessione habetur. ſ. de seruitut. l. vlt. & seru. præd. vrb. l. si ædes.

3 32. §. 1. & de act. empt. l. 3. §. si iter. ¶ Possessio multis modis diuiditur. I. Alia est iusta seu legitima: alia iniusta seu vitiosa l. 3. §. ex contrario. l. iustè. 11. l. Pomponius. 13. §. vlt. & C. eod. l. nemo. 10. & ſ. vti possid. l. 2. & l. 3. in prin. Hæc subdiuiditur in violentam, clandestinam, & precariam. ſ. eod. l. 1. in princ. & §. vlt. & l. 2. II. Alia est naturalis, quæ in facto consistit, & corpore tenetur: alia ciuilis, quæ iure & animo constat. l. 1. in pr. l. 3. §. Neratius. §. quòd si seruus. l. si id quod. 25. §. vlt. l. possessionem. 29. & C. eod. d. l. nemo. & ſ. pro herede. l. 2. §. 1. & de vi & vi arma. l. 1. §. deiicitur. §. siue autem. §. eum qui. & de verb. oblig. l. stipulatio ista. 38. §. hæc quoque. Intellige ciuiliter animo possideri, id est animo domini, quod & cogitatione domini dicitur. C. de furt. l. pen. vers. cùm igitur. & opinione domini. ſ. de noxal. actio. l. si seruus depositus. 22. §. 1. III. Alij possident bona, alij mala fide. l. 3. §. penult. IV. Diuersa sunt possessionum genera, vt pro emptore, pro donato, pro legato, pro dote, pro herede, pro noxæ dedito, pro suo. d. l. 3. §. genera. V. Aut possidet aliquis per se, aut per alium qui eius nomine in possessione est, vt procuratorem, vel colonum. l. generaliter. 9. l. quod meo. 18. in princ. l. si id quod. 25. §. 1.

4 & Insti. de interdic. §. possidere. ¶ De possessione tria capita hîc constituuntur. Primum caput est de acquirenda possessione. Nota primò possessionem nos acquirere vel per nosmetipsos. l. 1. §. apiscimur. vel per alium, vt seruum, filium, d. l. 1. §. item acquirimus. procuratorem, tutorem, curatorem. d. l. 1. §. per procuratorem, dummodò & intellectum possidendi habeat. d. l. 1. §. ceterùm. & nobis possessionem acquirere velit. d. l. 1. §. hæc quæ. & §. seq. ¶ Nota secundò possessionem acquiri animo & corpore, non solo animo, nec solo corpore. l. 3. §. 1. l. quemadmodum. 8. & Instit. de interdict. §. possidere in fin. ¶ Nota tertiò, ad acquirendam fundi possessionem non esse opus omnes glebas circumambulare. sufficit enim quamlibet eius fundi partem introire animo totum fundum possidendi. d. l. 3. §. 1. ¶ Nota quartò etiam oculis & affectu possessionem apprehendi: veluti si iusserim rem præsentem tradi meo procuratori. l. 1. §. si iusserim. ¶ Secundum caput est de amittenda possessione. Nota eum, qui per se possidet, amittere possessionem vel animo & corpore, vel solo animo. d. l. 3. §. in amittenda. l. si quis vi. 17. §. 1. l. si me. 34. in prin. l. peregrè. 44. §. vlt. eius verò, quod alterius, vt serui aut coloni corpore possidetur, non amittitur possessio solo animo, si alius in possessionem ingressus nõ sit, sed solo animo retinetur. d. l. peregrè. §. vlt. & ll. seqq. & C. eod. l. vlt.

2 5 6 7 8

III. *De vsurpationibus, & vsucapionibus.*

TErtium caput est de effectu possessionis. Sciendum est, per possessionem interdum confestim acquiri dominium, videlicèt si dominus sit qui tradidit: interdum vsucapionem procedere, nempe cùm res à non domino tradita est. Instit. per quas person. nob. acquir. §. pen. atque ita dominium temporis progressu per possessionem non vsurpatam, id est non interruptam, acquiri. Nam vsucapere est possessione acquirere: nec nouum, vt vsus pro possessione accipiatur. ſ. de verb. signif. l. quæstio. 115. Itaque vsucapio sine possessione nulla est. l. sine. 25. ¶ Vsucapio à Modestino definitur adiectio dominij per continuationem possessionis temporis lege definiti. Ait *adiectio*, quod verbum iis attribuitur, quæ non vno momento, sed paulatim acquiruntur, vt accidit in vsucapione, & in alluuione, ſ. de acquir. rer. dom. l. 7. §. 1. & Instit. de rer. diuis. §. præterea. Potest etiam dici adoptio: vt loquitur Vlpianus. tit. de domin. & acquis. rer. §. vsucapione. Ait *per continuationem possessionis*: quia sine possessione non procedit vsucapio, vt paulò antè dixi. ac debet esse possessio continuata, non interrupta possessione interrumpitur vsucapio: eáque interruptio vocatur vsurpatio. Quocirca vsurpatio est vsucapioni contraria. & hac de causa in hac rubr. scriptum est, *De vsurpationib. & vsucapionib.* quia contrariorum eadem est scientia. l. 2. Continuatur autem possessio non solùm in eadem persona, sed etiam in diuersis, inter quas tempora possessionum coniunguntur. Hac ratione tempus, quo defunctus possedit, heredi prodest. l. possessio. 20. & Instit. eod. §. diutina. aut legatario, si res legata sit. l. id tempus. 14. §. 1. Quin etiam vacuum tempus, quod ante vel post aditam herediratem intercessit, ad vsucapionem heredi procedit. l. numquam. 31. §. pen. l. acceptam. 40. Similiter tempus, quo possedit venditor, prodest emptori. d. l. id tempus. in princ. & Instit. eod. §. inter. & si heres vendidit, vtrumque tempus, & quo defunctus & quo heres possedit, emptori accedit. ſ. de diuers. temp. præscript. l. pen. §. vlt. Ait *temporis lege definiti*. hoc tempus hodie in rebus immobilibus est decẽnium inter præsentes, viginti anni inter absentes: in rebus mobilibus est triennium. C. de vsucap. transfor. l. vn. Instit. h. t. in princ. Hoc tempus est continuum. l. nunquam. 31. §. 1. vbi mentio fit specialiter rerũ mobilium, vt poneretur casus magis dubius cùm idem multò magis obtineat in reb. immobilibus.

1 2 3 4

libus. Sed ideo de reb. mobilib. dubitari poterat: quia olim anno vsucapiebantur, & sæpe annus erat vtilis, non continuus. Cuiac. ad tit. Vlp. de domin. & acquisit. rer. in ver. rerum mobilium. Porrò hoc tempus nec ab hora ad horam computatur: sed sufficit ad vltimam diem peruenisse, & aliquo eius diei momento possedisse, vt vsucapio impleta dicatur. l. 6. & 7. & ff. de diuers. temp. præscript. l. pen. in princ. In bisexto biduum pro vno die accipimus, & posterior dies intercalatur. ff. de ver. sign. l. cum bissextum. 98. quare si vltimus vsucapionis dies sit bissextus, primâ illius bidui horâ vsucapio absoluitur. Sed si is dies in medium vsucapionis tempus incidat, legitimæ vsucapionis tempora auget: quia semper biduum pro vna die computatur.

3 ff. de diuers. tempor. præscript. l. 2. ¶ Vsucapio bono publico introducta est, ne rerum dominia semper essent in incerto. sufficit enim dominis ad res suas inquirendas tempus à iure statutum. l. 1. & Instit. eod. in

4 princ. ¶ Vsucapi possunt maximè res corporales, tam mobiles quarum propriè vsucapio dicitur, quàm immobiles, quarum dicitur esse longi temporis possessio, vel longi temporis præscriptio, vt in rubr. Instit. h. t. quæ sunt in commercio. l. vsucapionem. 9. Instit. eod. §. 1. & neque sunt fiscales. l. quamuis. 18. & Instit. eod. §. res fisci. neque pupillares. ff. de acquir. rer. domin. l. bonæfidei. 48. in princ. (nam quod dicitur in l. 2. §. si à pupillo. ff. pro empto. rem à pupillo venditam vsucapi, intelligendum est de re aliena, non de re ipsius pupilli) nec in dominio possidentis. l. 4. §. Iana. nec vitiosæ, id est nec furtiuæ, nec vi possessæ. d. l. 4. § quod autem. & §. ceterum. & Instit. eod. §. furtiuæ. quia vel numquam hoc vitio laborarunt, vel vitium purgatum fuit, veluti quia res in potestatem domini rediit. d. l. 4. §. tunc. & Instit. eod. §. aliquando. Similiter res, quæ fisci esse desiit, vsucapi potest. l. vbi. 24. §. 1. Quod ad res incorporales attinet, seruitutes vsucapi nequeunt: libertas autem seruitutis vsucapi potest. l. 4. §. vlt. & ff. de seruit. l. seruitutes. 14. in princ. Intellige non vsucapi seruitutem per se: nam vsucapiens prædium, ea vsucapione etiam seruitutem acquirit, quæ ei prædio præstatur. l. si aliena. 10. §. 1. quia seruitus est prædij qualitas. D. de verbor. signif. l. quid aliud. 86. proinde à prædio non separatur: & prædium, qualiter se habet, ita possidetur. ff. quemad. seru. amitt. l. qui fundum. 12. Præterea etsi seruitus non potest vsucapi, tamen potest longo tempore præscribi. ff. si seru. vindic. l. si quis diuturno. 10. in princ. & de aqua & aqua pluu. arcen. l. 5. §. pen. & ff. de itin. actúque. priu. l. 1. & C. de seruit. l. 2. Vide

5 Cent. 3. ἀβ ἐναντοφανῶν, quæst. 53. ¶ Vt vsucapio procedat eius rei quæ vsucapi potest, tria requiruntur. I. Possessio continuata per tempus lege definitum, vt ex suprà dictis patet. II. Bona fides. hæc in vsucapiente requiritur tempore traditionis, nisi ex causa emptionis acceperit: tunc enim & contractus & traditionis tempore bona fides exigitur. l. si aliena. 10. in pr. l. pen. & ff. tit. prox. l. 2. in princ. iure autem canonico per totum vsucapionis tempus necessaria est. extrà de præscript. c. vltim. & de regul. iur. lib. 6. reg. si possessor. Item in eo requiritur, à quo vsucapiens accepit, si aut rem mobilem alienauit, ne res furtiua facta sit. Instit. h. t. §. furtiuæ. vers. vnde in rebus. aut rem immobilem alienauit ignorante domino. No. 119. c. 7. III. Titulus ad vsucapiendum idoneus, qui etiam causa vocatur. Instit. h. t. in princ. & C. de rei vindic. l. nullo. 24. Nec sufficit, si quis falsò putet se habere titulum: quoniam error falsæ causæ ad vsucapionem non prodest. l. Celsus. 27. & Instit. eod. §. error. & ff. pro dona. l. 1. in princ. & pro derel. l. 6. & pro lega. l. 1. 2. 3. Nisi iusta sit erroris causa. ff. pro suo l. 3. l. 4. §. vlt. & ff. de iu. dot. l. Proculus. 67. Quæ exceptio an in vsucapione pro emptore locum habeat, sequenti titulo docebo. Sunt enim plures vsucapionum tituli qui deinceps declarabuntur.

¶ Primus titulus est solutio. Idcirco ante l. 46. h. t. vul- 6
gati Codices habent rub. *Pro soluto.* Vsucapit autem pro soluto, I. Qui rem ex solutionis causa recipit: siue tamquam res debita, siue aliud pro alio soluatur. l. pro soluto. 46. II. Qui ex falsa causa rem per errorem accipit, id est, ex causa legati, vel alia simili causa, si tam tradens, quàm accipiens putet rem esse debitam. l. pen. vbi excipitur emptio, quia regulariter in emptione opus est titulum reuera interuenisse: quod iam dixi me expositurum titulo sequenti.

IV. *Pro emptore.*

SEcundus titulus est emptio. Pro emptore vsucapit, I. Qui reuera emit. l. 2. in princ. à non domino. D. de contrah. empt. l. clauibus. 74. aut quasi emit, putà litis æstimationem soluit. l. 1. & l. 3. Emptionem puram intellige, aut cuius conditio impleta est. nam pendente conditione non vsucapitur. d. l. 2. §. si sub conditione. II. Qui iustissimo errore ductus, rem emptam putat, id est, qui iusta de causa putat eum emisse, cui successit, aut cui rem emendam mandauit, si fortè procurator se emisse ei persuasit. l. quod vulgò. 11. & ff. pro suo. l. vltim. §. 1. Secus est, si quis, quasi ipse emerit, vsucapere velit. licèt enim res quasi ex causa venditionis per errorem ei tradita sit, tamen vsucapio non procedat: quia (vt superiori tit. docui) proprium huius vsucapionis est, vt bonam fidem tam contractus quàm traditionis tempore requirat: non potest autem esse bonafides tempore contractus, nisi reuera contractus intercesserit. quare iusta erroris causa hoc casu ad vsucapiendum non prodest. d. l. 2. in pr. & ff. tit. prox. l. pen.

V. *Pro herede vel possessore.*

TErtius titulus est hereditas, vel bonorum possessio. Hæc vsucapio dicitur pro herede. Nam pro 1
herede possidet, qui tamquam heres vel bonorũ possessor possidet. ff. de vsurpat. & vsucap. l. non solum. 33. §. 1. ¶ Hoc titulo vsucapi possunt. I. Res heredi- 2
tariæ, non ipsa hereditas. Accurs. & Cuiac. in l. 1. Sene. de benef. lib. 6. cap. 5. II. Res defuncti, non res viuentis. d. l. 1. & C. eod. l. 3. proinde res ex hereditate ad suum heredem pertinente non vsucapiuntur. C. eod. l. 2. quoniam ipso iure est heres. ff. de liber. & postum. l. in suis. 11. & Instit. de hered. qual. §. sui autem. proinde dominus. Instit. eod. §. item extraneus. ¶ Pro 3
herede vsucapere potest, qui testamenti factionem passiuam habet, id est, qui succedere potest. l. vltim. ¶ Reipsa autem pro herede vsucapit, I. Qui successit 4
possidenti (exempli causâ) pro emptore. ff. de acquir. poss. l. 3. §. ex plurimis. Vbi notandum, etiamsi defunctus non potuerit vsucapere, vt quia res vitiosa erat, tamen vitio purgato posse vsucapionem incipere à persona heredis. ff. de vsurpat. & vsucap. l. vbi. 24. §. 1. De possessione autem per defunctum inchoata dixi ff. tit. prox. §. 2. II. Qui putat se esse heredem vel bonorum possessorem. d. l. non solùm. §. 1. dummodò iustam errandi causam habeat, alioquin error ei non prodest. C. h. t. l. vlt. III. Heres vel bonorum possessor vsucapit rem alienam, quam putat esse hereditariam. l. 3. dummodò similiter iustam erroris sui causam habeat. d. l. vltim. ¶ Duo sunt Doctorum errata hîc notanda. 5
I. Falsò putant suum heredem non posse vsucapere: hunc errorem refellit Cuiac. in comment. ad l. 2. §. 1.

BIU Cujas

verſ. filium. II. Falsò putant pro herede & pro poſſeſſore aliter hîc accipi, quàm ſuprà de heredit. petit. l. pro herede. 11. & Inſtit. de interdi. §. adipiſcendæ. vbi pro herede poſsidet, qui bona fide poſsidet exiſtimans ſe eſſe heredem aut bonorum poſſeſſorem: pro poſſeſſore autem poſsidet, qui malafide poſsidet, ſciens hereditatem ad ſe non pertinere. hic enim putant tam pro herede quàm pro poſſeſſore poſſideri bona fide: ſed illam poſſeſsionem pertinere ad hereditatem ciuilem; hanc reſpicere ad bonorum poſſeſsionem prætoriam. In hac ſententia etiam Cuiacius eſt. Ego verò hîc & in toto iure inter poſſeſsionem pro herede, & poſſeſsionem pro poſſeſſore ita diſtinguo: vt illa ſit bonæ fidei, hæc malæ fidei. Nec aliter accipi in hoc vſucapionum tractatu, patet ex d. l. non ſolùm §. 1. Itaque dico eum qui pro herede poſsidet, vſucapere; eum verò qui pro poſſeſſore poſsidet, non vſucapere. hæc autem ideo coniungi, quia contrariorum eadem eſt ſcientia, eadémque methodus in multis Iuris titulis adhibetur.

VI. *Pro donato.*

QVartus titulus eſt donatio. Pro donato is vſucapit, cui res donationis causâ tradita eſt. l. 1. in pr. Subaudi, à non domino: alioquin ſtatim ſiue vſucapione dominus fieret. Inſtit. de rer. diuiſ. §. per traditionem. & de donat. in princ. & intellige donationem, quæ iure valeat. d. l. 1. §. 1. & 2.

VII. *Pro derelicto.*

QVintus titulus eſt pro derelicto. Is pro derelicto rem habet, qui ea mente abiicit, vt in numero rerum ſuarum ampliùs eſſe nolit. Inſtit. de rer. diuiſ. §. penult. Si res à domino pro derelicto ſit habita, occupantis ſit ſtatim. l. 1. l. 5. §. 1. & Inſtit. de rer. diuiſ. d. §. pen. Si à non domino, occupans eam vſucapiet pro derelicto. l. 4.

VIII. *Pro legato.*

1 SExtus titulus eſt legatum. Pro legato vſucapere
2 poteſt is, cum quo teſtamenti factio eſt. l. 7. ¶ Re ipſa vſucapit. I. Is cui legatum eſt à non domino. l. 1. & 4. II. Is cui à domino legata res eſt, ſi legatum vel iure non ſit relictum, vel ſit ademptum, dummodò legatarius hoc ignoret, vt dici poſſit habere bonam fidem. d. l. 4. & l. vlt. Ceterum ſi dominus rem ſuam leget, ac legatum valeat: ſine dubio legatarius ſtatim
3 fiet dominus, nec egebit vſucapione. ¶ Nota, etiam viuente eo, qui legauit, rem pro legato poſſe vſucapi, ſi legati nomine tradita ſit, & is cui tradita eſt, eum mortuum eſſe putet. l. 5. & 6. Alia ratio eſt vſucapionis pro herede: quin pro herede nihil ex viuentis bonis vſucapi poteſt, etiamſi poſſeſſor exiſtimet eum eſſe defunctum. ſ. pro herede. l. 1.

IX. *Pro dote.*

SEptimus titulus eſt dos. Vt enim qui dotis causâ rem à domino vel domina accipit, dominium confeſtim acquirit. Inſtit. de rer. diuiſ. §. per traditionem. ita qui accipit à non domino, vſucapit pro dote. l. 1. in princ. & C. eod. l. vn.

X. *Pro ſocio.*

OCtauus titulus eſt pro ſuo. Hic titulus & cum aliis concurrit, & ſine eis ſubſiſtit. Nam pro ſuo vſucapit, I. Qui alium quoque verum titulum habet, vt pro emptore, pro donato, pro legato. l. 1. in princ. II. Qui alium titulum opinatum habet, velati qui iuſto errore ductus putat ſe ex donationis vel ex alia iuſta cauſa accepiſſe. l. 3. l. 4. §. vlt. l. vlt. §. 1. ſecus eſt, ſi iuſtam errandi cauſam non habeat. ſ. de vſurpat. & vſucap. l. Celſus 27. III. Qui alium titulum non habet, nec verum, nec opinatum: vt cùm aliquis fundum rei alienæ emptæ, vel donatæ, vel quæ in hereditate inuenta eſt, vſucapit. l. 2. Expoſiti ſunt octo tituli vſucapionum: præter quos ſunt & alij, vt pro adiudicato. ſ. de vſurpat. & vſucap. l. ſi per errorem. 17. pro noxæ dedito. ſ. de acquir. poſſeſſ. l. 1. §. genera. & pro tranſactione. C. lib. 7. tit. 26. De vſucapionibus hactenus.

LIBER XLII.

TITVLVS I.

De re iudicata & de effectu ſententiarum & de interlocutionibus.

SVperiori libro dictum eſt de iis 1
qui poſsident: hoc libro dicetur de iis qui ſunt in poſſeſsione: ac Primum de cauſis tam efficientibus, quàm finalibus, propter quas in poſſeſsionem aliquis mittitur: Poſtea de miſsionis effectu. ¶ Prima 2
cauſa efficiens, eſt res iudicata. Dicitur autem res iudicata, quæ finem controuerſiarum pronunciatione iudicis accepit: quod vel abſolutione, vel condemnatione contingit. l. 1. & C. de ſentent. & interloc. omn. iud. l. 3. Ea verò iudicis pronunciatio appellatur ſententia definitiua. C. de ſentent. ex peric. recitan. l. 2. & de ſentent. & interloc. omn. iudic. d. l. 3. l. cùm iudex. 11. l. vlt. cum ſimil. vel ſimpliciter ſentẽtia. C. eod. l. 1. 2. & paſsim. vel vltima definitio. C. de ſent. ex peric. recitan. l. vlt. Aliud igitur eſt ſententia: aliud, res iudicata. Nã res iudicata eſt lis finita per iudicis pronunciationem: ſentẽtia verò eſt ipſa pronunciatio litem finiens. Et ſtatim ac iudicatũ eſt, res iudicata dicitur in libris iuris ciuilis, licèt prouocari poſsit. d. l. 1. & ſ. de condict. indeb. l. eleganter. 23. §. 1. & C. de appellat. l. litigatoribus. 14. In iure autem canonico & in praxi ſententia dicitur tranſire in rem iudicatam, cum prouocare ampliùs non licet. ext. hoc tit. cap. cùm inter. 13. & cap. quod ad conſultationem. 15. ¶ Sententia defini- 3
tiua. I. Vel eſt abſolutoria, vel condemnatoria. l. 1. & C. de ſentent. & interloc. omn. iudic. l. 3. II. Vel eſt de tota cauſa, vel de aliquo capitulo ſiue articulo, id eſt parte eius. C. de reb. cred. l. pen. §. 1. & §. his de præſentib. & de ſentent. & interloc. omn. iudic. l. pen. ¶ Om- 4
nibus ſententiis definitiuis cõmunia hæc ſunt. I. Requirunt cauſæ cognitionem. C. de ſentent. ex peric. recitan. l. 2. II. Ex ſcripto (quod vocatur periculum) recitari debent, plerumque ab ipſo iudice. C. eod. to. tit. III. Debent eſſe certæ, quoad eius fieri poteſt. C. de ſentent. quæ ſine cer. quant. tot. tit. & Inſtit. de act. §. curare. IV. Debent eſſe conformes libello, id eſt petitioni. ſ. commu. diuid. l. vt rebus. 18. & C. de fideicom. libertat. l. vltim. ¶ Effectus ſententiæ ſunt hi. 5
I. Litem terminat & finit. l. 1. & ext. eod. cap. 2. II. Rei iudicatæ ſtandum eſt. C. eod. l. 1. & ſ. de bon. libertor. l. ſi patronus. 12. §. ſi quis cùm eſſet: quia res iudicata pro veritate habetur, ſ. de ſtatu homin. l. ingenuum. 25. & ĩ. de diuerſ. reg. iur. l. res iudicata. 207. III. Poſt rem iudicatã tranſigi nõ poteſt, niſi appellatum ſit, vel appellari poſsit, vel dubitetur an ſit iudicatũ. ſ. de tranſact. l. 7. in pr. l. poſtrem. 11. IV. Res inter alios iudicata,

aliis

BIU Cujas

aliis nec nocet, nec prodest. l. sæpe. 63. in pr. & C. quib. res iudic. non nocet, toto tit. & inter alios acta. l. vlt.
6 ¶ Effectus absolutionis est, vt pariat exceptionem rei
7 iudicatæ, de qua ff. lib. 44. tit. 2. ¶ Effectus condemnationis est, vt pariat actionem iudicati: quæ habet executionem paratam. ff. de minor. l. minor. annis. 40. in pr. Fit autem executio iudicij realis statim, nisi reo ex iusta causa dilatio danda sit. Instit. de offic. iudic. §. etsi in rem. in personalibus Iustinianus quatuor menses indulget. C. de vsur. rei iudic. l. vlt. Ordinem in executione facienda seruandum declarat Vlpianus in l. à
8 Diuo Pio 15. ¶ Res iudicata non retractatur prætextu computationis. C. h. t. l. 2. vel nouorum instrumen-
9 torum postea repertorum C. eod. l. 4. ¶ Infirmatur autem I. Exceptione doli. C. eod. l. 1. aut Macedoniani, aut Velleiani senatusconsulti. ff. de senatusconsul. Macedon. l. tamen. 11. aut proposita à milite. C. de iur. & fact. ignor. l. 1. II. Appellatione. ff. de his qui notãt. infam. l. 6. §. 1. & ff. ad Turpill. l. 1. in pr. III. Supplicatione. C. de sentent. præfe. prætor. l. vn. IV. Restitutione in integrum. l. Diuus. 33. & ff. de offic. præf. prætor. l. vn. §. vlt. & de minor. l. in causæ. 16. §. vlt. & l. seq. & C. si aduers. rem iudic. toto. tit. Hæc de re iudicata,
10 & sententia definitiua, eiúsque effectu dicta sint. ¶ Inter locutio est præceptum iudicis, quod ad iudicij progressum spectat, & plerumque litem non perimit. C. de sentent. & interloc. omni. iud. l. post sententiam. 9. Dixi *plerumque*: quia interlocutio interdũ ferè perimit controuersiam: vt cùm iudex se pronunciat incompetentem: quoniam apud ipsum lis amplius non erit: Ergo quod ad ipsum lis finita est Bartol. ad d. l. post sententiam. & cùm exceptionem peremptoriam reprobat. C. Theodos. de appellat. l. cum de præscriptionib. 37. & cùm reum requirendum annotat. C. si pen-
11 dente appell. mors interu. l. 2. ¶ Interlocutio nec scripturam requirit, nec causæ cognitionem. ff. de his qui notant. infam. l. quid ergo. 13. §. quantum. & ab ea regulariter iure ciuili non potest appellari. ff. de appellat. l. 1. §. huic consequenter. & de appellat. recipien. l. 2. Iure autem pontificio ab omni grauamine licet appellare. extrà de appellat. cap. super eo. 12. Hæc dicta sint de prima causa efficiente missionis in possessionem.

II. *De confessis.*

SEcunda efficiens causa primæ similis, est confessio. nam confessus pro condemnato habetur. l. 1. l. 3. l. 6. §. sed etsi. vers. & omne. & ff. tit. prox. l. post rem. 56. & C. de repud. hered. l. 4. ideóque confesso dantur ad soluendum eadem tempora, quæ iudicato. d. l. 6. §. vlt. & C. de ex cut. rei iudic. l. vlt. Sed vt hoc obtineat, multa requiruntur. I. Vt confessus non erret in facto. Error autem iuris non reddit confessionem inutilem. l. 3. II. Vt confiteatur in iure. C. h. t. l. vn. III. Vt confiteatur præsente aduersario, vel eius procuratore, vel tutore, vel curatore. d. l. 6. §. si quis absente. IV. Vt cõfiteatur se debere. d. l. 3. l. 5. l. pen. aut rem esse aduersarij. d. l. 6. §. sed etsi fundum. Alia est confessio, qua quis fatetur sibi nõ deberi. ff. de donat. l. donari. 29. §. 1. V. Vt certum confiteatur. d. l. 6. in princ.

III. *De cessione bonorum.*

1 TErtia causa efficiens, est cessio bonorum, id est, cùm quis oneratus ære alieno, bona sua credito-
2 ribus dimittit. ¶ Bonis cedere potest tam filiusfamiliàs, quàm paterfamiliâs. C. h. t. l. pen. dummodò vel debitum agnouerit, vel sit condemnatus, vel in iure confessus. l. pen. Sed propter honorem municipalem, vel munus, non admittitur bonorum cessio: verùm vnicuiq; hæc pro facultatibus imponuntur. C. eod. l. 5.
5 ¶ Bonis cedi potest tam in iure, quàm extra ius. & sufficit simplex voluntatis professio. C. eod. l. 6. etiam per nuncium, vel per epistolam declarata. d. l. vltim.
4 ¶ De effectu cessionis hęc notentur. I. Qui bonis cessit, non liberatur, nisi creditores solidum consequantur. C. eod. l. 1. Sed interim non potest ab eis inquietari. l. 4. §. 1. nec in carceres coniici. d. l. 1. Si verò postea aliquid non modicum. l. 7. & Instit. de action. §. vltim. extra causam alimentorum consequatur. l. 6. in quantum facere potest, conuenitur. d. l. 4. in princ. d. §. vlt. II. Creditores non possunt sua auctoritate bona eius detinere iure dominij, & inter se diuidere, sed debẽt ea vendere, & ita indemnitati suæ consulere. C. eod. l. 4. III. Antequàm bona à creditorib. distrahantur, is, qui cessit, bonis suis non caret. quapropter potest pœnitere, & se defendere, vel creditoribus satisfacere, & ita bonorum venditionem impedire. l. 3. & 5. & C. eod. l. 2. IV. Qui bonis cessit, non notatur infamiâ iuris. C. ex quib. caus. infam. irrog. l. debitores. 11. sed tantùm infamia facti. No. 4. cap. vlt. & No. 135. vbi Iustinianus necessitatem carceris sustinendi vel bonis cedendi remittit iis qui iurauerint se non esse soluendo, si non suo vitio, sed aduersis casibus ad inopiam redacti sint.

IV. *Quibus ex causis in possessionem eatur.*

POstquàm dictum est de causis efficientibus, conse- 1
quenter agitur de finalibus quæ quidem tres ferè sunt, propter quas in vniuersarum rerum possessionem aliquis mittitur: rei seruandæ causâ, legatorum seu fideicommissorum gratiâ, & ventris nomine: nam ex causa damni infecti tantùm in rei, id est domus ruinosæ possessionem fit missio. l. 1. Rei appellatione hîc cum Cuiacio intelligo creditum, dotem & iudicatum.
¶ Rei seruandæ causâ mittitur aliquis in possessionem 2
duobus casibus. I. Si debitor vel possessor neque sui potestatem faciat, neque boni viri arbitratu defendatur, etiamsi in ius vocatus cauerit iudicio sisti. l. 2. nec solùm si latitet. d. l. 2. §. 1. sed etiamsi alia de causa absit. ead. l. 2. §. quid si veluti si exilij causâ solum vertit, nec defenditur. l. ad cognitionem. 13. Latitare est cum tractu aliquo latere quemadmodum factitare est frequenter facere. l. 7. §. latitare. Defendi videtur, qui per absentiam suam nullo modo deteriorem causam aduersarij facit. d. l. 2. §. pen. Sed neque sufficit defendisse aliquando, nisi duret defensio: neque nocet non defendisse, si nunc defensio offeratur. ead. l. 2. §. vlt. II. Si defuncto heres non extet. l. si diu. 8. & l. seq. ¶ De mis- 3
sione legatorum seruandorum gratiâ dictum est lib. 36. tit. 4. ventris nomine, lib. 37. tit. 9. damni infecti. lib. 39. tit. 2.

V. *De rebus auctoritate iudicis possidendis seu vendundis.*

CAusis missionis in possessionem enarratis, effe- 1
ctus declarantur. Primus effectus est, vt cùm primo prætoris decreto in possessionem missi, non possideant, sed tantum in possessione sint custodiæ causâ. ff. tit. prox. l. 2. l. cum legatorum. 12. & prætorium pignus obtineant. ff. pro empto. l. misso. 12. & C. qui potior. in pign. l. 2. si reus in contumacia perseuerat, & fraudationis causa latitet, à prætore interponatur secundum decretum, quo ijdem creditores possidere iubentur, non vt ea bona iure dominij sua auctoritate detineant, & inter se partiantur, sed vt legitimè distrahant. ff. tit. prox. l. 7. §. 1. & 2. quod de eorum bonis, qui sunt in iure confessi. ff. notaui. tit. 3. §. 4. memb. 2.

BIU Cujas

2 ¶ Nota primò, si ante venditionem bonorum existat, qui defendere, vel soluere paratus sit, æquum esse vt bona restituãtur cum fructib. ita vt & impensarum ab eo factarum qui in possessione fuit, & si dolo eius de-
3 terior causa possessionis facta sit, per in factum actionem ratio habeatur.l.4.in fi.l.prætor ait.9. ¶ Nota secundò,Cũ bona distrahuntur,si plures ea emere parati
4 sint, extraneo emptori præferri cognatum & vtrique præferri creditorem. l. cùm bona.16. ¶ Nota tertiò, ex eo,quod ex bonorũ venditione redigetur, creditoribus ordine satisfieri: ita vt priùs satisfiat creditoribus priuilegiariis,qua ratione ad d.l.cùm bona.in vulgatis libris adscribitur rubr. *de priuilegijs creditorum.* de quibus in subsequentibus legibus agitur. Priuilegiũ hîc accipitur pro iure prælationis, seu pro prærogatiua, qua creditor aliis creditoribus præfertur. Duo verò sunt creditorũ genera, alij vocantur pigneratitij siue hypothecarij, quibus non tantum actio personalis ex contractu principali,sed etiam hypothecaria ex conuentione de pignore competit; alij chirographarij, qui tantùm actionem personalem habent sine hypotheca. & tam in hoc quàm in illo genere alij sunt creditores priuilegiarij, alij non priuilegiarij. Sciendum igitur est hypothecarios præferri chirographariis.C.de bo.auctor.iud.possid.l.6.& de priuil.fi.l.3. & qui potio. in pign. l. eos. 9. Qui verò inter hypothecarios præferantur, expositum est sub tit. qui pot. in pign. hab. sed qui præferantur in actione personali, hoc loco declaratur: vbi notandæ sunt sequentes regulæ. I. Priuilegia personalium actionum non æstimantur ex tempore, sed ex causa. l. priuilegia. 32. nemo enim potior est ratione temporis in actione personali, vt in hypothecaria;in qua qui est prior tempore, est potior iure. II. Priuilegiarius præfertur non priuilegiario. III. Priuilegiarius contra alium priuilegiarium non vtitur suo priuilegio. C. de priuileg. fi. l. 2. & Nou. 91. cap.1. Interdum tamen priuilegiarius alij priuilegiario præfertur, vt fiscus iis qui in nauem extruendam, vel instruendam credidit. l.qui in nauem. 26.& l.quod quis 34. Sed eius qui sciens cum fraudatore contraxit, ratio non habetur, quoniam prætor actionem ei denegat.l.ait prætor.25.

VI. *De separationibus.*

1 NOta quartò creditoribus defuncti.l.1.§.1.etiamsi ex die vel sub conditione eis debeatur. l.4. in pr. aut legatariis, l. pen. in princ. intra quinquennium ab adita hereditate postulantibus, decreto prætoris. l. 1. in princ. separari bona defuncti à bonis heredis propriis; ita vt ex his satisfiat creditoribus heredis, ex il-
2 lis satisfiat creditoribus hereditariis. ¶ Hoc beneficium denegatur. I. His qui nouandi causâ ab herede stipulati sunt, vel aliter heredem elegerunt, putà accipientes ab eo vsuras. d.l. 1.§. illud. aut fideiussores.d. l.1.§.item quæritur. aut pignus.d.l.1.§. si quis pignus. Secus est, si iudicio heredem conuenerunt: quia cùm ex necessitate hoc fecerint, nihilominùs separationem impetrare poterunt.l.vlt. II. Creditoribus heredis.d.l.1.§. ex contrario. & §. quæsitum. III. Ipsis heredibus,nisi necessarij sint.d.l.1.§. vlt. aut patronus libertæ successerit, quæ hereditatem ære alieno oneratam adiuerat. l. pen. §.1. IV. Postquàm bona hereditaria bonis heredis mixta sunt. d. l. 1. §. præterea. V. Post quinquennium ab adita hereditate. d. l. 1. §. quod dicitur. VI. Postquàm heres bona fide here-
3 ditatem vendidit. l. 2. ¶ De effectu dictæ bonorum separationis hæc notentur. I. Si multi sint creditores hereditarij; & horum alij personã heredis secuti sint, alij separationem bonorum impetrauerint: horum impetratio illis non prodest. d.l.1.§. quæsitum. II.Facta bonorum separatione, primùm ex bonis hereditariis satisfit creditoribus hereditariis, deinde, si quid supersit,etiam creditoribus propriis ipsius heredis: ex bonis autem propriis heredis satisfaciendum est propriis dumtaxat creditoribus, non hereditariis,etiamsi aliquid supersit postquàm satisfactum est propriis creditoribus: quia cum creditores hereditarij separationem impetrarunt, omnino à persona heredis recesserunt. Si tamen temerè separationem petierunt,impetrare veniam ob iustissimam ignorantiæ causam possunt. d.l.1.§.penult. l.3.§. vlt. & l.5. ¶ Exemplo dictæ 4
separationis & alia recepta est, qua postulantibus creditoribus castrensibus bona filijfamiliâs castrensia à paganicis separantur. d.l.1.§.si filijfamilias. Hucusque dictum est de primo missionis in possessionẽ effectu.

VII. *De curatore bonis dando.*

SEcundus effectus est, vt curator bonis plerumque 1
detur,qui ea custodiat,administret, distrahat, & ex redacto creditoribus satisfaciat. ¶ Eum constituunt 2
creditores priuato consilio. l. vlt. vel adeunt prætorem seu præsidem, qui sequetur maioris creditorum partis voluntatem. l. 2. in pr. ¶ Hoc munus iniungi- 3
tur vel vni ex creditoribus, vel cuiuis alij.d.l.2.§. pen. Et vel vni vel pluribus.d.l.2. in pr. ¶ Per eum vel eos 4
gesta,rata habentur. d.l.2.§.1. Et cùm plures sunt,singuli in solidum possunt agere vel conueniri. Sed si per regiones fuerint constituti,vnus fortè rei Italicæ, alter in prouincia: administrationes confundere non debent.d.l.2.§.si plures.

VIII. *Quæ in fraudem creditorum facta sunt, vt restituantur.*

TErtius effectus est, vt rescindantur ea, quæ mis- 1
sionem passus fecit in fraudem creditorum. Hac de re tria sunt remedia. ¶ Primum remedium est actio 2
Pauliana personalis. D. de vsur. l. videamus generali. 38.§. in Fabiana.in factum. l.ait prætor.10.vers. interdum. & §.annus. l.hac in factum.14. intra annum vtilem competens.l.1. in princ. ex die venditionis bonorum computandum.l.6. §.vlt. d.l.ait prætor. §. annus. qua ea quæ debitor in fraudem creditorum alienauit, reuocantur.d.l.1.§.1. & C.eod.l.1. & s. de vsur.d.l.videamus generali.§.in Fabiana. ¶ Hæc actio datur tam 3
curatori bonorum, quàm creditoribus. d.l.1. in princ. ¶ Ac datur I.Contra eum qui fraudem non ignorauit, 4
quocumque titulo rem acceperit. d.l.1. in princ.d.l.6. §.hoc edictum. & C.eod.l.penult. II.Contra eum,qui fraudis ignarus fuit, si titulo lucratiuo rem acceperit. d.l.6.§.simili.d.l.ait prætor.vers.interdum.& C. eod.d. l.pen. III. Contra ipsum fraudatorem, si quædam ita disperdidit, vt recuperari nequeant. l.1.in princ. l. vlt. §. vlt. ¶ Secundum remedium est actio rescissoria in 5
rem. Sicut enim creditores post secundum decretum, quo iussi sunt possidere, si rerum possessionem amiserint,eas vindicare possunt. s. commu. diuid.l.5 l.7.§. planè. & de dam. infec. l. si finita.15.§. Iulianus, ita si quasdam res non inuenerint in bonis debitoris, eò quòd debitor in eorum fraudem eas antea alienauerat, prætor eis vtilem vindicationem, rescissa fraudulenta illa alienatione, concedit. de hac actione puto Iustinianum loqui in §. item si quis in fraudem. de action. ¶ Tertium remedium est interdictum, quo prætor 6
rem,quam quis à fraudatore non ignarus fraudis accepit,

BIU Cujas

pit, restituere creditori iubet. Huic interdicto locus est intra annum vtilem. d. l. ait. prætor. in princ. §. 1. & 2.

LIBER XLIII.

TITVLVS I.

De interdictis, siue extraordinarijs actionibus, quæ pro his competunt.

1 POSTQVAM de possessione & quasi possessione dictum est, de iudiciis possessoriis est dicendum. De possessione & quasi possessione quæritur vel actione, vt condictione. ſ. de condict. indeb. l. indebiti. 15. §. 1. & actione Seruiana. ſ. de euictio. l. si cùm venditor. 66. in pr. vel interdicto. Instit. h. tit. in princ. De illis actionibus dictum est suis locis:
2 interdicta sunt hoc loco enarrãda. ¶ Interdicta erant formæ atque conceptiones verborum, quibus prætor aut iubebat aliquid fieri aut fieri prohibebat. d. princ. ¶ Et quia prætor inter duos litigãtes interdictum reddebat, nec dabat, iudicem, vt cum actionem tribuit, id circo appellatum est interdictum, quasi inter duos dic-
3 tum. Instit. eod. §. 1. in fi. ¶ Interdictum igitur, propriè loquendo, non est actio. ſ. de procurat. l. sed & hæ. 35. §. non solùm. licèt actionis vocabulo latè sumpto comprehendi possit. ſ. ad leg. Aquil. l. ob id. 43. vers. puto. & de mort. infer. l. 3. in princ. & de oblig. & act. l. actionis. 37. sed interdictum sequebatur actio. Nam prætor interdictum reddebat: deinde si dubitabatur an quis eo interdicto teneretur, de eo quærebatur apud iudicem per actionem in factum. verbi gratiâ prætor interdicebat, *Quod vi aut clam feceris, restituas.* si ille, contra quem interdictum impetratum erat, negabat se vi aut clam fecisse, de eo quærebatur apud iudicem per actionem in factum. solebant etiam de ea re sponsiones fieri. sed hæc omnia in desuetudinem abierunt: hodie namque extra ordinem agitur, perinde ac si prætor interdixisset. Instit. h. t. §. vlt. idcirco hæc rubrica ita concepta est, *De interdictis siue extraordinariis actionibus quæ pro his competunt.* Interdictorum igitur formulæ, & ritus non sunt in vsu: sed eorum effectus manet, ipso iure (vt ita dicam) interdicente, cùm olim
4 prætor viuus interdictum redderet. ¶ Proprium interdictorum est, vt in his ratio fructuum habeatur ex quo edita sunt, non retrò. l. 3. excepto interdicto vnde vi, in quo ratio fructuum à die deiectionis habetur. ſ. de
5 vi & vi arma. ¶ Interdictorum diuisiones plures sunt. I. Alia sunt interdicta prohibitoria, quibus prætor aliquid fieri prohibet: alia restitutoria, quibus restitui iubet: alia exhibitoria, quibus exhiberi iubet. Sunt etiam quædam mixta, vt prohibitoria simul & exhibitoria. l. 1. §. 1. & Instit. eod. §. 1. II. Alia hominum, alia diuini iuris causâ, seu de religione competunt. Quæ hominum causâ competunt, partim ad publicam vtilitatem pertinent, veluti ne quid fiat in via publica: partim sunt iuris sui tuendi causâ, vt de liberis exhibendis: partim officij tuendi causa, vt de homine libero exhibendo: partim de re familiari. l. 2. §. 1. Horum quæ de re familiari sunt, tria sunt genera: nempe adipiscendæ possessionis, recuperandæ, & retinendæ: aut enim vult aliquis acquirere possessionem, quam antea non obtinuit: aut vult recuperare, quam amisit: aut retinere, quam habet. d. l. 2. §. vlt. & Instit. eod. §. sequens. III. Alia referuntur ad tempus præsens, veluti *vti possidetis*: alia ad præteritum, veluti, vti hoc anno aquam duxisti. d. l. 1. §. interdictorum quædam. IV. Quædã sunt annalia, quædã perpetua. l. 1. §. vlt. Annalia sunt, quæ sunt pœnalia: perpetua sunt, quæ sunt rei persecutoria. ſ. de vi & vi arma. l. 1. in princ. V. Alia sunt simplicia in quibus actor & reus sunt personæ distinctæ: alia duplicia in quibus vterque litigantium est actor & reus. Instit. h. t. §. penult. VI. Aut sunt de possessione tantum, veluti vti possidetis: aut de possessione simul & proprietate, vt de itinere actúque priuato. d. l. 2. §. quædam. nulla verò sunt de sola proprietate. VII. Aut sunt de rebus diuinis, vt de rebus sacris, vel religiosis: aut de humanis, quæ sunt nullius, vt de liberis hominibus: aut de rebus publicis, vt de viis, & fluminibus publicis: aut de rebus singulorum, id est, de vniuersitatibus, vt interdictum quorum bonorum; & de rebus singulis, vt interdictum vti possidetis. d. l. 1. in princ. VIII. Aut sunt de hereditate legatóve, aut de rebus sacris, aut de rebus publicis, aut de rebus priuatis particularibus. Ex hac diuisione tituli sequentes locum & ordinem accipiunt.

II. *Quorum bonorum.*

DE hereditatibus & legatis sunt quatuor interdicta: quorum primum est de hereditate, secundum de legato, tertium & quartum sunt vtrique causæ communia. ¶ Primum interdictum à primis ver- 1
bis prætoris (nam multa à primis edicti verbis nomen sumunt, appellatur *Quorum bonorum*. Quo prætor iu- 2
bet, vt quodcumque corpus ex his bonis quorum possessio alicui data est, alius quispiam pro herede (id est, bona fide, putans se esse heredem, vel bonorum possessorem) aut pro possessore (id est, mala fide, sciens se non esse heredem nec bonorum possessorem) possideret, vel dolo malo fecit quominùs possideret, id ei restituat, cui possessio data est. l. 1. in pr. & Instit. de interd. §. adipiscendæ. ¶ Hoc igitur interdictum est re- 3
stitutorium, ad vniuersitatem bonorum spectat, & est adipiscendæ possessionis. d. l. 1. §. 1. & ſ. de interdi. l. 1. vers. quæ autem. & Institut. eod. d. §. adipiscendæ. ¶ Quamuis autem prætor nominatim bonorum possessori hoc interdictum reddat. d. l. 1. in prin. tamen ad heredem producitur. C. eod. l. 1. ¶ Non datur aduer- 4
sus debitores hereditarios, sed tantùm aduersus corporum possessores. l. 2.

III. *Quod legatorum.*

SEcundum interdictum appellatur Quod legato- 1
rum. l. 1. in pr. ¶ Quo prætor iubet, vt quod quis 2
legari nomine nõ ex voluntate heredis vel bonorum possessoris occupauit, id ei cauenti de legato præstando, vel si per eum non steterit quominùs caueret, restituat. d. l. 1. §. & continet. §. hoc interdictum. l. 2. §. 1. & C. eod. l. vn. alioquin in id quod interest, condemnabitur. l. 2. §. ex hoc. actione scilicét in factum, quæ interdictum sequitur, & ex causa interdicti datur, vt & in aliis interdictis accidit. Voluntas successoris legatariis accommodata, beneficium huius interdicti adimit, ita demum si post aditam hereditatem vel adgnitam bonorum possessionem consenserit. d. l. 1. §. quod ait. ¶ Hoc interdictum est restitutorium. d. l. 3
1. §. & continet. adipiscendæ possessionis. d. l. 1. §. 1. & ad singulas res legatas spectat. d. §. & continet. & passim. ¶ Ideo autem est introductum, vt heres vel 4
bonorum possessor possit Falcidiam deducere. d. l. 1. §. si quis ex mortis. d. l. vn. quoniam heres quartam ex legatis & fideicommissis potest retinere. ſ. ad leg. Falcid. l. pater. 14. §. 1. l. quod bonis. 15. §. 1. l. acceptis. 93. non eam vindicare, nisi in speciali casu posito in l. pen. C. eod. (vbi Imperator ait, *in præsenti casu proui-*

BIU Cujas

demus, indicans id non habere locum in aliis casibus) nec actione personali persequi: nisi vel per errorem facti soluerit, vt indebiti condictione repetat. C. ad leg. Falcid. l. error. 9. Vel sibi stipulatione cauerit. ſ. si cui plus quam per leg. Falcid. l. 1.

IV. *Ne vis fiat ei qui in possessionem missus fuerit.*

1 TErtium interdictum est prohibitorium & restitutorium. l. 3. §. prætor. & non solùm hereditati ac legatis commune est, sed etiam ad alias causas pertinet. quoscumque enim, & ex quacumque causa prætor in possessionem miserit, vt rei seruandæ, aut legatorum, aut ventris nomine: his, quominùs in possessione sint, cum fieri vetat. Item si cuius dolo malo factum sit, quò minùs ille in possessionem veniret, qui in possessionem missus est, aut quò magis de possessione pelleretur, restituere iubet, vt colligitur ex l. 1. §.
2 hæc actio. ¶ In hunc & alia remedia competunt. I. Actio in factum in id quod interest. d. l. 1. in princ. & §. hæc actio. & §. hæc verba. quæ cùm ei datur qui in possessionem legatorum nomine missus est, perpetua est, & in heredem quoque competit: aliàs est annalis: & heredi quidem ceteriſque successoribus, non tamen contra heredes similésque personas datur. d. l. 1. §. vlt. II. Cognitio extraordinaria. III. Manus militaris: quæ res ab eo qui tenet, admissum in possessionem transfertur l. 3. in princ. ¶ Ergo in hoc titulo agitur de interdicto prohibitorio, de interdicto restitutorio, de actione in factum, de cognitione extraordinaria, & de manu militari: sed in rubr. fit tantùm mentio interdicti prohibitorij.

V. *De tabulis exhibendis.*

1 QVartum interdictum est exhibitorium. l. 3. §. hoc interdictum. quo prætor iubet tabulas ad testamenti causam pertinentes, qualescumque sint. l. 1. & quotcumque sint. l. 3. §. 1. dummodò is, qui tabulas fecit, mortuus sit. d. l. 1. §. pen. non ipsi qui tabulas fecit. d. l. 3. §. si ipse. sed ei cui aliquid in his tabulis relictum est. d. l. 3. §. solent. exhiberi ab eo, penes quem sunt, aut cuius dolo malo factum est, quominùs penes se essent. l. 1. in princ. siue neget se exhibere posse, siue neget exhiberi oportere. d. l. 1. §. 1. ¶ Exhibere est ipsius corporis apprehendendi copiam facere. d. l. 3. §. exhibere. Oportet autem exhibere apud prætorem, vt ex eius auctoritate signatores admoniti veniant ad recognoscenda signa: & si venire nolint, coërceantur. d. l. 3. §.
3 exhibere. ¶ Hoc interdictum etiam post annum datur. d. l. 3. §. pen. & successoribus quoque competit. d.
4 l. 3. §. vlt. ¶ Si quis huic interdicto non obtemperet, in eu datur actio in id quod interest. d. l. 3. §. cõdemnatio. & §§§. seqqq. Hactenus de hereditatib. & legatis.

VI. *Ne quid in loco sacro fiat.*

1 DE locis autem sacris datur interdictum prohibitorium, & restitutorium. ſ. de interd. l. 2. §. 1. quamuis prohibitorij tantùm mentio in hoc titulo fiat. Nam prætor I. Prohibet, ne quid in loco sacro fiat, immittáturve l. 1. in princ. quod deformitatem vel incommodum afferat. d. l. 1. §. quod ait. Hoc interdictum producitur & ad loca sancta. l. 2. & ad loca religiosa. ſ. de oper. no. nunc. l. 1. §. 1. II. Iubet, vt si quid aduersus ea factum fuerit, restituatur. ſ. ne quid in lo.
2 publi. l. 2. §. locorum. ¶ Quid autem sit locus sacer, vel sanctus, vel religiosus, expositum est ſ. ad tit. de rer. diuis.

VII. *De locis & itineribus publicis.*

ARebus sacris transit ad publicas: & primò tra- 1
ctat de locis & itineribus, dicturus postea de fluminibus, ripis, lacubus, stagnis, & fossis: quia tam de his, quam de illis sunt multa interdicta. ¶ Lo- 2
ca publica sunt, quorum solum publicum est. & via publica est, cuius solum publicum est, relictum in directum, certis finibus latitudinis, ab eo qui ius publicandi habuit, vt eà publicè iretur, commearetur. ſ. tit. prox. l. 2. §. viam. vocatur etiam via regia, & consularis. eod. §. viam. vel militaris. l. vlt. §. 1. ¶ Aliæ sunt 3
viæ priuatæ siue agrariæ: & ab vtrisque separantur viæ vicinales, quatenus non sunt omnimodo publicæ, aut priuatæ: sed earum nonnullæ sunt priuatæ, aliquæ publicæ. d. l. 2. §. viarum. Via priuata est, quæ est in fundo seruiente vt ad fundum alterius ducat: vel quæ ex via consulari ad fundum priuatum ducit. d. l. 2. §. priuatæ. Vicinales sunt, quæ in vicis sunt, vel in vicos ducunt, hæ publicè sunt, nisi ex priuatorum collatione sint constitutæ. d. l. 2. §. viarum. Quinimmo etiamsi priuatorum agris collatis via facta sit, tamen si eius rei memoria non extet, pro publica habetur. l. vlt. in prin. ¶ De locis & itineribus publicis interdicta plerumque 4
popularia sunt. l. 1. & publicæ vtilitatis causâ competunt. ſ. de interd. l. 2. §. 1. Sunt autem multa & varia, quæ sequentibus titulis explanabuntur.

VIII. *Ne quid in loco publico vel itinere fiat.*

PRimum interdictum est ne quid in loco publico 1
fiat néue in eum locum quid immittatur, quod alicui damnum det, nisi lege, aut senatusconsulto, aut constitutione principis concessum sit. l. 2. in princip. ¶ Hoc interdictum est prohibitorium, non restituto- 2
rium. d. l. 2. §. 1. & §. si quis nemine. ¶ Et tam publicis 3
vtilitatibus quàm priuatorum per hoc prospicitur: quia loca publica priuatorum vsibus deseruiunt. d. l. 2. §. & tam publicis. Damnum autem pati videtur, qui commodum qualecumque amittit, quod ex publico consequebatur. d. l. 2. §. damnum. & §. seq. ¶ Quod 4
eum excepimus cui lege vel senatusconsulto, vel à principe concessum est, sic debet intelligi, vt is, qui simpliciter facultatem impetrauit in loco publico ædificandi non possit cum alterius incommodo ædificare, nisi hoc quoque specialiter sit ei concessum. d. l. 2. §. si quis à principe. ¶ Secundum interdictum, quod ad 5
vias rusticas pertinet. d. l. 2. §. hoc interdictum tantùm. prohibitorium & restitutorium est. Nam prætor I. Vetat in via publica itineréve publico aliquid immitti, quo ea via ídue iter deterius sit, vel fiat. d. l. 2. §. ait prætor. II. Iubet eum qui in via publica, itineréue publico factum immissúmve habet quo ea via, ídue iter deterius sit vel fiat, id restituat. d. l. 2. §. ait prætor. ¶ Dete- 6
rior via fieri dicitur, si vsus eius ad commeandum, hoc est, ad eundum vel agendum corrumpatur. d. l. 2. §. deteriorem. Nec refert vtrum statim deterior fiat, an post aliquod temporis interuallum d. l. 2. §. deinde. ¶ Porrò hoc interdictum, perpetuum & populare est, 7
condemnatióque ex eo facienda est. quanti actoris interest. d. l. 2. §. hoc interdictum perpetuum. §. hoc interdictum ex eadem. & §. pen. ¶ Tertium interdictum est 8
prohibitorium, ne vis alicui fiat, quominùs ei via publica itineréve publico ire agere liceat. d. l. 2. §. vlt.

IX. *De loco publico fruendo.*

QVartum interdictum est prohibitorium, ne ei, qui locum publicum fruendum ab eo cui locandi ius

BIU Cujas

di ius fuit, conduxit, socióve eius vis fiat, quominùs secundum legem locationis fruatur. l. 1.

X. *De via publica & si quid in ea factum esse dicatur.*

DE via publica vrbana, & si quid in ea factum esse dicatur, nulla sunt interdicta: sed harum cura ædilib. committitur. l. vn. & ff. ne quid in lo. public. l. 2. §. hoc interdictum tantùm. Quæ igitur sunt de viis & itinerib. interdicta, ad vias & itinera rustica dumtaxat pertinent, vt interdicta proposita in d. t. ne quid in lo. pub. & quod proponetur tit. seq.

XI. *De via publica & itinere publico reficiendo.*

1 QVintum interdictum est de via rustica, prohibitorium ne vis fiat reficienti viam vel iter publicum. l. 1. in pr. & §. 1. quod perpetuò datur, & omnibus, & in omnes: & habet condemnationem in id
2 quod actoris interest. d. l. 1. §. vlt. ¶ Hucusque de locis & itineribus publicis: consequenter dicendum de fluminibus, ripis, lacubus, stagnis, fossis.

XII. *De fluminibus: ne quid in flumine publico ripáve eius fiat, quo peius nauigetur.*

1 FLumen dicitur à fluendo: nec specie à riuo differt, sed magnitudine: ex qua, & ex accolarum existi-
2 matione diiudicatur. l. 1. §. 1. ¶ Fluminum quædam sunt perennia, quæ semper fluunt: quædam torrentia, quæ hyeme fluere, æstate exarescere solent. Cetera si æstate aliqua præter solitum exaruerit quod semper fluere solebat, nihilominùs flumen perenne
3 dicitur. d. l. 1. §. item fluminum. Rursus alia sunt flumina publica, alia priuata, sed publicum est, quod perenne est. d. l. 1. §. fluminum. ¶ Ripa definitur, quod pleniſſimum flumen continet. l. penult. §. 1. vel id quo flumen continetur, naturalem sui cursus rigorem tenens. nam si quando vel imbribus vel alia ratione flumen ad tempus excrescat, ripas non mutat. sed si naturaliter creuit, perpetuúmque incrementum vel alio
4 flumine admixto, vel alia ratione nactus sit, ripas sine dubio mutauit. d. l. 1. §. ripa. ¶ Inter lacũ & stagnum hoc interest, quòd ille perpetuam, hoc temporalem
5 aquam habet. Fossa est receptaculum aquæ manufactum. Et possunt hæc quoque publica esse. ¶ De his omnibus sunt multa interdicta. Primum interdictum est prohibitoriũ, & restitutoriũ. Nam prætor I. Prohibet, ne quid in flumine publico ripáve eius fiat, immittatúrve, quo statio nauium, aut nauigatio deterior sit, vel fiat, l. 1. in princ. II. Aduersus ea factum vel immissum restitui iubet. d. l. 1. §. deinde.

XIII. *Ne quid in flumine publico fiat, quo aliter aqua fluat, atque vti priore æstate fluxit.*

SEcundum interdictum similiter est prohibitorium, & restitutorium. Nam prætor I. Prohibet in flumine publico (siue nauigabile sit, siue non nauigabile. l. vn. §. pertinet) ripáve eius aliquid fieri, vel immitti, quo, aliter aqua fluat, quàm priore æstate fluxit, in princ. Quod interdictum populare est, & omnibus competit, non tamen aduersus omnes, sed aduersus eum, qui id egit, vt aliter aqua flueret, cùm id iuris non haberet. §. hoc interdictum cuiuis. & in eius heredes. §. hoc interdictum & in heredes. II. Eum, qui aduersus ea factum immissúmve habet, dolóve fecit quominùs haberet, restituere iubet. §. deinde. & §§. seqq.

XIV. *Vt in flumine publico nauigare liceat.*

TErtium interdictum est prohibitorium, ne legitimus vsus impediatur fluminis, ripæ, lacus, fossæ, stagni, si modò hæc publica sint: veluti ne vis fiat nauiganti in publico flumine, lacu, fossa, stagno; aut in ripa oneranti, vel exoneranti nauem. l. vn. in princ. & §§. seqq. aut pecus ad flumen publicum, ripámve eius appellenti. §. vlt.

XV. *De ripa munienda.*

QVartum interdictum est prohibitorium ne vis 1
fiat opus in flumine publico ripáve eius facienti, ripæ, agrúve qui circa ripam est, tuendi, reficiendi, muniendi causâ: dummodò eo opere deterior nauigatio non fiat, & is qui facit, vicinis & his quoque qui vltra flumen prædia possident, de damno infecto in annos decem, viri boni arbitratu caueat, vel satisdet, aut per eum non stet quominus caueat vel satisdet. l. vn. in pr. §. 1. §. dabitur. ¶ Nota primò satisdari vel caueri pro 2
qualitate personæ. §. is autem. id est, nudam cautionem præstare eum, qui suo nomine cauet: satisdare eum, qui nomine alieno interuenit. ff. de dam. inf. l. 7. in princ. ¶ Nota secundò, de opere antea facto non agi ex hoc 3
interdicto, etiamsi quid damni postea datum fuerit, sed lege Aquilia experiendum. §. pen. ¶ Nota tertiò, hoc 4
interdictum, quod de ripa fluminis munienda loquitur, produci ad ripam lacus, fossæ, & stagni. l. vltim. ¶ De ripis & fluminibus & lacubus & stagnis, & fossis hactenus.

XVI. *De vi & de vi armata.*

SEquuntur interdicta de singulis rebus priuatis im- 1
mobilibus, id est, de solo & ædificio, de seruitutibus, de opere, de arboribus. Interdicta de solo & ædificio sunt duo. ¶ Primum interdictum vocatur vnde 2
vi. l. 1. §. ex interdicto. l. 3. §. vnde vi. l. 5. l. 6. l. neque 13. l. in interdicto. 16. & C. eod. in rub. & l. 4. & l. vlt. & Institut. de interdict. §. recuperandæ. quia datur propter vim atrocem, qua quis de possessione soli, aut rei quæ solo cohæreat, vt ædificij, deiectus est. l. 1. §. hoc interdictum. cum duob. §§. seqq. & §. planè. ita vt possessionem amiserit, nec saltem per alios retinuerit. d. l. 1. §. non alij. Secus est, si de naui, aut vehiculo sit deiectus. d. l. 3. §. si quis de naue. nam rerum mobilium nomine non competit hoc interdictum, nisi fuerint in fundo vel ædibus, vnde quis deiectus est. d. l. 3. §. illud. & §. pertinet. ¶ Est autem duplex vis: altera 3
quotidiana seu priuata, quæ fit sine armis, & in hac rubr. vocatur simpliciter vis: altera publica siue armata, quæ fit hominibus coactis & armatis. (Armorum appellatione significantur non solùm gladij, hastæ, scuta, & galeæ, sed etiam fustes, & lapides. d. l. 3. §. armis & Instit. de interdi. §. recuperandæ. vers. vlt.) Propterea duo olim fuerunt de vi interdicta. ff. de interdi. l. 2. §. vlt. vers. recuperandæ. & erant inter ea differentiæ quædam, quas refert Cuiacius hîc, & ad Paul. lib. 5. sentent. tit. 6. Verùm Iustiniano placuit vnum interdictum in Pandectas referre. Idcirco à nobis, qui non in antiquitatibus enarrandis, sed in iure Iustinianico declarando in præsentia versamur, vnum hac in parte interdictum considerandum puto. ¶ Hoc in- 4
terdictum datur. I. Deiecto. l. 1. §. 1. qui tunc, cùm deiiceretur, possidebat. d. l. 1. §. interdictum autem. Nec refert, vtrùm ciuiliter, an naturaliter possideret. d. l. 1. §. deiicitur. & §. denique, animo, seu corpore. d. l. 1. §. siue autem. Immo datur etiam ei, qui vitiosè (id est, vi, clam, vel precariò) possidebat, si aut vi armatâ deiectus sit. l. sed si vi. 14. aut ab alio vitiosè possideat, non

ab

ab eo à quo se vi deiectum quæritur. d.l.1. §. qui à me. II. Ei, cuius seruus, vel procurator, vel colonus, vel inquilinus, per quem possidebat, deiectus est. d.l.1. §. quod seruus. & l.vlt. ipsi autem colono, vel inquilino deiecto non datur. d.§. denique. III. Heredi, & ceteris successoribus eius, qui possessionem vi amisit. d.l.1.§. hoc interdictum & heredi. IV. Fructuario. d.l.3.§. vnde vi. & §§. seqq. & §. pen. V. Vsuario. d.l.3.§. itē si,

5 ¶ Tenetur hoc interdicto, I. Qui deiecit. d.l.1. in pr. etiamsi non possideat. d.l.1.§. idcirco. §. ex interdicto. l. si vi. 15. II. Is, qui mandauit, vel iussit, d.l.1.§. deiecisse. & ff. de diuers. reg. iur. l. hoc iure. 152. §.1. vel ratum habuit. d.l.1.§. sed etsi. & qui dolo malo fecit, vt quis deiiceretur. d.l.3.§. hoc interdictum etiam. III. Is, cuius familia deiecit. d.l.1. in pr. id est, serui, aut seruus. d.l.1.§. familiæ autem. & §. seq. quive loco seruorum sunt. d.l.3.§. familiæ appellatione, loco autem seruorum sunt, qui bona fide possidentur quasi serui. at si filiusfamilias, vel mercenarius deiecit, vtile interdictum in patrem competit, vel in eum, cui mercenarius seruit. d.l.3.§. si filiusfamilias. & l. in interdicto. 16. IV. Heres aliúsve successor eius qui vim fecit. d.l.1.§.

6 vlt. l.2. l.3. in pr. & §.1. ¶ Is autem non tenetur, qui vi possessionem retinuit, aut incontinenti recuperauit, aduersus eum qui vim fecit; quia vim repellere licet. d.l.1.§. vim vi. & §. seq. l. qui possessionem. 17. &

7 C. eod. l.1. ¶ Hoc interdicto reus tenetur restituere fundum cum rebus mobilibus, quæ ibi erant. l.1. in pr.§. quod autem. & §. seq. l. sed si vi. 14. & fructibus à die deiectionis. d.l.1.§. ex die. ceteríque vtilitatibus. d.l.1.§. non solùm. & omni causa. C. eod. l.5. omnino enim ex hoc interdicto condemnatio tanti fit, quanti interest possidere. l.6. nam iudex ex causa huius interdicti aditus l.1. in prin. per actionem in factum. d.l.1. §. vlt. (semper autem interdictum actio in factum sequitur) tanti litem æstimat. d.l.1.§. non solùm. Nimirum si intra annum conuentus sit is qui deiecit, vel cuius familia deiecit. d.l.1. in pr. Aliàs condemnatio fit in id quod ad reum peruenit, dolóve malo fecit quominùs peruenire; siue ipse deiiciens conueniatur post annum. d.l.1. in princ. (intellige annum vtilem, d.l.1.§. annus. & C. eod. l.2.) siue agatur contra heredes aliósve successores. d.l.1. §. vlt. l.3. in pr. siue aduersus

8 patrem deiicientis. l. in interdicto. 16. ¶ Damnatus ex causa huius interdicti, non fit infamis, licèt ob vim factam damnetur: quia nullum interdictum famosum

9 est. l. neque. 13. ¶ Ex dictis patet, hoc interdictum esse restitutorium. Instit. de interd. §.1. vers. restitutoria. recuperandæ possessionis. l.1.§.1. & ff. de interdi. l.2.§. vlt. vers. reciperandæ. & Instit. eod. §. recuperādæ.

10 ¶ Concurrit I. Cum accusatione ex lege Iulia de vi. l.1.§. ne quid autem. & C. eod. l.4. II. Cum actione ex l. si quis in tantam. 7. C. h.t. Instit. de interdict. d.§. recuperandæ.

XVII. *Vti possidetis.*

1 SEcundum interdictum appellatur *vti possidetis*. l.1. §. est igitur. quo prætor ei, qui rem immobilem possidet, quominùs ita possideat, vim fieri vetat. eúmque in possessione tuetur, nisi vi, aut clam, aut precariò ab aduersario possideat. l.1. in princ. §.1.§. vlt. & l.2.

2 & Instit. de interd. §. retinendæ. ¶ Hoc interdictum productum est ad quasi possessionem rerum incorporalium, vt seruitutum, proinde etiam fructuariis, & vsuariis accommodatur. l. vlt. & ff. si seru. vindic. l. sicut. 8.§. Aristo. & extrà de probat. c. licèt. 9. De cloacis locum non habet. l.1. vers. de cloacis sed de his spe-

3 cialia interdicta proponentur tit. 23. ¶ Est autem hoc interdictum prohibitorium. l.1.§.1. & Instit. de interd. §.1. vers. prohibitoria duplex: nam vterque litigantium est actor, & reus. l.3.§.1. & Instit. de interd. §. pen. Denique est retinendæ possessionis. d.l.1.§.1. & Instit. de interdict. d.§. retinendæ. ¶ Ex causa huius interdi- 4
cti datur intra annum vtilem actio in factum, quanti ea res est. d.l.1. vers. neque pluris.

XVIII. *De superficiebus.*

TErtium interdictum est de superficiebus seu su- 1
perficiis (nam vtroque modo dicimus, cùm id, quod solo inædificatum est, significare volumus) prohibitorium: quo prætor superficiario possidenti, nisi vi aut clam aut precariò ab aduersario possideat, vim quominùs ita possideat, fieri vetat. ¶ Itaque hoc 2
interdictum est omninò superiori simile: illud tantùm proprium habet, quod ad superficiarium pertinet. l.1. in pr. & §. proponitur. ¶ Superficiarius est, qui super- 3
ficiei in alieno solo positæ dominium vtile habet, & certam pensionem domino soli præstat. ff. de rei vindic. l. id est. 74. est igitur similis emphyteutæ, & vasallo: ab eis tamen discrepat: quoniam emphyteuta non solùm superficei sed etiam soli dominium vtile habet, quemadmodum & vasallus. atque hi inter se differunt, quòd emphyteuta certam pensionem, vasallus seruitia feudalia domino directo præstat. ¶ Nota su- 4
perficiario non solùm dari dictum interdictum, sed etiam vtilem rei vindicationem, si in perpetuum vel ad longum tempus superficiem conduxit. l.1. vers. si qua. & §. quod ait quemadmodum & emphyteutæ. ff. si ager vectigal. pet. l.1. §.1. & l.3. & vasallo lib.2. Feudor. tit.8. de inuestit. de re alie. fac. §. rei autem. ¶ Ex- 5
posita sunt interdicta de solo & ædificio: sequuntur interdicta de seruitutibus.

XIX. *De itinere, actúque priuato.*

SEruitutes, de quibus interdicta hoc loco propo- 1
nentur, hæ sunt: iter actusúe seu via, aquæductus, aquæ haustus, pecoris ad aquam appulsus, ius cloacæ immittendæ. ¶ De itinere actúque duo sunt interdi- 2
cta. Cùm dicimus iter & actum, vt in hac rubrica, intellige etiam viam, quæ ex itinere & actu constat, ita vt hæc duo in se contineat. ff. de seruit. præd. rustic. l.1. in princ. & Institut. de seruit. in princ. ¶ Primum 3
interdictum est prohibitorium, ne ei, qui itinere vel actu vel via hoc anno vsus est, quominùs ita vtatur, vis fiat, nisi vi aut clam aut precariò ab aduersario sit vsus. l.1. in pr. & §.1. ¶ Nota primò hoc interdictum 4
pertinere ad rusticas tantùm seruitutes. d.l.1.§. hoc interdicto. ¶ Nota secundò, in hoc interdicto non in- 5
quiri, vtrum habeat seruitutem iure impositam, an non, sed tantùm an sine vitio (id est, nec vi nec clam nec precariò) saltem ab aduersario sit vsus. d.l.1.§. hoc interdicto. ¶ Nota tertiò annum retrorsum comput- 6
tari ex die interdicti. d.l.1.§. annum. ¶ Nota quartò 7
nihil referre, vtrum quis per se, an per alium seruitute sit vsus. d.l.1.§. is cuius. & l.3.§. vti. ¶ Nota quintò ex 8
causa huius interdicti dari actionē in id quod interest itinere vel actu vel via non prohiberi. d.l.3.§. in hoc. ¶ Secundum interdictum est de itinere actúque 9
reficiendo. Nam prætor prohibet vim fieri reficienti. Sed tria requiruntur, vt aliquis huius interdicti beneficio fruatur. I. Vt hoc anno sit vsus seruitute quod est huic interdicto commune cum superiori. II. Vt habeat ius reficiendi, proinde vt seruitus ei debeatur, vel quia eam iure impositam habeat, vel quia longo tempore præscripserit, quamuis in superiori interdicto solius annalis possessionis ratio habeatur. III. Vt

reficere

reficere volens caueat aduersario de damno infecto.d. l. 3. §. ait prætor. & §. hoc autem. l. 5. §. pen. & vltim.
10 ¶ Nota primo, concedi refectionem, hoc est, vt ad pristinam formam iter & actus reducatur: non vt aliud fiat, putà dilatetur, aut producatur, aut deprimatur, aut exaggeretur. d. l. 3. §. pen. Nam reficere est in pristinum statum restaurare quod est corruptum. ff. de riuis. l. 1. §. deinde.
11 ¶ Communiter de vtroque interdicto nota primò hæc interdicta dari etiam successoribus; siue in ius successerint, vt heredes, & bonorum possessores; siue in rem, vt emptor. l. 5. §. hoc interdictum. quamuis enim Vlpianus ibi loquatur de secundo interdicto, tamen non est dubitandum, quin idem
12 dicendum sit de primo interdicto. ¶ Nota secundò, si quis hoc anno sine vitio seruitute vsus sit, non ei nocere, quòd eodem anno etiam vitiosè sit vsus: & heredi emptoriúe non nocere quòd vitiosè sint vsi, si defunctus venditórue rectè vsus sit. d. l. 1. §. vlt. & l. 2. & l. pen. Exposita sunt duo interdicta de itinere, actu, & via.

XX. *De aqua quotidiana & æstiua.*

1 DE aquæductu sunt plura interdicta, Omnia pro-
2 hibitoria. ¶ Primum est de aqua quotidiana. l. 1. §. 1. quo prætor ei qui hoc anno (id est, saltem vna die vel nocte huius anni. d. l. 1. §. quod autem) aquam duxit, nisi vi aut clam aut precariò ab aduersario duxerit, vim fieri vetat quominùs ita ducat. d. l. 1. in princ.
3 ¶ Nota primò aquam quotidianam dici, quæ assiduè duci solet vel æstate vel hyeme, licèt interdum non ducatur, immo etiamsi vsum intermissione temporis diuisum habeat. d. l. 1. §. quotidiana. §. duo autem. §.
4 quod autem. ¶ Nota secundò hoc interdictum pertinere ad aquam perennem, quæ duci potest. d. l. 1. §.
5 loquitur. & §. seq. ¶ Nota tertiò hoc interdictum pertinere ad aquam, quæ à capite ducitur, non aliunde. d. l. 1. §. hæc interdicta. Caput aquæ est, vnde aqua nascitur: nempe si ex fonte nascatur, ipse fons. si ex flumine, vel lacu, prima incilia vel principia fossarum, quibus aqua ex flumine vel ex lacu in primum riuum deriuatur. si verò sudoribus manando, in aliquem locum effluxit, atque ibi apparere incipit: eius caput dicemus, vbi primum emergit. d. l. 1. §. caput. Incile autem est locus depressus ad latus fluminis, ex eo dictus, quòd vel lapis vel terra inciditur, vnde primum aqua
6 ex flumine agi possit. ff. de riuis. l. 1. §. incile. ¶ Nota quartò nihil referre, quod ad hoc interdictum attinet, vtrum aqua debeatur, an non debeatur ei qui duxit. l. 1.
7 §. sed etsi. ¶ Nota quintò nihil referre, vtrùm aqua ducatur intra vrbem, an extra vrbem. d. l. 1. §. siue autem, nec vtrum ducatur ad prædium vrbanum, an ad rusticum: nec in quem vsum ducatur. d. l. 1. §. illud quæritur, immo etiamsi prædij aqua non sit, tamen hoc in-
8 terdictum locum habet. d. l. 1. §. præterea. ¶ Nota sextò nihil referre, vtrum sit aqua calida, an frigida. d.
9 l. 1. §. item Labeo. ¶ Nota septimò prætorem permittere aquam eodem modo duci, quo ducta est hoc anno: proinde nec plus aquæ duci posse nec aliam aquam, nec per alium locum. d. l. 1. §. illud tamen. ¶ Nota
10 octauò hoc interdictum requirere bonam fidem, vt actor putet se habere ius aquæ ducendæ. d. l. 1. §. sed
11 etsi & §. Aristo. ¶ Nota nonò hoc interdictum ei quoque dari, qui hoc anno aqua interdum rectè, in-
12 terdum vitiosè vsus est. d. l. 1. §. idem ait. ¶ Nota decimò, si quis ante annum aquam duxerit, & hoc anno aqua sponte sua influxerit, ei hoc interdictum vtile
13 esse, quasi aquam duxerit. d. l. 5. §. quæsitum. ¶ Nota vndecimò, si quis fundum, ad quem aquam ducebat, vendiderit, nihilominùs hoc interdictum ei vtile esse. d. l. 1. §. si fundum. ¶ Nota duodecimo hoc interdi- 14
ctum dari contra eum qui aquam duci prohibet, siue sit dominus fundi, siue non. d. l. 1. §. competit. ¶ Nota 15
decimotertiò inter corriuales, qui per eundem riuum aquam ducunt, duplex interdictum vtrique competere: quia vterque actoris & rei partibus fungitur. d. l. 1. §. si inter. ¶ Nota decimoquartò hoc interdictum esse 16
prohibitorium, & interdum restitutorium. d. l. 1. §. 1. per hoc enim interdictum non solùm prohibetur quis vim facere quominùs aqua ducatur. d. l. 1. in princ. sed etiam aliquid in fundo facere, quo aqua inquinetur, vitietur, corrumpatur, deteriórve fiat. d. l. 1. §. Labeo. si quid igitur tale factum erit, restitui debebit. ¶ Se- 17
cundum interdictum est de aqua æstiua. d. l. 1. §. hoc interdictum de aqua. quo prætor ei qui superiori æstate aquam duxit, nisi vi aut clam aut precariò ab aduersario duxerit, quominùs ita ducat vim fieri vetat. d. l. 1. §. deinde. ¶ Æstas sex mensibus definitur ab æqui- 18
noctio verno ad æquinoctium autumnale: reliqua anni pars vocatur hyems. d. l. 1. §. æstatem. ¶ Aqua 19
æstiua est, quam æstate tantùm ducere licet, vel expedit. d. l. 1. §. duo autem. & §. seq. & l. 6. ¶ Hoc interdi- 20
ctum, non directum, sed vtile competit, I. Si quis non superiori, sed hac æstate aquam duxerit. d. l. 1. §. qui hac. II. De aqua hyberna, id est, quam aliquis hyeme tantùm, non æstate ducere solitus est. d. l. 1. §. si quis hyeme. ¶ Vtrique interdicto communia hæc sunt: 21
I. Ad eos pertinent, qui à capite aquam ducunt, vel imposita seruitute, vel quia putant impositam. d. l. 1. §. hoc interdictum necessariò. II. Inter heredes, bonorum possessores, & emptores redduntur. d. l. 1. §. deinde. vers. inter. & §. ait prætor inter. Sed & pleraque alia suprà de primo interdicto tradita, in secundo quoque interdicto obtinent. ¶ Tertium interdictum est 22
de aqua ex castello, id est ex eo receptaculo quod aquam publicam suscipit, ducenda. d. l. 1. §. hoc interdictum necessariò. & §. seq. Nam prætor ei, cui ex castello aquam ducere à principe permissum est, quominùs ducat, vel, si de damno infecto cauerit, quominùs aquæ ducendæ causâ opus faciat, vim fieri vetat. d. l. 1. §. ait prætor quo ex castello. & §. idque à principe.
¶ Nota primò similiter interdici de aqua ex riuo, aut 23
flumine, aut quouis alio publico ducenda. d. l. 1. §. permittitur. l. 3. §. 1. ¶ Nota secundò hoc ius modò con- 24
cedi personæ, ita vt ad aliam personam non transeat, & cum persona extinguatur. modò prædio, ita vt prædium sequatur. d. l. 1. §. & datur. ¶ Nota tertiò hoc in- 25
terdictum non esse de sola possessione, sed etiam de proprietate. d. l. 1. §. vlt.

XXI. *De riuis.*

QVartum interdictũ est prohibitorium. nam prætor ei qui eodẽ anno, vel superiori æstate aquam duxit, siue ius aquæ ducendæ habeat, siue non habeat, dummodò nec vi nec clam nec precariò ab aduersario duxerit, vim fieri vetat quominùs aquæ ducendæ causâ riuum, specum, septa reficiat, purget: sic tamen, ne aliter aquam ducat, quàm antea vsus est. l. 1. in pr. §. aquæ. & §. hoc interdictum. & l. vlt. & de damno infecto caueat. l. 3. §. pen. ¶ Riuus est locus per longi- 2
tudinem depressus, quo aqua decurrit, dictus ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, id est, à fluendo. d. l. 1. §. ait ergo. Specus est locus, ex quo despicitur. inde spectacula dicta sunt. d. l. 1. §. specus. Septa sunt, quæ ad incile opponuntur aquæ derivandæ causâ: siue ea lignea sint, siue lapidea, siue ex alia qualibet materia. d. l. 1. §. sepra. Incilis definitionem posui. ff. tit. prox. §. 5. Reficere est, id quod cor-

BIU Cujas

ruptum est, in pristinum statum restaurare. Verbo reficiendi tegere, substruere, sarcire, ædificare, item aduehere apportaréque ea quæ ad eandem rem opus essent, continentur. d. l. 1. §. deinde. Purgandi verbum & ad riuum integrum pertinet, & ad eum qui refe-
3 ctione indiget. d. l. 1. §. purgandi. ¶ Nota primò nihil referre, vtrum aqua, quæ ducitur, calida sit, an frigida. d. l. 3. §. sed etsi. nec vtrum riuus sit in publico, an in
4 priuato. d. l. 3. §. hoc interdictum. ¶ Nota secundò, si aqua in vnum lacum conducatur, & inde per plures ductus ducatur, hoc interdictum vtile esse volenti re-
5 ficere ipsum lacũ. d. l. 3. §. si aqua. ¶ Nota tertiò etiam de cuniculo restituendo, per quem vapor in balneis trahitur, vtile interdictum competere. d. l. 3. §. Aristo.
6 ¶ Nota quartò hoc interdictum iisdem personis, & in easdem dari, quibus & in quas redduntur de aqua in-
7 terdicta suprà proposita. d. l. 3. §. iisdem. ¶ Exposita sunt interdicta ad aquæductum pertinentia,

XXII. *De fonte.*

1 DE aquæ haustu, & pecoris ad aquam appulsu. l. vn. §. hoc autem. duo interdicta prohibitoria ei dantur, qui de fonte, lacu, puteo, piscina, hoc anno, nec vi nec clam nec precario (saltem ab aduersario) aqua
2 vsus est. in princ. & §. deinde. ¶ Primum interdictum est, ne ei vis fiat quominùs ita aqua vtatur. d. l. vn. in pr.
3 ¶ Nota primò illis & in illos hoc interdictum competere, quibus & in quos superiora interdicta dantur. §.
4 & eadem. ¶ Nota secundò hoc interdictum ad ea sola pertinere, quæ aquam viuam & perpetuam continent: proinde nec de cisterna competere; nec de lacu, piscina, puteo, viuam aquam non habentibus. §. hoc
5 interdictum de cisterna. ¶ Secundum interdictum est, ne ei vis fiat quominùs fontem vel lacum vel puteum vel piscinam reficiat, vt aquam coërcere, vtique ea possit, dummodò non aliter vtatur, atque eodem anno vsus est. d. §. deinde, cum quatuor paragraphis sequentibus. & de damno infecto caueat, vt in superio-
6 ribus interdictis. ¶ Coërcere aquam, est eam conti-
7 nere, ne diffluat, vel dilabatur. §. coërcere. ¶ Hoc interdictum iisdem personis datur, quibus permittitur interdictum de aqua æstiua. §. vlt.

XXIII. *De cloacis.*

1 RElIqua sunt interdicta de cloacis. Cloaca est locus cauus, per quem colluuies quædam fluit. l. 1. §. cloaca. Et vel est publica, vel priuata. d. l. 1. §. hoc
2 autem. ¶ De cloaca priuata est interdictum. d. §. hoc autem pertinens ad seruitutem vrbanam, (quia ius cloacæ immittendæ est seruitus. ſ. de seruit. l. 7. vrbana. Caius lib. 2. Instit. tit. 1. §. incorporalia) prohibitorium. vetat enim prætor vicinum. d. l. 1. §. hoc interdictum (siue proximus siue vlterior sit. d. l. 1. §. & tam ad proximum) vim facere quominùs cloaca reficiatur, purgetur ab eo qui damni infecti cauet. d. l. 1. in princ. & d. §. hoc interdictum. etiamsi vitiosè possideat: quia publicè interest cloacas purgari. d. l. 1. §. quia autem, vnde nec pro operis noui nunciatione nem potest pur-
3 gatio & refectio cloacæ impediri. d. l. 1. §. si quis. ¶ De cloaca publica prætor. I. Iubet, vt quod quis in cloaca publica factum immissúmve habet, quo vsus eius deterior sit vel fiat, id restituat. II. Prohibet, ne quid fiat, immittaturúe. d. l. 1. §. pen. & vlt. III. Prohibet, ne vis fiat cloacam publicam purganti, & reficienti l. 2.
4 ¶ Hactenus interdicta de seruitutibus, deinceps de operibus dicamus.

XXIV. *Quod vi aut clam.*

DE opere, quod in solo vi aut clam factum est. l. 1. §. hoc interdictum. l. 7. §. notauimus. l. vi facit. 20. §. pen. datur interdictum quod vi aut clam, restitutorium. d. l. 1. §. 1. nam prætor opus vi aut clam factum restitui iubet. d. l. 1. in pr. ¶ Opus facere dicitur, non 2
solum qui aliquid noui operis facit, vt ædificium, aut fossam: sed etiam qui destruit. d. l. 7. §. bellissimè. §. est & alia. §. notauimus. §. præterea. & §. seq. cum sim. Nec refert vtrum factum sit in priuato loco, an in publico, siue sacro, siue religioso. l. vi facit. 20. §. vlt. nec vtrum factum sit vi tantùm, vel clam tantum, an partim vi, partim clam. l. is qui. 11. §. interdictum. ¶ Vi 3
facit, qui prohibitus facit, & qui, quominùs prohiberetur, consecutus est, vel periculo aduersariis denunciato, vel ianua clausa. d. l. 1. §. quid sit. & §§§. seqq. d. l. vi facit. in princ. & sufficit vim initio factam esse. licèt enim singulis momentis non fiat, tamen semel facta perseuerare intelligitur. l. 3. §. 1. ¶ Clam facit, 4
qui celauit aduersarium, cum existimaret, aut existimare deberet eum esse prohibiturum. d. l. 3. §. pen. & vlt. l. 4. & l. 5. in princ. ¶ Hoc interdictum ei compe- 5
tit, cuius interest opus factum non esse, siue sit dominus, siue non. l. is qui. 11. §. si fundus. & §. vlt. l. quamquam. 12. l. denique. 13. in princ. §. si ex sociis. & §. seq. etiamsi non possideat. l. competit. 16. in princ. Si quis, dum putat locum tuum esse, qui est meus: tui, non mei celandi causâ fecerit: mihi interdictum competit. l. 5. §. si quis dum putat. Etsi serui mei vel procuratoris mei celandi causâ factum sit, similiter mihi interdum competit. d. l. 5. §. idem dicit. Si filio prohibente, opus factum sit; tam patri, quàm filio interdictum competit. d. l. denique. §. 1. ¶ Hoc interdicto conueniri potest. 6
I. Qui opus fecit. d. l. 5. §. hæc verba. siue ius faciendi habuerit, siue non. d. l. 1. §. & parui. Et si quidem opus possidet, patientiam & impensam tollendi operis, sin minùs, impensam debet. d. l. competit. §. vlt. Insuper 7
debet actori restituere, quod ob hanc causam amisit, putà seruitutes. l. si opus. 21. §. vlt. & omnino id præstare, quod actoris interest opus factum non esse. d. l. semper. §. hoc interdicto. & §. vlt. II. Is, cuius familia fecit. Hic aut sua impensa restituere opus debet, aut patientiam præstare, & seruum noxæ dedere. vide l. 7. §. 1. III. Is, cuius iussu factum est: quia nihil interest, vtrum quis per se, an per alium faciat. is autem qui iussu alterius fecit, non tenetur. d. l. 5. §. hæc verba. §. si quid. §. similiter. & §. vlt. & l. 6. IV. Heres, vel alius successor. d. l. 5. §. Labeo. Hic tenetur in id quod ad se peruenit. d. l. semper. §. hoc interdictum. V. Qui opus possidet, licèt eo inscio vel inuito factum sit. d. l. 7. in princ. d. l. semper. in princ. Hic tantum patientiam præstare debet. d. l. 7. in princ. d. l. is qui. §. si tutoris. d. l. competit. §. vlt. VI. Procurator, tutor, curator, syndicus, nomine alieno. d. l. 5. §. idem ait. ¶ Hoc interdictum con- 7
currit cum aliis actionibus. d. l. semper. §. vlt. vt cum actione legis Aquiliæ. l. denique. 13. in princ. & sepulchri violati. d. l. semper. §. si in sepulchro. & cum interdicto de operis noui nunciatione. d. l. 7. ait Iulianus. ¶ Cessat autem hoc interdictum vel eius effectus, Primò 8
si agri colendi causâ factum sit, & melior causa agri facta sit. d. l. 7. §. planè. Secundò si incendij arcendi gratiâ factum sit, dummodò incendium eo vsque peruenerit. d. l. 7. §. est & alia. Tertiò si vi destructum sit, quod per vim fuerat ædificatum. hoc tamen nisi ex magna & satis necessaria causa non obtinet. officio autem iudicis committitur, vt ipse disquirat, an iusta causa fuerit per vim destruendi, necne. d. l. 7. §. bellissimè.

BIU Cujas

mè. Quartò si quis denunciauerit se opus facturum, dummodò diem & horam,& locum,& quod opus futurum sit, denũciauerit,neque tam arctauerit aduersarium, vt intra diem occurrere ad prohibendum non posset. d.l.5.§.1. nec post interuallũ opus fecerit.l.vlt. §.vlt. Quintò post annum d. l. semper. §. hoc interdictum. à die operis perfecti, vel quo fieri desiit, computandum. ead. l.§.annus.nisi per restitutionem in integrum annua exceptio sit remittenda.ead.l.§.sed si is. & §.seq. Sextò si aduersarius postea consenserit.l.3 §. sed si permiserit.l.vi facit.20.§.tamdiu.Septimò si quis satis offerat de opere restituendo, & paratus sit se defendere.d.l.3.§.si quis paratus.Octauò si caueat damni infecti, cùm ob hanc tantùm causam prohiberetur opus facere.d.l.3.§.sed etsi quis.

XXV. *De remissionibus.*

NOnò si noui operis nunciatio remissa sit. cùm enim nunciatio sit causa vt opus vi aut clam fieri dicatur; certè nunciatione per remissionem sublatâ (nam remissio est nunciationis abolitio à prætore facta) non fit ampliùs vi aut clam. ſ. tit. prox. l. 7. §. ait Iulianus.siquidem sublatâ causâ tollitur effectus. C.de episc. & cleric. l. generaliter.52.verſ. eos. & de hered. instit.l.4.

XXVI. *De precario.*

1 QVia passim iusto opponitur violentũ, clandestinum,ac precarium. ſ. vti possid. l.1.§. vlt.& l.2. cum lim.dictum autem est de eo quod vi aut clam fit,
2 consequenter de precario agitur. ¶ Precarium est, quod precibus petenti vrendum conceditur tamdiu, quamdiu is,qui concessit patitur.l.1.in pr.Et est iurisgentium. d. l. 1. §.1. simile commodato. d.l.1.§. vlt.sed ab eo differt, quia non est ad certum vsum.l.& habet. 15.§.1.nec est contractus,ideóque non parit actionem ciuilem, sed tantùm interdictum.l.interdictum.14.receptum tamen est ex bono & æquo, vt detur etiam actio præscriptis verbis. l.2. §. pen.l. duo. 19. §. vltim.
3 ¶ Omnes res mobiles & immobiles & iura & possessio precariò concedi possunt.l.2.§. vlt.l.3.l.4.in princ. non res propriæ eius qui precarium rogat. d. l. 4. §. tenetur. l. & habet. 15. §. precariò. l. vnusquisque. 18.
4 ¶ Precarium conceditur vel inter præsentes, vel inter absentes,veluti per epistolam, vel per nuncium.l.pre-
5 cario.9. ¶ Interdictum precarium (sic vocatur in d.l. & habet.§.cum quis. d.l.duo.§.1.vel quod precariò.ſ. de hered. petit. l.illud. 40.§.pen. & com. præd.l.pen.) ex naturali æquitate descendit.d.l.2.§.& naturalem.& est restitutorium. d. l. 2. §. 1. Iubet enim prætor, vt is qui ab altero precariò habet, vel dolo malo fecit vt desineret habere,id ei restituat.d.l.2.in princ.Alioquin nisi restituat,in tantum condemnabitur, quanti actoris interest rem restitui, quod spectatur ab eo tempore, quo interdictum editum est,proinde etiam fructus ex die interdicti editi præstabuntur. l. quæsitum. 8. §. eum. Heres tamen ex dolo defuncti non tenetur, nisi
6 in id quod ad se peruenit.d.l quæsitum.§.vlt. ¶ Nota primò eũm teneri, qui precarium habet, non qui precariò rogauit.Nam fieri potest, vt aliquis teneatur qui non rogauit, veluti dominus eius qui precarium rogauit.d.l. 4.§. tenetur & contrà vt precarium rogauerit, nec tamen habeat precarium, nec tenetur hoc interdicto, veluti si quis rem suam precariò rogauerit.
7 d.l.4.§.pen. ¶ Nota secundò eum quià Titio precariò rogauit, etiam ab herede eius precariò habere. d. l.
8 quæsitum.§.1. ¶ Nota tertiò hoc interdictum non es-
9 se annale sed perpetuum.d.l.quæsitum.§.pen. ¶ Nota quartò in hoc interdictum venire tantùm dolum, & latam culpam post interdictum tamen editum & dolum & culpam & omnem causam venire,propter moram eius qui precariò accepit. d.l. quæsitum.§.eum.§. si seruitute.§.& generaliter.

XXVII. *De arboribus cedendis.*

SEquuntur interdicta de arboribus, & earum fru- 1
ctibus. De arboribus sunt duo interdicta prohibitoria. ¶ Primo si arbor ex ædibus tuis in ædes vicini 2
impendeat:si per se stet, quominùs eam adimas:tunc, quominùs illi eam arborem adimere, sibique habere, id est,totam arborem succidere,ac ligna tollere liceat, vim fieri prætor vetat.l. 1. in princ. & §.1.& 2.Arboris appellatione etiam vitis continetur. d. l. 1. §. arbores.
¶ Hoc interdictum, non solùm domino ædium, sed 3
etiam fructuario competit. d. l. 1. §. non solùm. Et si plures domini sint, vnicuique in solidum datur. d.l. 1. §. præterea. ¶ Secundo si arbor ex agro tuo in agrum 4
vicini impendeat:si per te stet, quominùs pedes quindecim à terra eam altiùs coërceas: tunc, quominùs illi ita coërcere,id est, inferiores ramos amputare, lignaque sibi habere liceat, vim fieri prætor vetat. d. l. 1. §. deinde. Cuius interdicti ratio est, ne vmbra arboris vicino prædio noceat.d.l.1.§.pen.

XXVIII. *De glande legenda.*

DE fructibus vnum est interdictum similiter prohibitorium, ne vis fiat vicino, quominùs, glandem, quæ ex eius agro in tuum cecidit,tertio quoque die legere & auferre liceat. nam glandis appellatione omnes fructus significantur.l.vn.

XXIX. *De homine libero exhibendo.*

SVpereſt, vt explicentur interdicta de rebus mobi- 1
libus: & primùm de hominibus liberis; postea de seruis, & aliis rebus, quæ sunt in commercio. ¶ De 2
hominibus liberis sunt tria interdicta. Primum est de quocumque homine libero:& est exhibitorium:nam libertatis tuendæ causâ prætor iubet, vt quem hominem liberũ dolo malo quis retinet, eum exhibeat.l.1.
¶ Nec refert, vtrùm sit pubes,an impubes: masculus, 3
an femina: sui iuris, an alieni, tantùm enim spectamus, an liber sit. l.3.§.1. ¶ Exhibere est in publicum 4
producere, & videndi tangendique hominis potestatem facere. quod non aliter fit, quàm si extra secretum habeatur. d.l.3.§. ait prætor. ¶ Hoc interdictum 5
est populare,& omnibus competit. d.l.3.§. hoc interdictum. Sed si plures experiri velint, prætor magis idoneum eligere debet. d.l.3.§.si tamẽ plures. ¶ Non 6
potest sæpius moueri, nisi ex iusta causa. d.l. 3. §. si postea tamen. ¶ Perpetuum est. d.l.3.§.vlt. ¶ Et in 7
absentem quoque datur, ita vt, si non defendatur, in 8
bonorum eius possessionem aduersarius mittatur. d. l.3.§.penult.

XXX. *De liberis exhibendis,item ducendis.*

RElIqua duo interdicta sunt de liberis nostris. 1
¶ Secundum interdictum est exhibitorium: quo 2
prætor iubet,vt extraneus, penes quem est filiusfamilias, quíve dolo malo fecit quominùs penes se esset, eum parenti,in cuius potestate est, exhibeat. l.1.in pr. & §.1. ¶ Hoc interdicto vrenti potest opponi excep- 3
tio,si aut mater retineat, apud quam iustius sit filium morari, vt interdum accidit. d. l. 1. §. si verò. aut iudicatum sit non esse eum in actoris potestate. d. l. 1. §. pen.aut maritus sit,qui vxorem retinet: nam maritus patri præfertur. d. l.1.§. vlt. & l.2. ¶ Tertium interdi- 4
ctum est prohibitorium:ne vis fiat parenti, quominùs liberos, quos in potestate habet, ducere ei liceat. l.3.

BIU Cujas

5 in pr. ¶ Superius interdictum est huius præparatorium: nam liberi exhibendi sunt, vt duci possint. d.l.3. §.1. Sed ex hisdem causis vtrumque competit. d.l.3.§.
6 ex hisdem. ¶ Hoc interdictum neque contra ipsos liberos ducendos datur. d.l.3.§. hoc autem, neque aduersus eum, penes quem filiusfamiliàs sponte sua manet. l.vlt.

XXXI. *Vtrubi.*

1 SVpersunt interdicta de rebus mobilibus, quæ sunt
2 in commercio. ¶ Primum interdictum à primis verbis (vt plerisque aliis interdictis accidit) appellatur
3 *vtrubi*. ¶ Cuius eadem est vis in rebus mobilibus, quæ interdicti vti possidetis in rebus immobilibus. l.vn.&
4 Instit. de interdict.§.retinendæ. ¶ Tantùm igitur breuiter nota hoc interdictum esse prohibitorium. Instit. eod.§.1.vers.prohibitoria. retinendæ possessionis. d.§. retinendæ duplex. Instit.eo.§.pen.

XXXII. *De migrando.*

1 SEcundum interdictum est prohibitorium, ne vis fiat inquilino migranti, quominùs abducere asportare ei liceat, quæ non sunt domino ædium pignerata: vel quia in pignoris causam non venerunt, vel quia merces soluta est, aut per dominum ædium stat quò-
2 minùs soluatur. l.1.in prin.& §.1. ¶ Nota primò hoc interdictum colono non competere, inquilino dari directum. d.l.1.§.1. ei verò qui gratuitam habet habi-
3 tationem, vtile competere. d.l.1.§. si tamen. ¶ Nota secundò nihil referre, vtrùm res sint in bonis inquilini, an non, putà ei commodatæ, vel apud eum depo-
4 sitæ. d.l.1.§.pen.& l.2. ¶ Nota tertiò hoc interdictum esse perpetuum: & dari etiam successoribus, & contra
5 successores. d.l.1.§.vlt. ¶ Nota quartò hoc interdictum infrequens esse, quia magis solet extra ordinem inquilinis subueniri. d.l.1.§.cui rei.

XXXIII. *De Saluiano interdicto.*

TErtium interdictum, quod à Saluio Iuliano edicti perpetui conditore (vt probabile est) appellatur Saluianum, est restitutorium, adipiscendæ possessionis. Instit.de interdi.§.adipiscendæ.vers.interdictum. Directum domino fundi competit de rebus coloni sibi pigneratis, contra quemcumque possessorem. l.1.§.1.vtile datur eidem domino fundi de partu ancillæ pigneratæ post eam venditam edito. d.l.1.& cuiuis alij creditori aduersus ipsum debitorem, non aduersus extraneum possessorem. C. de precar. l.1. De interdictis hactenus.

LIBER XLIV.

TITVLVS I.

De exceptionibus, præscriptionibus, & præiudiciis.

1 POSTQVAM expositum est cõdictiones, præiudicia, iudicium petitorium, & iudicia possessoria: tandem hoc libro vult duo explanare omnibus illis iudiciis communia, videlicèt actiones, & exceptiones. Ac primo quidem loco videbatur de actionibus dicendum, sed quia proximè dictum est de possessione, & iudicio possessorio: possessio autem non solùm per actionem vel interdictum petitur aut retinetur, sed etiam exceptione defenditur: & possessionis cõmodum est, vt agendi & probandi onus in aduersarium transferatur, ipse autem possessor excipiat, vel aduersario non probante possessionem retineat, etiamsi ipse nihil probet, vel alleget. ẽ. de testam. milit. l. militis. 36.§.pen. in fi. & ĩ. de diuers. reg. iur. l. in pari. 128. in princ. & C. de rei vindic. l.vlt. & de probat. l.2. & Instit. de interd. §. recuperandæ. vers. commodum. idcirco statim post interdicta tractat de exceptionibus. ¶ Exceptio est allegatio, 2
quam reus conuentus in iudicio intẽtioni actoris opponit. vel breuiùs, est actionis exclusio. l.2. in prin. vel, conditio, quæ modò reum eximit damnatione, modò minuit damnationem. l. exceptio. 22. in princ. vbi vocatur conditio ratione habita veterum formularum, in quibus exceptiones actionibus conditionaliter adiungebantur, veluti, *Si paret Titium à Mœuio decem mutuo accepisse, nisi pacti sint de non petendo, Iudex Titium Mœuio condemna.* Sed hæc postrema definitio videtur esse propria actionis peremptoriæ. Nisi dicamus dilatoriam sub eo membro contineri, quod damnationem minuit: quatenus is, qui seriùs soluit, minus soluere dicitur. Instit. de actio. §. si quis agens. ¶ Nota 3
primò reum in exceptione fungi partibus actoris. l.1. ¶ Nota secundò, vt actioni opponitur exceptio, ita 4
exceptioni opponi replicationem, replicationi duplicationem, duplicationi triplicationem, triplicationi quadruplicationem, & ita deinceps: omnes autem has allegationes exceptionis vocabulo latiùs sumpto cõtineri. d.l.2.§.1.& §§. seqq. & Instit. de replicat. to. tit. ¶ Nota tertiò exceptionem propriè dici, quæ elidit 5
actionem ipso iure competentem, qualis est exceptio pacti: alia est exceptio facti, id est, defensio rei conuenti, qua ostendit se ipso iure non teneri: quæ impropriè vocatur exceptio; quia nulla est actio, quâ excludat. ¶ Nota quartò præscriptionem in- 6
terdum latiùs sumi, vt idem sit quod exceptio, sed propriè dici præscriptionem temporis, vt ĩ. tit.3.& C. lib.7.tit.33.& aliquot sequentibus. ¶ Exceptio diui- 7
ditur sequentibus modis. I. Alia est ciuilis, alia prætoria. Instit.h.t.§. quarum. II. Aut excipitur, quia factum est quod fieri oportuit, vt rei venditæ & traditæ: aut quia factum est quod fieri non oportuit, vt doli mali: aut quia factum non est quod fieri oportuit, vt bonorum possessionis non datæ. l. exceptiones. 20. III. Alia cohæret personæ, adeo vt fideiussori non prosit, vt exceptio quòd facere non possit: alia rei cohæret, ac fideiussori quoque prodest, vt rei iudicatæ, vel doli mali. l.7. IV. Alia est perpetua seu peremptoria, quæ in perpetuum actionem perimit, vt doli mali, & rei iudicatæ: alia temporalis seu dilatoria, quæ ad tempus actionem differt, vt exceptio procuratoria. l.2.§.vlt.& l.3.& Instit. eod. §. appellantur. & §§§. seqqq. V. Aut reum damnatione eximit, aut damnationem minuit vt suprà expositi. ¶ Hæ sunt genera 8
les exceptiones diuisionis. Species autem sunt, quæ sequuntur. ¶ Prima est exceptio, quam postrema hu- 9
ius rubr. verba innuunt, nisi præiudicium fiat alteri causæ potiori. verbi gratiâ si quis agat de seruitute, ei opponi potest exceptio, ne præiudicium prædio, id est, iudicio de prædio fiat. l.fundum. 16.

II. *De exceptione rei iudicatæ.*

SEcunda est exceptio rei iudicatæ, ideo introducta, 1
quia vni liti vnum iudicati finem sufficere oportet: alioquin modus litium multiplicatus summam atque inexplicabilem faceret difficultatem. l.6. ¶ Hæc 2
exceptio rei cohæret, ideóque etiam fideiussori prodest. ẽ. tit. prox. l.7.§.1. perpetua est. ẽ. eod. l.3. & reum damnatione eximit. l.7. in pr. ¶ Vt huic exceptioni 3
locus

locus sit, opus est, vt eadem sit res, cædem personæ, eadem causa. l. cùm quæritur. 12. l. quantitas. 13. l. & an eadem. 14. in princ. l. si cum argentum. 21. §. 1. l. cum de
4 hoc. 27. ¶ Rem eandem intellige, non omnino eâdem qualitate vel quantitate seruata, sed pinguiùs pro communi vtilitate. d. l. & an eadem in princ. Exempli gratiâ, si de grege iudicatum sit, exceptio obstat petenti eundem gregem, aucto vel deminuto capitum numero: immo etiam petenti ouem ex eo grege. d. l. si cùm argentum. §. 1. Item ei qui petiit hereditatem, obstat exceptio si postea petat corpus vel debitum hereditarium, & contrà. l. 3. d. l. 7. §. pen. & vlt. Item qui totum petiit, non debet petere partem. d. l. 7. in princ.
5 ¶ Quod ad personas attinet, debent quidem esse eædem personæ. d. l. 3. & l. si cum vno. 22. quia res inter alios iudicata, tertio nec nocet nec prodest. l. 1. & ſ. de re iudic. l. sæpe. 63. in princ. & C. quib. res iudic. non no. to. tit. & int. ali. ac. l. vlt. Verumtamen excipiuntur personæ, quæ rem in iudicium deducere possunt. l. 4. l. si mater. 11. §. hoc iure. vt putà iudicatum contra procuratorem, tutorem, curatorem, syndicum, defensorem, domino nocet. d. §. hoc iure. Item iudicatum contra auctorem, nocet emptori, vel alij successori. d. l. si mater. §. item Iulianus. & §. pen. & l. exceptio. 28. Præterea post reum absolutum, datur exceptio rei iu-
6 dicatæ etiam fideiussori, vt paulò anté notaui. ¶ Causa quoque eadem esse debet, vt locus sit exceptioni rei iudicatæ: quoniam ex noua causa licet iterum agere: veluti quia reus nunc possidet, quod antea non possidebat. l. si à te. 9. in princ. l. si rem meam. 16. & l. seq. aut actor acquisiuit dominium, quod antea non habebat. d. l. si mater. §. eandem. l. si is qui heres. 25. in princ.
7 ¶ Nota primò nihil prodesse actori, quòd alia actione agat, nam qui de eadem re agit, etiamsi alia actione vtatur, tamen exceptione rei iudicatæ summouetur.
8 l. 5. l. 7. §. pen. l. item. 8. d. l. si is qui heres. §. 1. ¶ Nota secundò differentiam inter actionem in rem, & actionem in personam, cum enim res ex pluribus causis nostra fieri nequeat, sæpius autem & ex pluribus causis deberi possit: meritò placuit, eum, qui in rem agit non expressâ causâ ex qua rem suam esse dicat, actionem consumere, nec posse ampliùs rem petere, actionibus verò personalibus sæpius eandem rem ab eodem petere licet, quia singulas obligationes singulæ causæ sequuntur. d. l. & an eadem. §. pen. Vt igitur ei qui in rem egit, iterum sine metu exceptionis rei iudicatæ eandem rem petere liceat, opus est, vt vel antea causam expresserit, & nunc ex altera causa agat. d. l. si mater. §. si quis autem. vel saltem agat ex noua causa, quæ postea superuenerit, vt quia post prius iudicium dominium rei acquisiuit. d. l. si mater. §. eandem. d. l. si is qui
9 heres. in princ. ¶ Nota tertiò, eum, qui in rem egit nec obtinuit, posse eandem rem condicere sine metu
10 exceptionis. l. vlt. ¶ Nota quartò interdum contra exceptionem rei iudicatæ dari replicationem, æquitate
11 postulante, vt in specie. d. l. si mater. in princ. ¶ Nota quintò non solum dari exceptionem, sed etiam replicationem rei iudicatæ. d. l. si à te. 9. §. 1. l. si quis rem. 24. menses, aut quanto minoris post annum. D. de ædil. edi. l. sciendum. 19. §. vlt. aut de dolo post biennium. C. de do. l. vlt. aut restitutionem propter absentiam vel minorem ætatem petat post quadriennium. C. de tempor. in integ. restit. min. l. vlt. Et similiter exceptioni temporali opponitur replicatio, vt si de non numerata pecunia excipiatur post biennium. C. de non nume. pecun. l. in contractib. 14. in princ. II. Actioni in personam perpetuæ præscribitur ex constitutionibus longissimo tempore, id est triginta vel quadraginta annis. C. de constit. pecun. l. 2. & de præscript. trig. vel quadrag. anno. l. 3. & 4. & Instit. de perpet. & tempor. act. in princ. III. Actioni in rem opponitur præscriptio longi temporis, id est, decem annorum inter præsentes, aut viginti inter absentes. ſ. si seru. vindic. l. si quis diuturno. 10. in prin. & C. de præscript. lon. temp. to. tit. Sed si res mobilis cum iusto titulo possideatur, triennium sufficit. C. de vsucap. transform. l. vn. Instit. de vsucap. in princ. ¶ In hoc tertio exceptionis genere habetur ratio interruptionis, & accessionis. Nam interruptio possessionis nocet præscribenti, quia possessio continuata requiritur: & accessio prodest, quia tempus primi possessoris coniungitur cum tempore eius qui ab illo causam habet, vt dictum fuit in tit. de vsurpat. & vsucap. Hìc igitur datur regula, quòd successori accedit tempus decessoris: vt possessio defuncti vel venditoris accedit possessioni heredis vel emptoris. l. de accessionibus. 14. Et additur limitatio, dummodò ipse quoque successor aliquo tempore possederit. oportet enim esse in successore tempus, cui accedat & adhæreat tempus decessoris. l. vlt. 2

III. *De diuersis temporalibus præscriptionibus & de accessionibus possessionum.*

1 TErtia est præscriptio temporis quæ multas species sub se continet, sed omnes ad tria genera mihi videntur referri posse. I. Actioni in personam temporali opponitur exceptio illius temporis finiti quo actio terminatur: veluti si quis agat redhibitoria post sex

IV. *De dolo malo, & metus exceptione*

QVarta est exceptio doli mali à prætore proposita, 1
ne cui dolus suus per occasionem iuris ciuilis contra naturalem æquitatem prosit. l. 1. §. 1. Ergo hæc exceptio naturali æquitate nititur, ac datur cuicumque actionem æquitate defensionis infringere volenti. l. qui æquitate. 12. Ex eadem igitur causa competit, ex qua de dolo actio. l. 2. Sed ab ea differt. I. Quia non est subsidiaria, vt actio de dolo, sed cum omnibus exceptionibus concurrit, quia dolo facit, quicumque petit id, à cuius petitione potest quacumque exceptione summoueri. l. 2. §. & generaliter. Proinde actionem de dolo excludit, nam qui sua exceptione doli seruare potest, de dolo agere nequit. ſ. de dolo. l. vlt. II. Quia non finiuntur certo tempore, vt actio de dolo, quæ non datur vltra biennium continuum. C. eod. l. vlt. sed perpetuò competit. l. 5. §. vlt. ¶ Hæc exceptio I. Est 2
peremptoria Instit. de except. §. perpetuæ. II. Ex parte eius cui opponitur, est in personam, non in rem concepta. proinde non sufficit ostendere dolum esse in re, vel alium dolo fecisse, sed opus est ostendere ipsum actorem, cui exceptio opponitur dolum commisisse. l. 2. §. 1. Suus enim cuique dolus nocere debet, non alienus. l. Procurator. 11. Quocirca dolus venditoris non nocet emptori. l. 4. §. de auctoris. Dolus tamen donatoris nocet donatario. adeo vt manifesta hìc obseruetur distinctio inter causas onerosas, & lucratiuas. d. l. 4. §. auctoris autem. An dolus procuratoris domino obsit, vide d. l. 4. §. quæsitum. & d. l. procurator. An dolus filij vel serui noceat patri vel domino, vide d. l. 4. §. in hac exceptione. III. Ex parte eius qui de dolo excipit, est in rem: quia non quæritur, adueršus quem dolus sit commissus, sed an in ea re sit

BIU Cujas

dolo malo factum à parte actoris. d.l.2.§ planè. Hæc igitur exceptio rei cohæret, & fideiussori quoque prodest. ff. de exceptio. l. 7. §. 1. IV. Eius cui opponitur, existimationem suggillat, ideóque aduersus parentem vel patronum non datur, sed aduersus has personas in factum excipere oportet, non facta doli mentione. d.l. 4. §. aduersus. ¶ Non solùm autem datur contra actionem exceptio doli, sed etiam contra exceptionem, putà Macedoniani, replicatio doli. d.l.4.§. contra. Sed contra doli exceptionem replicatio doli non admittitur. d. l.4.§.Marcellus. ¶ Quinta est exceptio metus, prętoria. d.l.4.§.pen. peremptoria. Instit. de action.§.perpetuæ. reum damnatione eximens. Instit.eod.§.1. rei cohærens. ff.eod.l.7.§.1. & omninò in rem scripta, etiã ex parte eius cui obiicitur. non enim inspicimus, an is, qui agit, metum fecerit, sed an omnino metus illatus sit. d.l.4.§.penult. cùm enim metus habeat in se ignorantiam, non debet quis adstringi, vt personam designet, quæ vim aut metum adhibuit. ff. quod met. cau. l. item si cum exceptione. 14. §. in hac actione. ¶ Hanc exceptionem filius patri in cuius potestate est, obiicere non potest. d.l.4.§.vlt.

V. *Quarum rerum actio non datur.*

SExta est exceptio iurisiurandi. Nam si reus, actore vel iudice deferente, iurauerit se dare non oportere, vel rem petitoris non esse; aut, cum iurare paratus esset, remissa ei sit necessitas iurandi: inde acquirit exceptionem. ff. de iureiur. l. 3. in prin. l. nam posteaquàm. 9. §. 1. l. sed si possessori. 11. in pr. l. in duobus. 28. §. vlt. similem exceptioni rei iudicatæ; quia iusiurandum vicem rei iudicatæ obtinet. l. 1. in pr. & ff. de iureiur. l. vlt. §. vlt. Sed & vim transactionis habere dicitur. ff. eod. l. 2. & acceptilationis. ff. eod. l. iusiurandum à debitore 40. & solutionis. ff. eod. l. iusiurandum. etiam. 27. d. l. in duobus 28. §. 1. Denique si iuratum esse dicatur; non quæritur, an debeatur, sed an iuratum sit. ff. eod. l. 5. §. dato. Et si constet iuratum esse, reus absoluitur. ff. eod. l. iusiurandum & ad pecunias. 34. §. vlt. ¶ Nota primò iurari posse de quacumque re. ead. l. pr. & vel de toto, vel de parte, ita vt eatenus exceptio locum habeat, quatenus iuratum est. ff. eod. l. 7. ¶ Nota secundò super quacumque actione iurari posse, ita vt quæcumque actio per hanc exceptionem summoueatur. ff. eod. l. 3. §. 1. & seqq. etiam actio ex iureiurando. d. l. in duobus. §. vlt. & l. seq. necnon actio popularis, dummodò bona fide iusiurandum delatum sit. ff. eod. l. eum qui. 30. §. 1. ¶ Nota tertiò iurisiurandi exceptionem dari I. Ei qui iurauit. d. l. 7. II. Eius successori siue in ius siue in rem successerit. d. l. 7. & l. seq. III. Reo ex iureiurando fideiussoris, nisi de sua tantum persona iurauerit, quasi non fideiusserit. l. 1. §. si fideiussor. & ff. de iureiur. d. l. in duobus. §. 1. & l. vlt. §. 1. IV. Fideiussori ex iureiurando rei principalis. d.l. in duobus. §. 1. & d.l. vlt. §. vlt. V. Correo iurantis. d.l. in duobus. §. ex duobus. quemadmodum & delatum ab vno ex reis, etiam alteri nocet. ead. l. pr. VI. Ei cuius procurator vel defensor iurauit. ff. eod. l. nam posteaquàm. 9. §. pen. & l. vlt. §. sed etsi. VII. Patri vel domino iurantis. l. 2. in pr. & ff. de iureiur. l. si seruus. 23. & l. seq. VIII. Filio eius qui iurauit. ff. eod. l. qui iurasse. 26. §. 1. ¶ Contra hanc exceptionem interdum replicatio, vt propter minorem ætatem. d. l. nam posteaquam. §. si minor. vel propter creditores fraudatos. ead. l. §. sed etsi. vel ob noua instrumenta post iusiurandum à iudice delatum reperta. ff. eod. l. admonendi. 31. ¶ Septima est exceptio quod libertatis onerandæ causâ. Dicuntur autem libertatis onerandæ causâ facta, quæ ita liberto imponuntur, vt, si patronum offenderit, petantur: adeo vt libertus semper sit in metu, propter quem metum quoduis sustineat patrono præcipiente. Nec refert, vtrum tempore manumissionis, an ex interuallo impositum sit, si liquidò appareat libertum metu solo, vel nimia patroni reuerentia ita se subiecisse. l. 1. §. quę onerãdæ. & §. seq. & l. 2. §. vlt. ¶ Octaua est exceptio quòd in alea gestum sit. d.l. 2. §. 1. ¶ Notandum est prætorem ita de his tribus causis edixisse, vt negarit se actionem daturum de eo, de quo iuratum est. ff. de iureiur. l. nam posteaquam. 9. in princ. aut de eo quod libertatis onerandæ causâ patronus stipulatus est. d.l. 1. §. quæ onerandæ. aut de eo quod in alea gestum est. ff. de aleat. l. 1. in pr. Quamobrem compositori Digestorum placuit has tres causas sub vna rubrica, *Quarum rerum actio non datur*, coniungere. Intellige non dari, id est, à prætore denegari actionem, si manifestum sit vel fuisse iuratum, vel oneratam libertatem, vel in alea gestum. alioquin actio proponetur, eique exceptio obiicietur. d.l. nam posteaquam. in pr. Neque tamen in his solis causis hoc obtinet. Nam ex causa quoque Macedoniani senatusconsulti modò dicitur denegari seu non dari actionem, modò dari exceptionem, vt passim videre est in titulo ff. de senatusconsul. Macedon. Idem obtinet in causa litigiosi, de qua titulo seq.

VI. *De litigiosis.*

NOna est exceptio litigiosi. Res litigiosa est, de cuius dominio lis mota est, in ius vocato aduersario. Nou. 112. cap. 1. vel procuratore, siue tutore aut curatore eius. l. 1. in fin. Controuersia de hypotheca, rem litigiosam non facit. C. h. t. l. 1. & de distract. pign. l. 2. Quod autem glo. & Doctores in l. 2. C. h. t. aiunt rem litigiosam fieri iudicio personali per litis contestationem, mihi probari non potest. ¶ Vitium litigiosi reddit alienationem irritam. C. h. t. l. 2. l. vlt. §. 1. ergo actio à prætore denegabitur. sed & exceptio dari dicitur. l. 1. §. 1. quod superiori titulo exposui. ¶ Excipitur, nisi res alienata sit ex causa dotis, vel donationis propter nuptias, vel transactionis, vel diuisionis, vel legati seu fideicommissi. C. h. t. l. vlt. in fin. vel ex alia iusta & necessaria causa. ff. de hered. petit. l. 5. & famil. erciscun. l. alienationes. 13. ¶ De pœna litigiosi vide l. vlt. & C. eod. l. vlt. Hucusque de exceptionib.

VII. *De obligationibus & actionibus.*

COnsequenter dicendum de actionibus, quia verò obligatio est mater actionis. ff. de procurat. l. licèt. 42. §. ea ebligatio. & multæ diuisiones obligationibus & actionibus communes sunt, idcirco de obligationibus simul tractabitur. ¶ Obligatio est iuris vinculum, quo quis facere, vel soluere, vel præstare aliquid tenetur. l. 3. in prin. ¶ Diuiditur multis modis. I. In naturalem, & ciuilem. Naturalis dicitur, quæ iure naturali, id est iure gentium, est introducta. ff. de iust. & iu. l. 5. nec iure ciuili confirmatur, sed solo æquitatis vinculo continetur. ff. de. solut. l. Stichum. 95. §. naturalis. Ciuilis est, quæ iure ciuili introducta, vel confirmata est, ita vt actionem pariat. ff. commoda. l. in commodato. 17. §. sicut. Ius ciuile hic accipio, prout iuri gentium opponitur, & sub se etiam ius prætorium complectitur. Hæc obligatio à Iustiniano definitur Iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendæ secundum nostræ ciuitatis iura. Instit. de oblig. in princ. Naturalis obligationis duo sunt genera. aliæ

BIU Cujas

ra. aliæ namque sunt leuiores, quæ nullum iuris effectum pariunt, vt obligatio ad ἀντιδοσιν, id est ad remunerationem præstandam. ff. de hered. petit. l. sed etsi. 25. §. consuluit. aliæ arctiores, vt ex nudo pacto, quæ in iure ciuili varios effectus habent. Quod enim ita debetur, compensationem tribuit. ff. de compens. l. 6. nouare, & nouari potest. ff. de nouat. l. 1. constitui potest. ff. de pecun. constit. l. 1. §. pen. efficit vt fideiussor. ff. de fideiuss. l. 1. l. 6. in fi. & l. seq. & Instit. eod. § 1. vel pignus non inutiliter accedere possit. ff. de pignor. l. quæsitum. 14. §. 1. & ad Trebell. l. debitor. 59. vers. remanet ergo. & quandoque peti potest. l. naturales. 10. & ff. de fideiuss. l. fideiussor. 16. §. naturales. & ff. de negot. gest. l. 3. §. pupillus. & de condict. indeb. l. naturaliter. 13. §. 1. & l. seq. & commo. l. 3. in princ. & de auctor. tutor. l. 5. §. 1. Ciuilis subdiuiditur in ciuilem propriè dictam seu legitimam & honorariam seu prætoriam. quamquam hæc diuisio etiam actioni quodammodò conuenit. Ciuilis propriè dicitur, quæ vel iure ciuili est introducta, vel iure ciuili comprobata. Ius ciuile hîc accipio prout iuri prætorio opponitur, & est iuris ciuilis latè sumpti pars. Prætoria est, quæ iure prætorio est introducta. l. actionum. 25. §. vlt. & Instit. de oblig. §. 1. Prætoriarum appellatione continentur etiam ædilitiæ, argum. vers. prætorias. Institu. de diuis. stipul. II. Aut est obligatio diuidua, id est rei diuiduæ, vt decem; aut indiuidua, id est rei indiuiduæ, vt seruitutis. ff. tit. prox. l. 2. §. 1. III. Aut est pura: aut ad diem, veluti vsque ad Kalendas illas: aut ex die, veluti ex Kal. illis: aut sub conditione, veluti si nauis ex Asia venerit: aut sub modo, veluti si decem aut homo alternatè debeatur; aut cum accessione; quæ vel fit personæ, veluti si mihi aut Titio decem promiseris; vel rei, veluti si mihi decem aut Titio Stichum promiseris. l. obligationum ferè. 44. IV. Aut obligamur re, vt mutuo, commodato: aut verbis, vt stipulatione; aut simul vtroque, vt commodato stipulatione confirmato; aut consensu, vt emptione & venditione: aut lege siue iure honorario iubente seu vetante aliquid fieri: aut necessitate, vt cum seruus, tamquàm heres domini sui necessarius, obstringitur volens nolens oneribus hereditariis; aut peccato, id est delicto, vel quasi delicto. l. obligamur. 52. Adde, aut literis. Instit. de oblig. §. vltim.

4 ¶ Actio est ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur. l. nihil. 51. & Instit. de action. in pr. Persequendi verbum latè accipe, vt omnibus actionibus cõueniat, vt in l. actio. 28. & in l. in honorariis. 35. quamuis propriè persecutio dicatur, quæ extraordinaria est. ff. de verb. signific. l. pecuniæ. 178. Similiter verbum *in iure*,

8 debet latè accipi, vt omnem petitionem complectatur, siue sit in iure apud magistratum, siue in iudicio apud iudicem pedaneum. Item verbum *quod sibi debetur*, latè accipi debet, vt non solùm conueniat actioni in personam, sed etiam in rem. licèt enim res nostra nobis deberi nequeat. §. de aur. & argen. lega. l. Quintus. 17. §. argento. l. scribit. 34. in pr. tamen eius restitutionem nobis deberi nihil verat. ¶ Actionum

5 diuisiones petantur ex tit. ff. de iudic. Nam iudiciorum diuisiones, sexta, vndecima, decima quarta, decima

6 quinta etiam actionibus conueniunt. ¶ Communes autem diuisiones obligationis & actionis sunt hæ: I. Vel est ex contractu, vel ex quasi contractu, vel ex delicto, vel ex quasi delicto. l. 1. in princ. (vbi cùm Iurisconsultus ait *ex variis causarum figuris*, intelligit quasi contractus, & quasi delicta) & Instit. de oblig. §. vltim. Contractus fit mutuo consensu habente causam, id est vim producendæ actionis, vt mutuum, stipulatio, &c. quasi contractus fit vnius voluntate causam habente, vt negotiorum gestio, vel consensu non habente causam, Vt pactum nudum. delictum dolo, quasi delictum culpâ committitur. II. Vel est ex contractu (id est, contractu propriè dicto, vel quasi contractu) vel ex facto, (id est, ex delicto, vel quasi delicto) vel in factum, cùm scilicèt aliquis non tenetur iure ciuili, sed tantùm iure prætorio ex bono & æquo. l. actionum. 25. §. 1. III. Aut est perpetua, aut temporalis. Institut. de perpet. & tempor. actio in princip. IV. Aut est transitoria ad heredes, aut non. Institut. eod. §. 1. Reliquas diuisiones pete ex titulo ff. de iudic. huc enim spectant iudiciorum diuisiones, prima, secunda, tertia, septima, octaua, nona, decima, duodecima, decimatertia, decimaoctaua. ¶ Nota primò obligationis verbum esse ho- 7
monymum: quia modò sumitur latè, vt complectatur etiam naturalem obligationem, licèt impropriè dicatur obligatio. ff. de fideiuss. l. fideiussor. 16. §. naturales. & de solut. l. Stichum. 95. §. naturalis modò angustè, vt obligationem ciuilem significet naturali exclusâ. Institut. de oblig. §. 1. ¶ Nota secundò 8
actionis vocabulum capi tribus modis. I. Angustè & propriè pro condictione, id est, actione in personam. l. actio in personam. 28. II. Latè & generaliter, vt tam actionem in rem, quam in personam complectatur. d. l. actionum. in princip. III. Latissimè & impropriè, vt non solùm dictas actiones, sed etiam alia iuris remedia, vt stipulationes prætorias, & interdicta comprehendat. l. actionis verbo. 37. ¶ Nota tertiò obligationis substantiam non in eo 9
consistere, vt rem nostram faciat, sed vt personam nobis obstringat ad dandum, vel faciendum, vel præstandum. l. 3.

IVLII PACII
A BERIGA I. C.
ISAGOGICORVM IN PANDECTAS
PARS VII.

LIBER XLV.
TITVLVS I.
De verborum obligationibus.

EXPOSITÆ sunt duæ iudiciorum diuisiones: prima in prima & secunda parte, vbi declarata sunt iudicia senatus, magistratuum, arbitrorum compromissariorum, & iudicum pedaneorum realia, personalia, & mixta: secunda in sequentibus partibus, in quibus dictum est de conditionibus, præiudiciis, iudicio petitorio, & iudiciis possessoriis, nec non de his quæ dictis iudiciorum generibus communia sunt: tertia & vltima iudiciorum diuisio in hac septima parte perpurgabitur. Aut enim est iudicium priuatum, aut publicum. Illud subdiuiditur in ciuile, & criminale; quod partim est ordinarium, partim extraordinarium. hoc subdiuiditur in populare, criminale, & extraordinarium, hîc autem vôco extraordinaria iudicia, fiscalia, militaria, & municipalia. Ergo 1
in hac

BIU Cujas

in hac parte ordine explicabuntur causæ quædam ciuiles, delicta ordinaria, delicta extraordinaria, iudicia popularia, crimina publica, iura fiscalia, iura militaria, & iura municipalia. Ciuiles causæ sunt multæ: sed cùm aliæ suis locis iam sint expositæ, superest vt nunc agatur de stipulatione, quæ rectissimè ciuilis dicitur, cùm iure ciuili sit introducta. Instit. de action. §. de constituta, glo. in l. 5. ff. de iust. & iu. & in §. sed ius quidem. vers. & ex hoc iure. Instit. de iu. natur. ¶ Stipulatio est contractus, qui verbis perficitur præcedente interrogatione, & sequente congrua responsione, Instit. h. t. in princ. & ff. tit. prox. l. 1. §. verbis. l. obligamur. 52. §. verbis, vel, verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum factumue se quod interrogatus est, respondet, l. 5. §. 1. ¶ Dicta est stipulatio à stipulato, quod veteribus significabat firmum. Instit. h. t. in pr. Nam est firmissimus contractus, per quem nobis cauetur. ff. de stipul. prætor. l. 1. §. & est sciendum. Idcirco ad alias quascumque obligationes confirmandas adhiberi solet. l. 5. vers. nam & ob ipsam. ¶ Est autem stricti iuris, excepta stipulatione dotis. C. de rei vxor. act. l. vn. §. sed et si. Et in dubio cùm quæritur quid actum sit, verba contra stipulatorem interpretamur, qui sibi debet imputare cur non apertiùs locutus sit proinde quicquid non est verbis expressum, non suppletur, sed prætermissum intelligitur. l. stipulatio ista. 38. §. in stipulationibus. l. quicquid adstringendæ. 99. Quocirca commodissimum est stipulationes ita concipere, vt quęcumque specialiter comprehendi possunt, expresse contineantur; ob ea verò, quæ contrahentibus non occurrunt, & ob incertos casus, doli clausula apponatur. l. stipulationes commodissimum. 53. qua respondens promittit dolum malum abesse abfuturúmque esse. d. l. stipulatio ista. §. si quis dolum. l. ex ea. 121. in pr. ¶ Diuiditur stipulatio multis modis. Prima diuisio est, quòd stipulatio sit aut vna lingua, vt Latinâ, vel Græcâ, vel alia quacumque; aut diuersis linguis, veluti si Latinè stipulanti respondeatur Græcè d. l. 1. §. vlt. ¶ Secunda diuisio est, quòd omnis stipulatio vel consistit in dando, veluti, *decem dabis?* vel in faciendo, veluti, *Insulam ædificabis?* vel in vtroque, veluti, *dabis decem, & facies insulam?* l. 2. in princ. id est, vel stipulamur rem, vel factum, vel vtrumque. Instit. eod. §. vlt. Res autem est genus, vel species. l. in stipulationibus. 54. Factum intellige vel affirmatum, vel negatum: quia facti obligatio consistit vel in faciendo, vel in non faciendo. l. vbi. 75. §. qui id quod. & Instit. eod. d. §. vlt. ¶ Tertia diuisio est, quod aut est stipulatio omninò diuidua, quia est rei diuiduæ, quæ per partes solui potest, vt decem: aut omnino indiuidua, quia res promissa partes non recipit, vt iter, actus, via: aut partim diuidua, partim indiuidua; quia res in stipulatum deducta, partes quidem recipit, sed nisi tota detur, stipulationi satis non fit, vt homo, vel aliud genus. d. l. 2. §. 1. d. l. in stipulationibus. 54. & l. stipulationes non diuiduntur. 72. ¶ Quarta diuisio est, quòd stipulatio aut est certa, id est rei certæ; aut incerta, id est rei incertæ. l. stipulationum. 74. & l. seq. l. triticum. 94. & Instit. eod. in prin. ¶ Quinta diuisio est in simplicem, & multiplicem. Simplex est, quæ vna est; qualis est etiam stipulatio annua. l. si Stichum. 16. §. 1. Multiplex est stipulatio multarum rerum. l. 1. §. pen. l. scire. 29. in princ. l. vbi. 75. §. pen. specialiter expressarum. l. quod dicitur tot. 86. l. pluribus. 140. in princ. & stipulatio annuâ bimâ trimâ die. eod. l. §. 1. ¶ Sexta diuisio est tripertita, aut enim est stipulatio pura, aut in diem, aut conditionalis. l. eum qui Kalendis. 42. §. 1. l. eum qui ita. 56. §. vlt. l. quoties. 59. l. interdum. 73. l. in executione. 85. §. vlt. l. si quis ita. 129. & ff. tit. prox. l. obligationum ferè. 44. §. fi. & Instit. eod. §. omnis.

II. *De duobus reis constituendis.*

SEptima diuisio à personis contrahentibus sumitur. aut enim vnus stipulatur, & vnus promittit: aut duo rei stipulantur, vel promittunt. Hanc diuisionem exposui. Instit. hoc tit.

III. *De stipulatione seruorum.*

OCtaua diuisio similiter à personis contrahentibus ducitur: quia vel homo liber stipulationem contrahit, vel seruus, vt exposui Instit. hoc tit.

LIBER XLVI.

TITVLVS I.

De fideiussoribus, & mandatoribus.

NONA diuisio est in stipulationem principalem, & accessoriam, vt fideiussoris. 1
Nam qui suo nomine obligatur, est reus principalis, qui alieno nomine, dicitur fideiussor. ff. de oblig. & action. l. 1. §. sed aut proprio. videlicèt si principali obligatione manente accedat: alioquin vocatur expromissor, vt docui Instit. h. t. ¶ Nota primò fideiussores ideo accipi, vt magis cautum stipulanti sit: quia contingere potest vt reus principalis non sit soluendo. d. l. 1. §. sed aut proprio. & Instit. h. t. in princ. ¶ Nota secundò cuiuis obligationi fideiussorem posse accedere. l. Græcè. 8. §. 1. & Instit. eod. §. 1. ¶ Nota tertiò fideiussorem posse adhiberi vel pro præsenti, vel pro futura obligatione. l. 6. in fin. & Instit. eod. §. fideiussor & præcedere. non tamen conueniri potest antequam reus principalis sit obligatus l. fideiussor. 57. ¶ Nota quartò fideiuberi vel Latinè, vel Græcè, vel alia quauis lingua. d. l. Græcè. in pr. & C. eod. l. blanditur. 12. & Instit. eod. §. pen. ¶ Nota quintò fideiussorem non posse plus debere, quàm reus principalis debeat, & omninò non posse in deteriorem causam adhiberi d. l. Græcè. §. illud. l. hi qui. 34. & Instit. eod. §. fideiussores. nisi quod ad hoc, vt arctiùs obligetur. nam si reus principalis naturaliter debeat, fideiussor nihilominùs etiam ciuiliter obligatur. d. l. 6. §. vlt. & Instit. eod. §. 1. ¶ Nota sextò obligationem fideiussoris transmitti in heredem. l. 4. §. 1. & C. eod. l. fideiussoris. 24. & Instit. eod. §. fideiussor non tantùm. ¶ Nota septimò, sicut contra fideiussorem datur stipulanti actio ex stipulatione, ita ipsi fideiussori dari varia remedia. I. Habet beneficium ordinis ex Nou. 4. cap. 1. vt ante reum principalem excussum conueniri non possit, sublata electione, quæ iure Codicis creditori dabatur vtrum mallet reum an fideiussorem an vtrosque pro partibus conuenire. C. h. t. l. 3. l. 5. l. si alienam. 19. & ll. seqq. l. reos. 23. II. Si multi sint fideiussores, quamuis singuli teneantur in solidum, tamen habent beneficium (quod vocant) diuisionis, id est, fideiussor in solidum conuentus, potest ex epistola Diui Hadriani exceptionem creditori opponere, qua eum cogat actionem suam diuidere in singulos qui tempore litis contestatæ soluendo sunt, & ita eos pro partibus conuenire. l. inter fideiussores. 26. & ll. seqq. l. inter eos. 51. & C. eod. l. fideiussor. 10. §. 1. & Instit. eod. §. si plures. III. Potest vnus ex multis fideiussoribus à creditore conuentus desiderare, vt ius pignoris vel actiones sibi contra confideiussores cedat. l. fideiusso-

BIU Cujas

deiussorib.17.& C.eod.l.2.l.cùm alter.11.l.mandati.14. non habet enim actionem contra fideiussores, qua partes ab eis repetat. d.§. si plures. nisi actio sibi cessa sit à creditore.l.vt fideiussor.39. IV. Datur fideiussori contra reum principalem actio mandati. d.l.mandati. & Instit.eod.§.si quid autem. videlicèt si eius mandato fideiussit; alioquin aget negotiorum gestorum. s. manda. l.ex mandato. 20.§.1. aut si pro inuito, vel donandi animo fideiussit, nullam habet actionem ad id repetendum quod soluit. D. eod.l.6.§. si passus. & l.si
13 pro te.40.Hæc dicta sint de fideiussoribus. ¶ Quibus similes sunt mandatores: nam & hi pro alio intercedunt, & habent dicta beneficia ordinis, diuisionis, & cedendarum actionum.l.si fideiussores.41.§.1. & C.de constit.pecun.l.vlt.& No.4.cap.1. Sed mandator perspicuè à fideiussore differt. I. Quia creditori fideiussor tenetur ex stipulatione. Instit. h.t.§. vlt. & s. de oblig. & act. l.1.§. verbis. & §. seq. mandator autem tenetur mandati, vt quia mandauit pecuniam Titio credi. II. Quia fideiussor obligationem principalem & præcedere & sequi potest, vt suprà notaui: mandator autem semper præcedit. s.manda. l.si verò non remunerandi.12.§. si post creditam.

II. *De nouationibus & delegationibus.*

1 DEcima diuisio est, quòd omnis stipulatio vel est vtilis, vel inutilis. Tribus autem modis contingit vt stipulatio sit inutilis. I. Si ab initio ipso iure non valeat, vt facta contra ius, vel bonos mores. s.de verb. obligat. l.generaliter. 26. & l. seq. l.si stipulator. 35.§.1.l. stipulatio hoc modo.61.l.si flagitij.123. & in aliis casibus, quorum declaratio pertinet ad tit. C. & Institut. de inutil. stipul. II. Si qua exceptione, putà doli infirmetur. l. si quis cùm aliter. 36. huius autem expositio pertinet ad tractatū de exceptionibus. III. Si ab initio valebat, & postea vel in aliam translata & transfusa, vel omnino & simpliciter sublata est. Transfunditur per nouationem: cuius species est delegatio: nam prior obligatio tollitur, & posterior in eius locum succedit. dicendum igitur hoc loco est de noua-
2 tionibus, & delegationibus. ¶ Nouatio à nouo, & à noua obligatione nomen accepit. est enim prioris debiti in aliam obligationem vel naturalem vel ciuilem transfusio atque translatio: hoc est, cùm ex præcedenti causa ita noua cōstituitur, vt prior perimatur.l.1.in pr.
3 ¶ Nouari autem omnis obligatio potest. d.l.1.§.1.& l. seq. & vel vna obligatio nouatur, vel multæ simul.l.si is cui.26.l.vlt.§.vlt.& Instit.quib.mod.toll.oblig.§. est
4 autem. ¶ Vt nouatio fiat, neque posterior obligatio priori accedat, olim oportebat id agi vt obligatio nouaretur. l.2. hodie ex Iustiniani constitutione opus est id expresse agi. C. eod. l.vlt. & Instit. quib. mod. toll.
5 oblig.§. pen. ¶ Nouatio est duplex: voluntaria, quæ fit per stipulationem; & necessaria, quæ fit iudicio. l. aliam.29. & C. eod. l. 1. & l. 3. id est, cùm debitor est condemnatus. s. quod met. cau. l. item si cum exceptione.14.§. quid si homo. & de pignorib. l. si fundus. 16.§. si pluris. & cùm is, cui mandatæ sunt contra Titium actiones, cuíve Titius delegatus est, eum iudicio conuenit, & litem contestatus est. l. delegare est. 11.§.
6 1.& C. eod.l.3. ¶ Delegatio quoque est duplex: alia crediti siue actionis quæ ceditur seu mandatur. s. de pecul.l.quod debetur. 51. alia est delegatio debiti seu debitoris, de qua hoc tit. agitur. Illa fit solo consensu delegantis & eius cui delegatur: hæc requirit consensum etiam delegati. C. h.t. l.1. & l.6. In hac significatione delegare est vice sua alium reum dare creditori, vel cui creditor iussit. d. l. delegare est. in princ. dare (inquam) quouis consensu, etiā citra stipulationem. l. delegare scriptura. 17. Sed vt per delegationem fiat nouatio, necesse est vt creditor à debitore sibi delegato stipuletur, vel contra eum litem contestetur. C. eod. l.1.& l.3. qua propter dictum est delegationem (subaūdi, perfectam quæ obligationem nouet) fieri vel per stipulationem, vel per litis contestationem. d. l. delegare est. Dictum est de obligatione nouanda: posthæc dicendum de ea prorsus tollenda.

III. *De solutionibus & liberationibus.*

TOllitur obligatio solutione & liberatione. Solu- 1
tionis verbum accipitur duobus modis. I. Refertur ad obligationem. D. de re iudica. l.4. §. pen. seu causam obligationis, vt contractum. l. Stichum. 95.§. vlt. l. cùm ex pluribus. 97. siue ad debitorem, qui sicut per obligationem adstringitur, ita per liberationem dicitur solui. l. si debitor. 91.& Instit. quib. alien. lic. vel non. §. admonendi. vers. qua dispositum. vel absolui. l. si decem. 21. In hac significatione solutio non differt à liberatione. l. solutionis. 54.& j. de diu. reg. iur. l. liberationis. 47. II. Refertur ad rem solutam: tùncque est vna ex causis debitorem liberantibus. In hac autem significatione bifariam differt à liberatione: quia liberatio est effectus solutionis, non tamen adæquatus, cùm aliis quoque modis contingat vt aliquis liberetur, veluti nouatione, rei interitu, &c. In hac posteriori significatione solutio accipitur à Iustiniano in definitione acceptilationis. Instit. quib. mod. toll. oblig. §. 1. vbi acceptilatio definitur imaginaria solutio: cùm non sit imaginaria, sed vera liberatio. ¶ Liberatio- 2
num causæ variæ sunt, ac bifariam diuiduntur. I. Partim naturales sunt, vt debiti solutio, & rei interitus; partim ciuiles, vt acceptilatio, & confusio. l. penult. Ne intelligas naturales, quæ naturali rationi consentaneæ, vel quæ iurisgentium sunt. nam acceptilatio, quæ verbis fit. j. tit. prox. l. an inutilis. 8.§. acceptum. & iuri gentium adscribitur. d.l. an inutilis. §. vltim. secundum naturalem rationem tollit verborum obligationem. j. de diu. reg. iur. l. nihil tam naturale. 35. non tamen naturaliter, sed ciuiliter dicitur verborum obligationem tollere. d.l. pen. Ergo dicere cogimur naturales modos appellari, qui in ipsa re spectantur; reliquos esse ciuiles, hæc enim interpretatio exemplis propositis in d. l. pen. maximè conuenit. II. Aliæ sunt generales, quib. quæcumque obligationes dissoluuntur, vt solutio rei debitæ: aliæ particulares & quarundam obligationum propriæ, vt acceptilatio tollit verborum obligationem dumtaxat. d.l. an inutilis. §. acceptum. & Instit. quib. mod. tollit. oblig. §. 1. & consensu tolluntur solæ obligationes consensu constantes. l. prout quidque. 80 l. Stichum. 95. §. vlt. & j. de diuers. reg iur. d.l. nihil tam naturale. & s. de pact. l. 7. §. adeo. l. ab emptione. 58. & Insti. quib. mod. tollit. oblig. §. vlt.
¶ Iam singulas liberationum causas specialiter consi- 3
deremus. Prima causa est solutio eius quod debetur. l. pro vt quidque. 80. vel si quis volenti creditori aliud pro alio soluat. C. h. t. l. manifesti. 17. & Instit. quib. mod. toll. oblig. in princ. (Nam neque inuito aliud quàm quod debetur, solui potest. C. h. t. l. eum à quo. 16. & s. de reb. cred. l. 2. §. 1. neque si creditorem debitor deceperit, putà æs pro auro soluerit, liberationem ea solutione consequitur. l. si cùm aurum. 50.) vel si quis id soluat, quod est in solutione, licèt non sit in obligatione, l. si quis stipulatus. 57. & s. de re iudic. l. 6. §. 1. Quòd si quis partem debitæ quātitatis vel speciei soluerit, pro parte liberatur: & si is qui genus debet, partem speciei soluens, nulla ex parte liberatur; ne

BIU Cujas

fortè diuersas partes in diuersis speciebus soluere velit.l.stipulatus. 9.§.1. Regulariter tamen creditor non cogitur partem accipere, vt exposui centur. 3. quæst. 70. & in Epito iur. disput. 15. the. 25. ¶ Nota primò solutionem esse verbum homonymum, cùm enim ad obligationem vel causam obligationis refertur,latissimè patet, atque omnem liberationem comprehendit, vt suprà notaui. Cùm autem rei solutæ tribuitur, specialis modus est obligationis dissoluendæ. ¶ Nota secundò creditorem pecuniæ non cogi aliâ formâ quàm debeantur, nummos accipere. vt putà cui debentur aurei solares, non cogitur accipere valorem in moneta,si quid damni inde passurus sit,vt quia pecuniam alio delaturus est,nec ita commodè argentea vel ærea moneta deferri potest, vt aurei. l. 99. quæ malè in Pand. Flor. incipit *debitorem*, legendum enim cum Græcis *creditorem*. ¶ Nota tertiò debitorem liberari, etiamsi alius pro eo soluat. C. h. t.l.5.l. manifesti. 17. Quod non solùm obtinet in debitore, qui solui mandauit.l. quodlibet. 87. quo casu ipse soluisse videtur.l. qui mandat.56.sed etiam si pro debitore ignorante vel inuito alius soluat.l. solutione 23.l.si pro me. 40.l. soluere. 53. & ſ. de negot. gest. l. soluendo. 39. ¶ Nota quartò solui posse ei qui potestatem exigendi habet. C. eod.l. inductum.22. vt ipsi creditori.l.solutam.49. & C. eod. l.4. & eius successori. Item procuratori,tutori curatori. l.vero.12.in princ. l.quòd si fortè.14.§.siue. & §§. seqq. & d.l.solutam. Ipsi autem pupillo sine tutore solui non potest.l.pupillo.15. Ergo solutio non prodest creditori. Instit. quib. alie. lic. vel non. §. admonendi. vers.ideóque nisi per exceptionem doli mali, quatenus pupillus pecuniam saluam habet, aut saltem ex ea locupletior factus est.d.§.nunc admonendi. vers.fin autem. & l. in pupillo. 47. Item ei rectè soluitur, cui creditor solui iussit.l. qui hominem.34.§. qui debitorem. d. l. solutam.49. & C. eod.l.4.l.inuito. 12. Aliàs qui alij quàm creditori soluit, non liberatur. d.l. qui hominem.§. si nullo.& C.eod.l.cùm maritum.11. & d.l.inuito nisi aut creditor ratum habuerit.d.l.vero. §.vlt.d.l. solutam.& C. eod.d.l.cùm maritum.& l.seq. aut is qui exegit, ipsi creditori restituerit. d.l. qui hominē. §.si prædo. in locúmve creditoris successerit. l. pupilli.96.§. vlt. aut iusta ignorantia soluentem excusset, putà quia ignorabat mandatum esse à creditore reuocatum. d.l. vero.§.sed etsi quis.l.si quis seruo.18.l. si seruus. 32. d.l. qui hominem,§.si Titium.l.dispensatori. 51. & ſ. de reb. cred. l. pen. ¶ Nota quintò pro solutione haberi, si debitor iubente creditore rem debitam in conspectu eius ponat.l.pecuniam.79. ¶ Nota sextò ita demum solutionem tenere, & debitorem liberari, si res fiat creditoris accipientis, & quidem irreuocabiliter.Idcirco non liberatur,qui rem alienam soluit. l. si quis aliam. 46. aut alij pigneratam. l. si rem meam. 20. nec is qui rem solutam potest condictione indebiti repetere, eò quòd exceptione perpetua tutus erat.d.l. qui hominem. §.vlt.nec qui sic dedit vt reciperet. l.qui sic.55. Qui verò rem communem soluit, pro parte tantùm liberatur.l.si is cui.94.§.1. Quamuis autem res confestim creditoris non fiat, sed ex interuallo eius fiat, aut fieri intelligatur: tamen liberatio debitori obtingit: veluti si creditor rem sibi solutam vsuceperit. l. is qui alienum.60. aut nummos ita cum suis miscuerit, vt discerni amplius non possint. l. si alieni.78. vel aliter eos consumpserit. l. Cassius. 17. & d.l.si is cui.§.sed etsi. ¶ Nota septimò debitorem soluere debere sua die,vel ante diem.l.quod certa.70.non post.l. solidum. 85. quia qui tardiùs soluit, minus soluere intelligitur.Insti.de action.§.plus autem. ¶ Nota octauò, si quis ex multis causis debeat, in potestate eius esse, in quam causam soluere velit.si causam non expresserit,in potestate creditoris esse in quam causam accipiat: sic tamen, vt, quasi negotium debitoris gerat,in eam causam imputet, quæ grauior & durior est debitori.vide l.1.2.3.4.5.6.7.8. l. ex pluribus.89. l. cùm ex pluribus.97. l. Paulus respondit.101. §.1.l.creditor. 102. §. Valerius. l. cùm ex pluribus. 103. & C. eod.l.1. ¶ Nota nonò per solutionem non solùm liberari debitorem,sed etiam accessiones, vt fideiussores, & pignora.l.in omnibus.43.& l.seq.& chirographum redi inutile.C.eod.l.inductum.22.illúdque posse debitorem condicere. C. eod. l. vlt. ¶ Nota decimò vnam solutionem ad multas causas valere,& multas obligationes tollere, vt duorum reorum, vel rei & fideiussoris.l.cùm quis.38.§. de peculio. l. in numerationib.44. & ſ.de duob.reis.l.3.in fi. & Institut.eod.§.1. ¶ Nota vndecimò, si indebitum soluatur, condici posse,vt expositum fuit ad tit.de condict.indeb. ¶ Secunda causa est rei debitæ oblatio, & creditore nolente accipere, obsignatio & depositio. C.h.t.l. obsignatione.9. & de vsur.l.6. l.acceptam.19. ¶ Tertia causa est compensatio,de qua dictum fuit ad tit.de compensat. ¶ Quarta causa est speciei debitæ interitus,si modò debitor dolo & culpâ careat, non caret autem culpâ, si post eius moram res perierit.l.qui res.98.§.aream.& l.pen.& ſ. de verb.oblig.l.si ex legati.23. Genus verò perire non potest. Sed si quis pecuniam debitam obtulerit creditori; eóque nolente accipere, postea sine culpa debitoris perierit,si quidem ex causa bonæ fidei debebatur, liberatio ipso iure obtingit, si ex causa stricti iuris, doli mali exceptioni locus est.l.qui decem.72.in prin. ¶ Quinta causa est confusio, seu successio. Hic distinguendi sunt varij casus. I. Si creditor correo credendi succedat, neutra obligatio confunditur, sed vtraque manet: sic tamen, vt ex vna tantùm exigi possit. l. si duo.93. in princ. & ſ. de fideiussor.l.5. in fi. II. Si debitor correo debendi succedat, similiter vtraque obligatio permanet,quia vtraque est æquè principalis:nec dici potest, cur altera magis quàm altera extingui debeat. d. l. si duo.§.1. & 2. (vbi negandi aduerbium debet ex §. 2. ad §. 1. transferri) & ſ. de fideiussor. d.l.5. vers.reum. III. Cùm intercessor intercessori, vt fideiussor fideiussori succedit,eadem ratione vtraque obligatio manet. ſ. eod.l.heres.21.§.1. IV. Cùm creditor debitori, vel è contrario debitor creditori, vel tertius vtrique succedit: obligatio extinguitur. l. sicut. 75. l. Stichum.95. §. aditio.l.pen.& C. eod.l.2.& ſ. de fideiussor. d. l. heres. V. Cùm creditor intercessori succedit, vel contrà: rei principalis obligatio manet, accessoria tollitur.ſ.eod.d.l.heres.§.quòd si.& §.vlt.& l. Granius.71. in princ. vers.vlt. VI. Cùm debitor intercessori, vt fideiussori succedit, vel contrà: obligatio principalis manet,accessoria confunditur, nisi plenior sit quàm principalis, eò quod reus naturaliter tantùm, fideiussor ciuiliter teneatur. d. l. si duo.93. §. pen.& §. vlt.l. Stichum.95.§.quod vulgò (vbi cum Cuiacio legendum, *si reus natura dumtaxat fuit obligatus, fideiussor non liberabitur*) & ſ. de fideiussor.l.5. l. heres.21.§.pen. VII. Cùm debitori creditor, & intercessor, putà fideiussor succedunt: pro parte creditoris obligatio tollitur: pro parte fideiussoris tollitur obligatio fideiussoria,& manet principalis hereditaria.ſ.eo.l.debitori.50. VIII. Cùm duo sunt rei debendi & intercessor, ac tertius vni ex reis debendi & creditori successit:eximitur obligationi persona rei defuncti,& alter correus obligatus manet: proinde intercessor ex illius persona liberatur, ex huius persona manet obligatus. ſ. eod.l.

Granius.

19 Granius. 71. in princ. ¶ Nota primò confusionem obligationis fieri modò in totum, modò pro parte hereditaria, prout ex asse vel ex parte succeditur. s. eod. l.
20 Lucius. 24. & d. l. debitori. ¶ Nota secundò plerumque dici in suprà positis casibus obligationem confundi: quandoque tamen tolli potiùs solutionis potestate, quasi successor sibi soluerit, quam vi confusionis. vt in d. l. Stichum. §. aditio. vers. aliquando pro solutione. & s. de fideiussor. d. l. debitori & d. l. Granius. in
21 pr. ¶ Sexta causa est consensus, nã obligationes nudo consensu contractæ, contrario cõsensu tolluntur, vt s.
22 notaui §. 2. memb. 2. ¶ Septima causa est, si creditor aliquid commiserit, propter quod admissum perdat ius crediti. Et I. Si vim debitori fecerit, ac rem debitam, vel aliam ei extorserit. s. quod met. cau. l. sed & partus. 12. §. vlt. & l. seq. & ff. ad leg. Iul. de vi. l. penult. II. Si pigneratione (vulgò repræsalias vocant) vsus sit. Nou. 52. hodierna tamen consuetudo repræsalias ex permissu principis admittit, præterquam aduersus certas personas, vt clericos. ext. de iniur. lib. 6. cap. vn. & studiosos. C. ne fil. pro pat. auth. habita. III. Si liberos debitoris in pignus, aut seruile ministerium, aut conductionem receperit. No. 134. cap. 17.

IV. *De acceptilatione.*

1 OCtaua causa est acceptilatio, quæ definitur imaginaria solutio. Instit. quib. mod. toll. oblig. §. 1. Potest tamen sic perfectiùs definiri, verborum conceptio, qua creditor animo dissoluendæ obligationis interroganti debitori respondet se recepisse quod non repetit. veluti, *quod tibi promisi, habésne acceptum? habeo.* l. an inutilis. 8. in princ. & §. acceptum. & Instit. quib.
2 mod. toll. oblig. d. §. 1. ¶ Nota primò acceptilationem, licèt origine videatur esse iuris ciuilis, tamen vsu esse iurisgentium, ideóq; etiam seruo acceptò ferri posse. nec tantum Latina, sed etiã alia lingua, vt Græca, d. l. an inutilis. §. vlt. ¶ Nota secundò accepto ferri
3 totum, vel partem. l. pars. 9. l. & per iusiurandum. 13. §. illud. l. qui hominem. 17. & Instit. quib. mod. toll. obl. d. §. 1. vers. sicut. Sed si res indiuidua debeatur, vt seruitus acceptilatio in partem facta, nullius momenti
4 est. d. l. & per iusiurandum. §. 1. ¶ Nota tertiò etiam id quod sub conditione vel in diem debetur acceptò ferri posse: sed tum demum effectus acceptilationis, id est, liberatio apparebit, cùm conditio extiterit, vel
5 dies venerit. l. quod in diem. 12. ¶ Nota quartò acceptilationem purè tantum fieri posse, non sub condi-
6 tione, nec in diem. l. 4. & 5. ¶ Nota quintò, per acceptilationem, verborum tantùm obligationem ipso iure tolli. d. l. an inutilis. §. acceptum. & Instit. quib. mod. toll. oblig. d. §. 1. vers. quo genere. reliquas ope exceptionis infirmari, quatenus in acceptilatione quodammodo inest pactum de non petendo. s. de rescind. vẽd. l. 5. in princ. nisi priùs per nouationem in verborum obligationem transfusæ, tum deinde per acceptilationẽ tollatur. Instit. d. §. 1. vers. sed & id. Licet autem omnes obligationes ita nouare & acceptò ferre secũdum formulã à Gallo Aquilio introductã. l. & vno. 18. §. 1. & Instit. quib. mod. tollit. oblig. §. est autẽ. Absoluta est decima stipulationũ diuisio in vtiles & inutiles.

V. *De stipulationibus prætoriis.*

1 VNdecima diuisio est quadripertita. aut enim sunt iudiciales, aut prætoriæ, aut communes, aut conuentionales. s. de verb. oblig. l. 5. in princ. Instit. de diuis. stipulat. vbi hanc diuisionem exposui. Quoniam igitur prætoriæ habent quædam specialia, quæ mox proponam, rectè de his seorsum agitur. Sed prætoriarum appellatione in præsentia continentur, non solùm meræ prætoriæ, sed etiam communes. nam cautio de rato, & rem pupilli saluam fore, quæ dicuntur esse communes. d. l. 5. & Instit. de diuis. stipul. inter prætorias hìc numerantur. l. 1. §. cautionales. ¶ Prætorias 2
igitur stipulationes definire possumus, quas prætor in edicto interponi iubet. ¶ Harum proprietates plures 3
sunt. I. Si quid obscuri insit, prætoris est interpretatio. l. in prætoriis. 9. II. Si quid addi, vel detrahi, vel
mutari oporteat, id ad prætoriam iurisdictionem pertinet. l. 1. §. vlt. III. Sæpius interponuntur, si fine culpa stipulatoris cautum esse desinat. l. 4. veluti si fideiussores initio dati, ad inopiam redacti sint. s. qui satisda. 8
cog. l. si ab arbitro. 10. in fi. aut si fideiussor stipulatori, vel stipulator fideiussori heres extiterit. s. eod. l. de die. 9. §. si fideiussor. IV. Ex stipulatione alternata datur electio stipulanti. s. de oper. noui nunc. l. stipulatio. 21. §. siue autem. V. Ex stipulatione procuratoris datur
domino actio vtilis. l. 3. & l. 5. VI. Si fieri aliquid promissum sit: &, nisi fiat, pœna sit promissa: eo non facto, pœna committitur. l. 6. ¶ Harum prætoriarum 4
stipulationum tres diuisiones in hoc titulo referuntur. I. Aliæ sunt iudiciales, quæ iudicij seruandi causâ interponuntur, ne inane & inutile sit, vt iudicatum solui: aliæ cautionales, non ideo sic appellatæ, quia per eas stipulantibus cauetur (hoc enim omnibus stipulationibus commune est) sed quia nouam actionem producentes, nobis cauent, ideóque actionis instar obtinent, vt damni infecti: aliæ communes quæ ad iudicium præparandum valent, vt stipulatio iudicio sisti. l. 1. in princ. II. Pleræque fideiussores exigunt: nonnullæ fiunt nuda repromissione. d. l. 1. §. stipulationum. cum quatuor paragraphis sequentibus. III. Aut rei restitutionem continent, vt stipulatio ex operis noui nunciatione, qua cauetur vt opus restituatur: aut incertam quantitatem, vt stipulatio de damno infecto; quia incertum est, an & quantum damnum erit. l. 2. ¶ Species specialissimæ multæ sunt: quarum aliquot 5
sunt expositæ suprà suis locis, vt iudicio sisti. s. lib. 2. tit. 6. 8. 9. 11. De vsufructu. s. vsufru. quemadm. caueat. De quasi vsufructu. s. de vsufru. ear. rer. quæ vsu consum. De dupla. s. de euict. & duplæ. stipul. De Falcidia. s. si cui plus quàm per leg. Falcid. De legatis. s. vt legat. seu fideicommiss. seruan. caus. caueat. De operis noui nunciatione. s. de oper. no. nunc. d. l. stipulatio. 21. De damno infecto. s. de dam. inf. l. 7. tres in præsentia tribus sequentibus titulis explanabuntur.

VI. *Rem pupilli vel adolescentis saluam fore.*

PRima est cautio rem pupilli vel adolescentis (sup- 1
ple, vel alius, qui in curatione est) saluam fore. ¶ Nota primò rei appellatione hìc significari, non so- 2
lùm quæ sunt in patrimonio, sed etiam quæ sunt in nominibus. quod enim in tutelæ iudicium venit, hac stipulatione continetur. l. cùm pupillus. 9. ¶ Nota se- 3
cundò hac stipulatione caueri per satisdationem, id est, datis fideiussoribus. l. 4. §. 1. & 2. ¶ Nota tertiò, si 4
pupillus præsens sit & fari possit, licet eius sit ætatis, vt non intelligat quid agat, tamen benignè receptum esse vt stipulari possit. si verò absit vel fari non possit, seruus eius stipulabitur. si seruum non habeat, ei emi debet. si non sit vnde ematur, seruus publicus apud prætorem stipulabitur, aut prætor aliquem dabit, cui caueatur, hicque acquiret pupillo actionem vtilem. l. 2. 3. & 4. in pr. & l. 6. Item filius furiosi rectè stipulatur, & actionem patri acquirit. l. 5. & Instit. de satisdat. tut. in pr. ¶ Nota quartò tutores, vel protutores, & 5
curatores ita cauere. d. l. 4. §. illud. §. hanc stipulatio-

BIU Cujas

nem. & §. vlt. & l. etsi ad species 8. exceptis testamentariis, & datis ex inquisitione, qui non tenentur satisdare. nisi velint contutoribus in administratione præferri. l. 7. & Instit. de satisdat. tutor. in pr. & §. 1. ¶ Nota quintò stipulationem committi, si quod ex tutela vel curatione dari fierive oportet, nõ præstetur. l. pen. ex iis autem causis non posse agi ex hac stipulatione, ex quibus non potest agi tutelæ. d. l. 4. §. generaliter. ¶ Nota sextò hanc stipulationem contra tutores & eorum fideiussores committi tutela finita: contra protutorem, vel curatorem, & fideiussores ab eis datos, committi statim ac quæque res salua esse desiit. l. 1. & d. l. 4. §. hanc stipulationem. ¶ Nota septimò singulos fideiussores teneri in solidum, nec habere beneficium diuisionis ex epistola Diui Hadriani. l. vlt.

VII. *Judicatum solui.*

SEcunda est stipulatio iudicatum solui: quæ, cùm quis alieno nomine iudicium subit, præstari debet, vel à domino litis præsente, vel à procuratore seu defensore absentis. l. si ad defendendum. 10. & ſ. qui satisda. cogan. l. filius familias. 14. & Instit. de satisdat. §. sed hodie. §. si verò reus. ¶ Iudicatum solui stipulatur actor. nec solùm dominus litis, sed etiam procurator, vel tutor, vel curator, cui administratio commissa est. l. 3. §. 1. cum sex paragraphis sequentibus. ¶ Tres habet hæc stipulatio clausulas. I. De re iudicata, id est, solutum iri, quod iudicabitur, si iudex condemnabit. hæc præcipua clausula, à qua vocatur cautio vel stipulatio iudicatum solui. II. De re defendenda. III. De dolo malo, id est, dolum malum abesse abfuturúmque esse. l. 6. l. 9. & l. nouissima. 19. Non tamen potest sæpius committi, sed ex vna tantùm clausula committitur, ita vt clausula iudicatum solui præualeat; & cum committitur sola committatur. hæc ita aduersus vnam personam obtinent: respectu autem diuersarum personarum, plures clausulæ committi possunt. vtputà si duo reo conuento heredes extiterunt, & vnus rem non defendat, alter defendat: ille ob rem non defensam; hic ob rem iudicatã conueniri pro partibus possunt. l. 3. §. in hac. l. cùm quærebatur. 13. in pr. & l. vlt. ¶ Ob rem iudicatam, stipulatio committitur, & dies cedit statim post rem iudicatam, sed dies non venit, id est, exactio differtur ad tempus, quod reo dãnato indulgetur. l. 1. de quo tempore dixi ſ. de re iudic. §. 6. Ob rem autem non defensam, non priùs stipulatio commissa creditur, quàm ex ea lis fuerit contestata. d. l. cùm quærebatur. in pr. ¶ Non committitur hæc stipulatio, sed vires perdit, I. Si iudex mutetur. l. 3. in pr. & l. pen. II. Si mutetur actio. d. l. cùm quærebatur. §. 1. III. Si causa personæ litigantis mutetur: vt putà si absentem sine mandato defendens satisdederit, deinde procurator ab eo datus, vel postquam heres ei extitit, iudicium acceperit. l. 7. IV. Si lis solutione, vel transactione, vel acceptilatione, vel alio simili modo finita sit. l. 2. l. si peritor. 8. d. l. cùm quærebatur. vers. proinde.

VIII. *Ratam rem haberi, & de ratihabitione.*

TErtia est stipulatio de rato. nam qui alieno nomine agit, rem ratam dominum habiturum satisdare debet: vt procurator, tutor, curator; si modò de mandato, vel tutela, vel curatione dubitetur. l. nec satisdatio. 21. & Instit. de satisdat. §. sin autem. Additur etiam huic stipulationi doli clausula. l. si sine. 22. §. si in stipulationem. Interdum hæc stipulatio non est prætoria, nec iudicialis, sed conuentionalis, vt cùm aliquis rem alienam vendit, aut locat. l. interdum. 10. l. vel paciscitur. 11. l. quo enim. 12. in princ. ¶ Rem ratam haberi, nihil aliud est, quàm comprobare adgnoscereque quod à falso procuratore gestum est. d. l. quo enim. §. 1. ¶ Nec tantùm verbis, sed etiam actu ratum habetur: veluti si dominus litem ab alio inchoatam persequatur. l. 5. ¶ Ac potest vel in totum vel ex parte ratum haberi. l. si procurator. 18. ¶ Si ratum non habeatur, ex hac stipulatione agetur in id quod interest. l. si commissa. 13. in princ. l. in stipulatione. 19.

LIBER XLVII.

TITVLVS I.

De priuatis delictis.

SVPERIORES duo libri pertinent ad iudicia ex causa ciuili, id est, ex stipulatione: aliæ causæ ciuiles, quæ antea fuerunt expositæ, non debuerunt hoc loco repeti quapropter iam sequuntur maleficia. Cùm autem alia sint priuata delicta, alia extraordinaria, vel popularia, vel publica crimina: primo loco dicendum de priuatis delictis, quia similiora sunt causis suprà expositis, de quibus similiter sunt iudicia priuata. ¶ Nota primò hanc rubricam rectè inscribi *de priuatis delictis*; quia propriè dicuntur crimina publica, vel extraordinaria; delicta priuata. ſ. de ædil. edi. l. quid sit. 17. §. noxas. & ĵ. ad Turpill. l. 3. & de pœn. l. 1. §. vlt. & Instit. de iniur. §. in summa. hæc etiam maleficia vocantur. ſ. de oblig. & act. l. 1. in princ. l. 4. & Instit. de oblig. §. vlt. ¶ Nota secundò omnem ex delicto obligationem re consistere, id est, ex ipso maleficio nasci. d. l. 4. & Instit. de oblig. quæ ex del. in pr. nam & cùm verbis, vt conuicio; & cùm literis, id est, famoso libello delinquitur: res, id est maleficium spectatur. Sic dicimuus tuum re contrahi, licèt soleant etiã verba interuenire, & interdũ scriptura: quoniam id inspicimus, quod præcipuum est, & ex quo oritur obligatio. ¶ Nota tertiò de his priuatis delictis posse agi vel iudicio ordinario, vel extra ordinem: hoc casu actorem in crimen subscribere, illo nequaquam. l. vlt. & ĵ. tit. prox. l. vltim. & Institut. de iniur. §. in summa. ¶ Nota quarto varias & diuersas actiones ex delictis oriri; quædam enim sunt rei persecutoriæ, vt condictio furtiua, & actio rerum amotarum: aliæ pœnales, vt actio furti: aliæ mixtæ, vt vi bonorum raptorum. ſ. de condict. furt. l. 7. §. 1. & de actio. rer. amot. l. si mulier. 21. §. pen. & Instit. de actio. §. ex maleficiis. & §. seq. ¶ Nota quintò actiones pœnales dari plerumque heredibus, (nam excipitur actio iniuriarum) non tamen contra heredes. l. 1. in princ. & §. 1. & Instit. de perp. & temp. action. §. 1. (idem dicendum de actionibus mixtis. ĵ. vi bono. rapt. l. 2. §. vlt.) actiones autem rei persecutorias dari & heredibus, & contra heredes. d. l. 7. §. 1. d. l. si mulier. §. pen. ¶ Nota sextò, si plura delicta concurrant in eandem rem & eandem personam, veluti si quis seruum alienum furripuerit & occiderit, ex singulis delictis singulas actiones oriri, neque aliam per aliam consumi l. 2. ¶ Nota septimò, si seruus delinquat, dominum teneri actione noxali, de qua dictum fuit ſ. sub titulo de noxal. actionib. ¶ His specialiter expositis, transgrediamur ad species enarrandas: quæ quidem sunt quatuor generales: furtum, rapina, damnum, iniuria. ſ. de oblig. & act. l. 4. & Insti. de oblig. quæ ex del. in princ. Præter quas sunt nonnullæ magis

magis speciales, id est, quæ ad certas tantùm res pertinent, vt ad arbores. ff. arbor. furt. cæs. vel seruos. C. de ser. corrup.

II. *De furtis.*

1 2 DE furto generaliter tractatur hoc titulo, specialiter quinque titulis sequentibus. ¶ Furtum dicitur vel à furuo, id est nigro, quia clam & plerumque noctu fit: vel à fraude: vel à ferendo: vel à Græco verbo, quia Græci fures appellant φῶρας, ἀπὸ τῦ φέρειν. l. 1. in princ. & Instit. de oblig. quæ ex del. §. furtum autem 3 vel. ¶ Ac definitur contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratiâ, quia fur vel ipsam rem lucrari cupit, vt cùm rem alienâ occultat: vel possessionẽ, vt cùm debitor creditori pignus furripit: vel vsum, vt cùm depositarius re deposita vtitur. d. l. 1. §. vlt. & Inst. de obli. quæ 4 ex del. §. 1. ¶ Furtorum duo sunt genera: manifestum, & nec manifestum. Fur manifestus tum demũ est, cùm ἐπ' αὐτοφώρῳ, id est, cum re surrepta deprehenditur, priusquàm eo loci rem pertulerit, quò perferre destinauit ibi mansurus ea die cum furto. Aliàs est fur nec manifestus. l. 2. 3. 4. 5. 6. & Instit. de oblig. quæ ex del. §. 5 furtorum. ¶ Nota primò furtum prohiberi iure naturali, id est, iure gentium. d. l. 1. in fi. & Instit. de obligat. quæ ex del. §. 1. in fi. ideóque naturâ probrosum 6 esse. ff. de verb. signif. l. probrum. 42. ¶ Nota secundò, vt furtum committatur, multa requiri. I. Requiritur, vt sit res corporalis. l. si is qui. 75. mobilis. ff. de vsurpat. & vsucap. l. quam rem. 38. & Institut. eod. §. quod autem. II. Vt res illa dominum habeat, & vt sit aliquis qui eam possideat, vel saltem in possessione sit, cui furtum fieri dicatur. Quapropter rei hereditariæ, antequam heres adeat, & possessionem accipiat, furtum non fit: nisi ei surripiatur, cui defunctus (exempli causa) commodauit, aut pignerauit, aut custodiendam dedit. l. hereditariæ. 68. & ff. si is qui testam. lib. est. iuss. l. 1. §. Scæuola. & expil. hered. l. vlt. III. Vt ea res à fure contrectetur. Nec refert, vtrum eam amoueat, an non. sola verò voluntas non facit furem. l. 1. §. sic is & ff. de acquir. possess. l. 3. §. fi rem. IV. Vt is qui furtum facere dicitur, animum furandi habeat. furtum enim sine affectu furandi non committitur. vnde qui inuito domino rem contrectat, si putet eum consentire, furtum non facit. l. inter. 46. §. rectè & ff. de vsurpat. & vsucap. l. furtum. 37. & Instit. eod. §. sed tamen & de oblig. quæ ex deli. §. placuit. V. Vt domino inuito res contrectetur. d. l. inter. §. pen. & l. qui vas. 48. §. qui ex voluntate. & Institut. de oblig. quæ ex del. §. sed etsi. 7 ¶ Nota tertiò eum non desinere esse furem, qui pœnitentiâ ductus, rem surreptam restituit l. qui ea men- 8 te. 65. ¶ Nota quartò furẽ teneri pluribus actionibus. I. Actione ad exhibendum. II. Rei vindicatione, si rem possideat. III. Condictione furtiua, quæ est rei persecutoria. IV. Actione furti pœnali in duplum, si sit fur nec manifestus, vel in quadruplum, si sit fur manifestus. C. h. t. l. de his. 11. & l. ancillæ. 12. & ff. de condict. furti. l. 7. §. 1. & Instit. de oblig. quæ ex del. §. pœna. & §. vlt. & de action. §. sic itaque. §. in duplum. §. quadrupli & §§. seqq. V. Actione extraordinaria, quæ hodie maximè est in vsu. l. vltim. Pœna autem laquei, quam Fridericus iis irrogat, qui quinque solidos valens, aut plus furati fuerint. 2. Feud. tit. 27. de pace tenen. & eius violat. §. si quis quinque. non debet generaliter accipi, sed tantùm in casu tractæ pacis. VI. Qui filiumfamiliàs surripuit, non solùm tenetur furti. l. eum qui. 14. §. si filiusfamiliàs. & Instit. de obligat. quæ ex del. §. interdum. sed etiam lege Fabia de plagiariis. C. ad leg. Fab. de plagiar. l. vlt. non conditione furtiua. l. mater. 38. §. 1. ¶ Nota quintò, si rei contrectatione non 9 nascatur furti actio, postea noua contrectatione posse eam nasci. C. de noxal. action. l. 1. sed ex quo semel aliquis furti actionem habet, assidua contrectatione furis non magis actio nascitur, ne quidem in id quo postea res creuit. l. ei qui 9. in princ. ¶ Nota sextò actionem 10 furti esse verbum homonymum, nam propriè sumpta distinguitur à condictione furtiua. ff. de condict. furt. l. 6. & 7. & C. eod. l. 1. & Insti. de oblig. quæ ex del. §. vlt. latè autem accepta, etiam condictioni furtiuæ attribuitur. d. l. ei qui furti. & ff. de in lit. iur. l. cùm furti. 9. ¶ Nota septimò actionem furti differre à condictione 11 furtiua. I. Quia actio furti est pœnalis, condictio furtiua est rei persecutoria. D. de condict. furt. l. 7. §. 1. & Instit. de oblig. quæ ex del. §. vlt. II. Quia actio furti datur ei cuius interest. l. cuius. 10. & Instit. d. tit. §. furti autem. dummodò ex honesta causa interfit. l. tum is. 11. condictio furtiua saltem directa datur soli domino. ff. de condict. furt. l. 1. III. Quia is qui ope & consilio furem iuuit, furti tenetur, non condictione furtiua. ff. de condict. furt. l. 6. & Instit. de oblig. quæ ex del. §. interdum. IV. Quia actio furtiua est famosa. ff. de his qui notant. in fam. l. 1. vers. qui furti. & l. 6. & Instit. de pœn. teme. litigant. §. ex quibusdam. condictio verò furtiua non infamat. ff. de oblig. & act. l. cessat. 36. Hæc generaliter dicta sint de furtis: deinceps autem specialiter dicetur de aliqua re surrepta, & de quibusdam personis surripientibus.

III. *De tigno iuncto.*

QVod ad rem attinet, specialiter agitur de tigno 1 furtiuo alienis ædibus, aut alienæ vineæ iuncto. l. 1. in pr. l. 2. & ff. de donat. int. vir. & vxor. l. de eo. 63. ¶ Tigni appellatione continetur omnis materia, ex 2 qua ædificium constat, vel quæ est vineæ necessaria. l. 1. §. 1. & ff. ad exhib. l. 7. in pr. & de acquir. rer. domin. l. 7. §. cùm in suo. & ff. de verb. signif. l. tigni. 62. & Instit. de rer. diuis. §. cùm in suo. ¶ Tignum, quandiu 3 iunctum est, nec vindicari lex xij. tabularum permittit, ne ædificia rescindantur, néue cultura vinearum turbetur: nec eius nomine agi ad exhibendum, nisi aduersus eum, qui mala fide iunxit: sed in eum qui iunxit, actionem dat in duplum, quæ vocatur de tigno iuncto. l. 1. in pr. & §. vlt. & ff. de rei vindic. l. in rem. 23. §. pen. & ad exhibendum. l. 6. & de acquir. rer. domi. d. l. 7. §. cùm in suo. & Instit. de rer. diuis. d. §. cùm in suo. Soluto autem ædificio, vel separato tigno à vinea, dominus potest illud vindicare, & ad exhibendum agere, nisi iam sit duplum consecutus. d. l. 7. §. cum in suo. & Instit. de rer. diuis. d. §. cùm in suo.

IV. *Si is qui testamento liber esse iussus erit, post mortem domini ante hereditatem surripuisse quid dicatur.*

QVod ad personas spectat, primò consideratur fa- 1 ctum serui, qui rem hereditariam dolo malo aut lata culpa surripuit, vel corrupit, sciens se non posse coërceri vt seruum, quia libertas sibi in domini testamento relicta est: nec posse furti conueniri, quia contra dominum peccauit, id est, contra hereditatem, quæ personam domini defuncti repræsentat. In hunc igitur prætor, naturalem æquitatem secutus, intra annum dat vtilem actionem in duplum. l. 1. in prin. §. 1. & 2.

V. *Furti aduersus nautas, caupones, stabularios.*

SEcundò consideratur furtum factum in naui, cau- 1 pona, vel stabulo: vnde actio datur in nautas, cau-

pones, ſtabularios: de qua dixi ꝛ. ad tit. naut. caup. ſtab.

VI. *Si familia furtum feciſſe dicetur.*

1 TErtiò conſideratur furtum à familia, id eſt, à ſeruis factum extraneo. Hîc prætor domino innocenti ſuccurrit, ne cogatur toties litis æſtimationem offerre, quot ſerui deliquerunt; ſed vel omnes noxæ dedere, vel tantum ſoluere poſſit, quantum ſolueret,
2 ſi vnus furtum commiſiſſet. l. 1. in prin. & §. 1. ¶ Hoc edictum, quod de furto loquitur, ad damnum à familia datum producitur. d. l. 1. §. pen. & ꝛ. ad leg. Aquil. l. illud. 32. in pr. non ad iniuriam à familia factam. ꝛ. de iuriſd. l. ſi familia. 9. vide Cent. 1. q. 56. Hactenus de furto.

VII. *Arborum furtim Cæſarum.*

1 SEcundum delictum eſt, cùm arbores furtim cæſæ
2 ſunt. ¶ Arboris appellatione continentur etiam vites, ederæ, arundines, ſalicta. Sed ab hac appellatione excluduntur, quæ radices non habent. l. 3. & quæ
3 ſunt adeo tenera, vt herbarum loco ſint. l. 4. ¶ Cædere dicitur, non ſolùm qui ſuccidit, ſed etiam qui cædendi causâ ferit. cingere, qui deglabrat, id eſt, librum ſeu corticem detrahit. ſubſecare, qui ſerra ſecat. l. 5. in
4 pr. ¶ Furtim cædere dicitur, qui clam cædit. l. facienda. 8. §. 1. id eſt, ignorante domino, celandiq; eius animo facit. l. 7. in pr. Secus eſt, ſi per vim ſciente domino
5 cædat. d. l. faciẽda. §. vlt. ¶ Actio arborum furtim cæſarum lege xij. tabularum introducta eſt. l. 1. in pr. ob eandem cauſam, ob quam actio legis Aquiliæ. d. l. 5.
6 §. 1. quoniam vtraque eſt de damno dato. ¶ Hæc actio non datur fructuario. d. l. 5. §. pen. ſed domino qui dominium directum ſiue vtile habet. d. l. 5. §. vlt. licèt fundum vendiderit. l. vlt. Item datur heredib. ceteriſque ſucceſſoribus. d. l. 7. §. pen. Si plures domini ſint, vniuerſis vna tantum actio datur, & ſemel tantùm pœna
7 præſtatur. l. 6. §. 1. ¶ Competit aduerſus eum, qui arborem ſuccidit, vel deglabrauit, vel ſubſecuit, vel cinxit, vel aliquid eorum fieri imperauit. d. l. 5. in pr. d. l. 7. §. ſi quis radicitus. & §. ſcire autem. Nec refert, vtrum tota arbor, an pars cæſa ſit. d. l. 7. §. etiamſi. Sed is non tenetur hac actione, qui arborem radicitus euulſit, aut extirpauit. d. §. ſi quis radicitus. nec qui per vim ſciente domino fecit. d. l. facienda. §. vlt. nec heres delinquentis. d. l. 7. §. pen. ſi plures deliquerint, cum ſingulis in ſolidum agetur l. 6. in pr. Si ſeruus inſcio domino fecerit, noxale iudicium erit. d. l. 7. §. quòd ſi ſeruo.
8 ¶ Hæc actio eſt in duplum. d. l. 7. §. fi. facta æſtimatione eius quod domini intereſt, non lædi, de qua deducitur pretium ipſorum corporum læſorum quæ apud
9 dominum manent. d. l. facienda. ¶ Eſt autem actio
10 pœnalis, & perpetua d. l. 7. §. pen. ¶ Concurrit I. Cùm actione legis Aquiliæ, ita vt in poſteriori actione deducatur, quod actor priori iudicio conſecutus eſt, & in reliquum condemnatio fiat. l. 1. II. Cum iudicio criminali. l. 2. III. Cum actione furti, & condictione furtiua, & actione ad exhibendum, (adde, & rei vindicatione) ſi cæciderit, & lucri faciendi causâ contrectauerit. d. l. facienda. §. igitur. Sed ſi tantùm cæciderit, non lucri causâ contrectauerit, dumtaxat arborum furtim cæſarum tenetur. d. l. 7. §. 1. IV. Cum actione locati, ſi colonus ſit, qui arbores cæcidit, ita vt alterutra actione dominus contentus eſſe debeat. l. ſi colonus. 9. V. Cum interdicto quod vi aut clam. l. pen.

VIII. *Vi bonorum raptorum, & de turba.*

1 TErtium delictum eſt rapina, quæ eſt violẽta ablatio rei corporalis mobilis. Dixi *violenta*, vt diſtinguerem rapinam à ſimplici furto, quod clam fit. ꝛ. de furt. l. 1. in pr. & Inſtit. de oblig. quæ ex del. §. furtum autem vel. Dixi *ablatio*: quoniam ſi quis non auferat, ſed alium ſibi dare compellat, non tenetur actione vi bonorum raptorum, ſed quod metus cauſa. Dixi *rei*: vt ſciungerem raptum, qui refertur ad perſonas, & eſt crimen publicum. C. de raptu virg. l. vn. Dixi *corporalis*: quia vt furtum, ita rapina non cadit in res incorporales. *Dixi mobilis*, ad differentiam inuaſionis rerum immobilium. Inſtitut. h. t. §. 1. verſ. quod non ſolùm.
¶ Quartum delictum eſt damnum dolo malo datum. 2
Damnum autem hoc loco dicimus corporis deteriorationem, vt interemptionem. Hinc diſtinguitur à corruptione ſerui, quæ refertur ad animum, & à furto, rapina, iniuria, quibus res non corrumpitur. Dixi *damnum dolo malo datum*: quia cùm damnum culpâ datur, non eſt verum delictum, ſed quaſi delictum, licet lex Aquilia tam dolum quam culpam coërceat. Inſtit. de le. Aquil. §. ac ne is. ¶ De damno & rapina tria edicta 3
à prætore propoſita ſunt, quorum duo ſub hoc titulo continentur, tertium in ſeq. tit. reiicitur. ¶ Primum 4
edictum eſt de damno dato hominibus coactis, & de bonis vi raptis. l. 2. in princ. ¶ Nota primò huic edi- 5
cto locum eſſe, etiamſi vnus homo coactus ſit. d. l. 2. §. ſed etſi vnus. ¶ Nota ſecundò eum quoque teneri, 6
qui ſolus fecit, dummodò vi fecerit. cum autem hominibus coactis damnum datum, aut aliquid raptum eſt, dolus malus etiam ſine vi huic edicto locum facit. d. l. 2. §. damni. ¶ Nota tertiò teneri hoc edicto 7
eum qui homines coëgit, licèt alius damnum dederit, nec rapuerit: & eum qui damnum dedit, vel rapuit, licèt alius homines coëgerit: & eum qui inter coactos fuit, ſi damnum dedit, aut rapuit. d. l. 2. §. ſiue. & §. ſi quis. ¶ Nota quartò actionem ex hoc edicto compe- 8
tentem vocari vi bonorum raptorum, quamuis non tantùm bonorum raptorum, ſed etiam damni dati mentio in edicto fiat. d. l. 2. §. hæc actio vulgò. ¶ Nota 9
quintò dari actionem vi bonorum raptorum, etiamſi vna res rapta ſit. d. l. 2. §. vel cuius & Inſtit. eod. verſ. quæ actio. ¶ Nota ſextò hanc actionem ceſſare, ſi do- 10
lus abſit, & eſſe ad alia remedia confugiendum. d. l. 2. §. hac actione. & Inſtit. eod. §. 1. ¶ Nota ſeptimo hanc 11
actionem dari etiam non domino: quia non requiritur vt res ſit in bonis actoris, ſed ſufficit eſſe ex bonis & generaliter ex quibus cauſis furti actio alicui competit in re clam facta, ex hiſdem hæc actio ei competit propter rapinam. d. l. 2. §. in hac actione. & §. ſeq. & Inſtitut. eod. §. vlt. ¶ Nota octauo hanc actionem 12
intra annum vtilem eſſe in quadruplum, ita vt verum pretium quadrupletur, non id quod intereſt. d. l. 2. §. in hac actione. in quadruplo autem res ineſt, & pœna tripli eſt. Iuſtitut. h. t. in princ. & de act. §. vi autem. poſt annum eſt in ſimplum. l. 4. §. ſed & hoc. Inſtit. h. t. in pr.
¶ Nota nonò eum qui rapuit, non vitare pœnam tri- 13
pli, ſi ante iudicium rem reſtituat. l. pen. ¶ Secundum 14
edictum eſt de damno in turba dato: vnde oritur actio in factum, quæ intra annum vtilẽ eſt in duplum quanti ea res eſt, (quod ad verum pretium refertur: & præſentis temporis fit æſtimatio) poſt annum eſt in ſimplum. l. 4. in pr. §. ſed & hoc. §. idcirco. & §. hoc autem.
¶ Nota primò turbam à rixa differre numero. nam tur- 15
ba eſt multitudinis hominum turbatio & coëtus, itaque decem aut quindecim homines turbam faciunt: duorum vel trium vel quatuor rixa eſt, non turba. d. l. 4. §. turbam. ¶ Nota ſecundò hoc edicto teneri eum, 16
qui in turba damnum dedit, vel dolo malo fecit vt in turba damnum daretur. d. l. 4. §. hoc autem. §. hoc edicto. §. ſi quis. & §. ſed etſi. Si verò extra turbam damnum datum ſit, hæc actio ceſſat. d. l. 4. §. doceréque.

¶ Nota

BIU Cujas

17 ¶ Nota tertiò tam ex hoc quàm ex superiori edicto actionem dari heredibus, ceteríſque ſucceſſoribus, non in heredes, alióſque ſucceſſores, niſi in id quod ad eos peruenit. d. l. 2. §. vltim. & d. l. 4. §. vltim.
18 ¶ Nota quartò ex vtroque edicto eſſe actionem noxalem ob factum ſerui. d.l.2.in princ. d.l.4.§.pen. vbi dicitur dari actio in ſeruum, id eſt, in dominum nomine ſerui, vt & in l.1.in princ. ĩ. tit. prox.

IX. *De incendio, ruina, naufragio.*

1 TErtium edictum eſt de rapina, & damno. Si quis enim ex incendio, ruina, naufragio, rate, naue expugnata rapuiſſe, vel dolo malo recepiſſe, damníve quid in his rebus dediſſe dicetur: in eum intra annum vtilem in quadruplum, poſt annum in ſimplum actionem prætor dat. In ſeruum quoque aut familiam iudicium dat: id eſt, noxale iudicium in dominum ob factum ſerui. l. 1. in princ. Eſt enim actio ciuilis ſeu forenſis, licèt etiã criminaliter agi poſſit d.l.1.§.1. ¶ Nota primò ex incendio rapi, quod propter incendium rapitur vel ex ipſo igne, vel ex loco vbi incendium fit, vel ex adiacentibus prædiis. d.l.1.§.ex incendio. Similiter ex ruina rapi dicitur, ſiue quid ex his quæ ruerunt, ſiue ex adiacentibus aliquis rapiat, dummodò ruinæ tempore rapiat. d.l.1.§.item ruinæ. Quòd ſi incendium vel ruina non fuit, ſed tantùm eius ſuſpicio: hoc edictum ceſſat. d.l.1.§.ſi ſuſpicio. Similiter etiam ex naufragio rapi dicitur, ſi tempore & loco naufragij quis rapiat. qui autem rem in litore iacentem, poſtquam naufragium factum eſt, abſtulit: is furti, non ex hoc edicto tenetur. d.l.1.§.vlt. l.2. & l.3. in princ. Eodem modo explicandum eſt, quod dicitur de naufragio, &
3 rate, vel naui expugnata. l.5. ¶ Nota ſecundò non ſolùm eum teneri qui vi rapuit, ſed etiam eum qui ſine vi abſtulit, vel amouit, vel damnum dedit, vel recepit. l.3. §. non ſolum. & §. ſeq. dummodò fecerit dolo
4 malo. d.l.3.§. non tantùm. & §. quod autem. ¶ Nota tertiò nauem expugnari, cùm ſpoliatur, aut mergitur, aut diſſoluitur, aut pertunditur, aut fures eius præciduntur, aut vela conſcinduntur, aut anchoræ inuo-
5 lantur. l. 6. ¶ Nota quartò hanc actionem dari heredibus, non in heredes, niſi in quantum ad eos peruenit. l.4.§.vlt.

X. *De iniurijs, & famoſis libellis.*

1 QVintum delictum eſt iniuria, id eſt, contumelia. Iniuria ex eo quòd non iure fit, contumelia à contemnendo dicta eſt. l.1.in pr. Aliter igitur hîc accipitur iniuria, quàm in lege Aquilia, quæ eſt de damno iniuria, id eſt culpâ dato: aut cùm dicimus iudicem alicui iniuriam feciſſe, id eſt iniquè iudicaſſe. l.1. in pr. & Inſtit. eod. in princ. nemo enim ſanæ mentis dicet, iudicem, qui iniquâ ſententiâ alicui iniuriam fecit, in-
2 iuriarum ei teneri. ¶ Iniuria, id eſt contumelia, multiplex eſt. I. Aut fit re, vt verberibus: aut verbis, vt conuicio: aut ſcriptura, vt famoſo libello. l.1. §. 1. & Inſtit. eod. §.1. II. Aut in corpus infertur, vt cùm quis pulſatur: aut ad dignitatem pertinet, vt cùm comes matronæ abducitur: aut ad infamiam ſpectat, vt cùm pudicitia attentatur. d.l.1.§.omnémque, id eſt, cùm id agitur, vt ex pudico impudicus fiat. l. attentari. 10. III. Aut eſt leuis: aut grauis, ſiue atrox, ſiue maior. l.7. §.pen. l.ſed ſi vnius. 17.§.quædam. Vtrum autem leuis ſit, an atrox, ex circunſtantiis dignoſcitur, id eſt, ex perſonis, loco, tempore, facto. d.l.7.§.vlt. & ll.ſeqq. d.l.
3 ſed ſi vnus. §.quædam. & Inſtit. eod. §. atrox. ¶ Tam per ſe quàm alium iniuriam quis facere. l.non ſolùm. 11. in pr. l.item apud. 15. §. feciſſe. & Inſtit. eod. §.1. & §. penult. vel pati poteſt. d. l.1.§. item. & §§. ſeqq. vſque ad finem legis. d.l.item apud. §. ſponſum. l.eum qui. 18. §.1.§.ſi nupta. §.vlt. & Inſtit. eod. §. patitur. ¶ Facere 4
iniuriam nemo poteſt, niſi ſciat ſe iniuriam facere: non eſt autem opus, vt ſciat cui faciat, ſed pati iniuriam poteſt, etiam qui non ſentit, vt furioſus. l.3. & ĩ. ad leg. Aquil. l.5. §. vlt. & loca. l. item quæritur. 13. §. item Iulianus. ¶ Iniuriarum actio datur ei, qui per 5
ſe, vel per alium iniuriam paſſus eſt. d.l.1.§.pen. & vlt. d.l.item apud. §. ſponſum. d.l.eum qui. §.1.2. & vlt. aduerſus eum, qui per ſe, vel per alium iniuriam fecit. l.non ſolum. 11. l. item apud. 15. §. ait prætor qui aduerſus. & Inſtitut. eod. §. penult. Sed neque heredibus, neque aduerſus heredes, neque poſt annum datur. l. iniuriarum. 13. in princ. d.l.item apud. §. iniuriarum & C. eod. l.5. ¶ Hæc actio eſt prætoria, priuata, 6
qua prætor permittit ipſum, qui iniuriam paſſus eſt, eam æſtimare; vt iudex vel tanti, vel minoris reum condemnet, prout ſibi iuſtius videbitur. Inſtit. eod. §. pœna. ¶ Concurrit autem cum iudicio extraordina- 7
rio. Inſtit. eod. §. in ſumma. & certis caſib. cum iudicio publico; veluti ſi quis pulſatus, aut verberatus, aut domus eius vi introita ſit, necnon de famoſis libellis. l.5. & 6. Sed quia hæc omnia iudicia ſunt ad vindictam, vnum tantùm mouere licet. d.l.6. in fin. Hactenus de priuatis delictis: ſequuntur crimina extraordinaria.

XI. *De extraordinarijs criminibus.*

EXtraordinaria crimina ſunt, de quibus extra ordi- 1
nem agitur, & extraordinaria pœna arbitrio iudicis irrogatur. Actor autem in his, vt in criminibus publicis, in crimen ſubſcribere debet. ĩ. de priuat. del. l. vlt. & de furt. l. vlt. ne inulta maneat eius cælumnia, ſi temerè agat. ĩ. de accuſ. l. 7. in princ. ¶ Sunt autem 2
multa eiuſmodi crimina. Nam præterquàm quòd de priuatis quoque delictis ſuprà expoſitis. l.1. §.1. & 2.l. 5. & ĩ. de priuat. del. d.l.vlt. & ĩ. de furt. d.l.vlt. & ĩ. tit. prox. l. vlt. & de publicis criminibus extra ordinem agi poteſt. l.6. ſunt & alia crimina extraordinaria, quæ deinceps recenſebo. Primum eſt ſollicitatio alienarum nuptiarum. l.1.in pr. Secundum eſt coitus illicitus. l.2. Tertium eſt partus abactus. l.4. Quartum eſt crimen ſaccularij, id eſt, eius qui in ſacculo vetitas artes exercens, partem ſubducit, partem ſubtrahit. l.7. Quintum eſt crimen directarij, qui in aliena cœnacula ſe dirigit furandi animo. d.l.7. Sextum eſt inſtrumentorum proditio. l. ſunt præterea. 8. Septimum eſt ſcopetiſmus, id eſt, lapidum poſitio, qua indicatur, eum, qui agrum coluerit, inſidiis periturũ eorũ, qui ſcopulos ſeu lapides poſuerũt. l. ſunt quædam. 9. Octauum eſt aggerum ruptio, vel diſſolutio. l.pen. Nonum eſt ſerpentum circumlatio, quorum metu alicui damnum datum. l. vlt.

XII. *De ſepulchro violato.*

DEcimum eſt violatio ſepulchri, de quo eſt etiam actio priuata in id quod intereſt, & popularis in centum aureos ob ſepulchrũ inhaoitatum, ædificiúmve non ſepulchri cauſâ factum in ducentos aureos, vtraque in eum qui dolo malo fecit. l.3.in pr.§.1. & §. vlt. l. de ſepulchro. 9. & inſuper publica accuſatio ex lege Iulia de vi l. ſepulchri. 8.

XIII. *De concuſſione.*

VNdecimum eſt concuſſio, id eſt, cùm quis pote- 1
ſtate, quam habet, aut habere videtur, ad terrorem alicui, pecuniæ extorquendæ cauſâ, iniiciendum abutitur. ¶ Concurrit hoc iudicium extraordinarium 2
cum actione priuata in factum de calumniatoribus, & cum condictione ob turpem cauſam. ĩ. de calumn. l.5. §.1. &

§.1.& l.pen.& C.de condict.ob turpem cauſ.l.3.& interdum cum iudicio publico legis Corneliæ de falſis. l.2.& j.de falſ.l.1.§.1.

XIV. *De abigeis.*

1 DVodecimum eſt abigeatus. Abigei dicuntur, qui gregem ouium, aut pecorum, (id eſt, ſaltem decem oues, aut quatuor porcos) vel equum de grege, vel bouem de armento abducunt.l.1.§.1.& 2.l.3.in pr.
2 ¶ Non ſolũ extra ordinem accuſari poſſunt, ſed etiam priuata actione quaſi fures.C.eod.l.vn.

XV. *De præuaricatione.*

TErtium decimum eſt præuaricatio. Præuaricari dicitur accuſator, qui cum eo colludit, quem crimine publico accuſat, & eum adiuuat proditâ cauſâ ſuâ. Aduocatus autem non propriè dicitur præuaricari.l.1.& ſ.de his qui notant.infam.l.4.§.pen.

XVI. *De receptatoribus.*

QVartum decimum eſt latronum occultatio, vel lucri causâ dimiſſio.l.1.

XVII. *De furibus balnearijs.*

QVintum decimum eſt furtum balnearium. Fures balnearij ſunt, qui veſtimenta eorum, qui in balneis lauantur, furripiunt. aduerſus quos adhibebantur capſarij,qui veſtimenta cuſtodirent.ſ.de offic. præf.vig.l.3.§.vlt.

XVIII. *De effractoribus & expilatorib.*

1 SExtum decimum eſt effractura carceris, vel domus, ſiue oſtij, aut parietis. l. 1. in pr.§. vlt.& l.2.
2 ¶ Septimum decimum eſt expilatio. Expilatores ſunt, qui homines ſpoliant, ex eo dicti,quòd ne pilum quidem (vt ait Aſcon. verr. 2.) in eorum corpore relin-
3 quunt. ¶ Poſſunt ergo etiam furti conueniri, vt & fures balnearij, & alij ſimiles.

XIX. *Expilatæ hereditatis.*

1 SEd decimum octauum crimen expilatæ hereditatis.l. 1.non admittit actionem furti, quia rei hereditariæ furtũ non fit.vt notaui.ſ. de furt.§. 6.memb.2.
2 ¶ Nota coniugem non magis expilatæ hereditatis quàm furti conueniri poſſe.l.pen.

XX. *Stellionatus.*

1 DEcimum nonum eſt ſtellionatus.l.1.2.3.§.pœna. quod à ſtellione lacerti genere verſutiſſimo & maximè fraudulento. Plin. lib.30. cap.3.dictum eſt.& alius criminis titulo deficiente locum habet itaque proportioni reſpondet actioni de dolo.quod enim eſt in priuatis iudiciis actio de dolo,hoc in criminibus eſt
2 ſtellionatus perſecutio. d. l. 3. §.1. ¶ Concurrit cum forenſi actione, veluti cum actione ex vendito,ſi quis rem alicui obligatam, alij callidè vendiderit eâ obligatione diſſimulata.nam & crimine ſtellionatus accuſari. d. l.3. §.1.& ex empto conueniri poteſt. ſ.de act. emp. l. ſeruus. 30.§.1.Similiter actio pigneratitia cum ſtellionatu concurrere poteſt, l.vltim. & ſ. de pigner. actio.l.tutor.16.§.1.& l.ſi quis in pignore.36.§.1.

XXI. *De termino moto.*

1 VIgeſimum crimen eſt terminus motus,id eſt,cum quis terminum finium cauſâ poſitum auulſit.l.1. vel propulit. l. 2. vel eiecit, ſeu quauis ratione loco mouit.l.3.in princ. vel finiũ obſeruandorum cauſa faciem locorum conuertit,putà ex ſylua nouale fecit.d.
2 l.3.§. vltim. ¶ Præter iudicium exordinarium, datur. I.Actio popularis in quinquaginta aureos ex lege Iulia agratia, ſi terminus vltra ſuum gradum motus ſit.d. l.3.in pr.id eſt, vltra quinque pedes lege Mamilia definitos. II. Iudicium capitale in ſeruum qui inſcio domino fecit,nec ab eo dependitur.d.l.3.§.1.

XII. *De collegijs & corporibus.*

VIgeſimum primum eſt collegij ſeu corporis illiciti coitio l.1.in pr. 1
¶ Nota primò omnia collegia ſeu corpora eſſe prohibita, niſi nominatim ſint 2
permiſſa. l. 3.§. 1. permitti autem in paucis caſibus.ſ. quod cuiuſque vniuerſ. nom.l.1.in princ. ¶ Nota ſe- 3
cundò illicita collegia diſſolui.d.l.3.in pr. ¶ Nota ter- 4
tiò neminem in duobus collegiis eſſe poſſe. l. 1. §. vlt.
¶ Nota quartò ſodales dici,qui ſunt eiuſdem collegij. 5
qui quidem poſſunt certis pactionibus cõuenire, dum ne contra leges ſint. l.vltim. Item ad exemplum reipublicæ poſſunt habere res communes, arcam communem,& actorem ſiue ſyndicum, per quem communia negotia expediantur.ſ.quod cuiuſque vniuerſ.nom.l. 1.§.1. Expoſita ſunt iudicia de delictis priuatis & criminibus extraordinariis.

XXIII. *De popularibus actionibus.*

SEquuntur iudicia popularia à prætore conſtituta. 1
l.4. & l. vlt. vt ius populi tueantur.l.1. ¶ Horum 2
iudiciorum proprietates hæ ſunt. I.Cuiuis è populo permittuntur, dummodò integra perſona ſit, cui per edictum poſtulare liceat. d. l. 4. Sed ſi multi agere velint: is cuius intereſt præfertur.l. 3.§.1. aut magis idoneus à prætore eligitur. l. 2. Ceterùm mulieri aut pupillo non dantur niſi res ad eos pertineat. l. 6. II. Ad fideicommiſſarium non tranſeunt. l. pen. in princ.ſed neque in heredem neque vltra annum dantur.l. vltim. III. Locupletiorem aliquem non faciunt, eò quod ipſi competant.d. l. pen. §.1. IV. Reus poteſt dare procuratorem, non actor.l.5. niſi is agat ad quem res pertinet.ſ.de procurat.l.licet.42.in prin. l.non cogendum. 45.§.1. V. Pro his actionib.non datur fideiuſſor. ſ.de fideiuſſorib.l.ſi quis pro eo. 56.§.vlt. VI. De his cauſis non poteſt in arbitrum compromitti. ſ.de rec. qui arbitr. l. non diſtingurmus. 32.§. de liberali. ¶ Pœna 3
quæ his iudiciis irrogatur, ita ad fiſcum pertinet, vt pars loco præmij concedatur accuſatori. ſ.de ſenatuſconſ. Silan.l.lege Cornelia. 25. §. vlt. ¶ Popularium 4
iudiciorum ſpecies plures ſunt. I. De albo corrupto. ſ.de iuriſdict.l.7. in princ. II. Actio in factum de deiectis vel effuſis ſi liber homo occiſus,vel ei nocitum ſit. ſ. de his qui effud. vel deiec.l. 5. §. hæc autem. III. Actio in factum de ſuſpenſis vel poſitis, à quibus periculũ tranſeuntibus imminet.d.l.5.§.vlt. IV.Actio aduerſus eum,qui non vindicata nece defuncti, hereditatem adiuit,aut tabulas teſtamenti aperuit, recitauit, deſcripſit. ſ. de ſenatuſconſ. Silan.l.lege.25.§.vlt. V. Interdictum ne quid in loco ſacro vel religioſo vel ſancto fiat. Cuiac. in Parat. ſ. ne quid in loc. ſac. fiat. VI. Interdictum de locis & itinerib.publicis. ſ.de loc. & itin.pub.l.1. VII. Interdictum ne quid in loco publico vel itinere fiat.ſ.ne quid in lo.pub l.2. §.hoc interdictum perpetuum. 34. VIII. Interdictum ne vis fiat vtenti via publica. ſ. de procur.l.licet.42.in princ. IX. Interdictum de via publica reficienda. ſ. de via. publ.& iti.pub.refic.l.1.§. vlt. X. Interdictum ne quid in flumine publico fiat quò peius nauigetur. Cuiac.in Parat. ad tit. ſ. de flumin. XI. Interdictum ne quid fiat in flumine publico quo aliter aqua fluat.ſ.ne quid in flum.publ. l.vn.§. hoc interdictum cuiuis. XII. Interdictum ne vis fiat nauiganti in flumine publico Cuiac. in Paratit. ad tit. ſ. vt in flum. publ. nauig. lic. XIII. Interdictum de ripa munienda. ſ. de ripa mun. l.vn. XIV. Interdictum ne quid in cloacam publicam immitta

BIU Cujas

immittatur vel fiat, quo eius vsus deterior reddatur. ff.de cloac.l.1.§.pen. & vlt. XV. Interdictum de homine libero exhibendo. ff. de homine lib. exhib. l.3.§. hoc interdictum. XVI. Actio de sepulchro violato. ff.de sepulch.violat.l.3.in princ. & §.vlt. XVII. Actio de termino moto. ff.de termi.mo. l.vlt.in princ. Exposita sunt iudicia de delictis priuatis, extraordinariis, & popularibus.

LIBER XLVIII.

TITVLVS I.

De publicis iudiciis.

1 SEQVVNTVR iudicia publica: quorum expositio est quinque pertita. Prima pars, quæ hoc titulo terminatur, generalem theoriam continet, vt intelligamus, quid sit iudicium publicum,
2 & quotuplex, & quæ sint eius proprietates. ¶ Iudicia publica dicuntur, quæ legibus publicorum iudiciorum sunt constituta. l.1. proinde omnia ciuilia sunt, & à popularibus actionibus, quæ prætoriæ sunt, hac ratione separantur: quamquàm & hæ interdum publicæ appellantur. ff.de iureiur.l.eum qui.30.§.in popula-
3 ribus. ¶ Diuiduntur in duo genera. nam capitalia sunt, quæ morte vel exilio caput eximunt de ciuitate Romana: cetera non capitalia sunt, vt quæ relegationem irrogant, vel aliam cercitionem cum infamiæ no-
4 ta.l.2.& Instit.eod.§.publicorum. ¶ Proprietates horum iudiciorum hæ notentur. I. Omnia sunt famosa. l.7. II. Dicuntur ordinaria, quia legitimam pœnam irrogant, quamuis ordo eorum exercendorum in vsu esse desierit. l. ordo. 8. III. Procuratorem admittunt ad absentiam excusandam, non ad reum defendendum.l.accusatore.13.§.1. nisi sit iudicium non capitale. ff.de procur.l.seruum.33.§.publicè.& ff. de pœn.l.5. in princ. IV. Finiuntur morte rei.l.3. (vbi cum Græcis legendum, *remittitur*) quia heres in pœnam non succedit. ff. de pœn. l. si pœna. 20. Excipitur crimen perduellionis, ex quo memoria defuncti damnatur. ff. ad leg. Iul. maiest. l. vlt. & crimen repetundarum, quo heres tenetur intra annum à morte eius qui arguebatur. ff. de le. Iul.repetund.l.2. Denique pœna quidem morte rei extinguitur: sed si de re pecuniaria quæstio sit, nihilominùs de ea cognoscetur.l.6. V. Non finiuntur morte accusatoris.l.pen.in princ. Hactenus prima pars, id est, generalis & theorica iudiciorum publicorum expositio.

II. *De accusationibus, & inscriptionibus.*

1 SEcunda pars est de his iudiciis instituendis. Vbi sciendum est, hæc iudicia non per actiones ordinari. Instit.de public.iudic.in princ.sed plerumque per accusationem. ff.de munerib.l.6.§.si quis.& C.de adulter.l. quamuis indubitati 19. & extra. h.t.c.1.cum sim.
2 ¶ Accusatio est criminis, & eius qui crimen admisit,
3 ad iudicem delatio, vindictæ & pœnæ causa. ¶ Nota primò omnes posse accusare, qui expressè non prohi-
4 bentur. l. qui accusare. 8. ¶ Nota secundò accusatum non posse pendente iudicio inuicem accusare suum accusatorem pari vel minore crimine: quia non relatione criminum, sed innocentiâ reus purgari debet.l.5. & C.de his qui accus. non poss. l. neganda. 19. maiore tamen crimine accusare potest, ita vt de hoc priùs cognoscere iudex debeat.C.eod.l.1. ¶ Nota tertiò accu-
5 satorium libellum ab accusatore proponendum esse: cuius libelli formula proponitur in l.3.in princ. Debet autem accusator per se, vel, si literas nesciat, per alium se inscribere ad pœnam talionis, id est, libello subscribere, quò faciliùs puniri possit, si calumniari deprehẽdatur.d.l.3.§.item.& l.7.in princ.& C.eod.l.pen.& vlt. & de exhib.reis.l.2. Hac de causa inscriptio cum accusatione coniungitur hîc,& C.eo.tit.quamquàm etiam in extraordinariis criminibus locum habet, vt notaui ff.ad tit.de extraord.crimin.

III. *De custodia & exhibitione reorum.*

ACcusationem sequitur custodia, & exhibitio, 1
reus enim custodiendus, & exhibendus est, vt pœnam legitimam patiatur. ¶ De custodia nota pri- 2
mò custodiam accipi modò pro publica custodia. ff.ex quib.cau.maio.l.succurritur.9.in fi. & de verb.signific. l. vinculorum,224. modò complecti etiam custodiam priuatam, quamquam hæc iure prohibetur. C. de priuat. carcer. l.2. modò pro ipsis personis custoditis. l. carceri.8.l.ne quis.10. l. milites.12. l.vlt. & ff. de offic. proconf.l.6.in princ. & de public.iudic.l.custodias.12. & ff. de quæstion. l. vnius.18. §.pen. ¶ Nota secundò 3
custodiarum varia esse genera: & iudicem pro facti & personæ qualitate æstimare debere, quomodo reus sit custodiẽdus, recipine in carcerem debeat, aut etiam vinculis contineri, an militibus tradi custodiendus, an fideiussoribus committendus qui eum exhibituros se promittant, vel etiam sibi, id est, suæ promissioni de se exhibendo.l.1.& ff.ex quib.caus. maio. d.l. succurritur. & l. seq. ¶ Nota tertiò etiam accusatorem simili 4
custodia detineri, nisi dignitatis differentia diuersitatem custodiæ inducat. C. de accusat.l.vltim. ¶ Nota 5
quartò, ob custodiam amissam, vel aliàs male custoditam, præpositum carceris & alios custodes puniri, siue milites sint, siue pagani.l.carceri.8.l.milites.12.& l.vlt. Magistratus quoque multantur, si temerè & sine causa custodias dimittant.l.ne quis.10.Solet præterea, si per culpam custodia sit amissa, & interfit eam apprehendi, tempus causâ cognitâ militi dari ad eam requirendam, adiuncto ei alio milite. l. vlt. §.pen. ¶ Nota 6
quintò eos qui conspirauerunt vt ruptis vinculis & effracto carcere euaderent, si innocentes sint, tamen quasi crimen illud commiserint, propter quod in carcerem sunt coniecti, esse puniendos. si verò noxij sint, augendam pœnam, quam passuri erant, eos autem, qui conspirationem eorum detexerint, releuandos. l.pen. præterea qui effracto carcere vel conspiratione cum ceteris qui in eadem custodia erant, de carcere erupe-
runt, capite plectuntur, qui verò per negligentiam custodum euaserunt, mitiùs puniuntur ff. de effract.l.1. in princ. ¶ De reis exhibendis nota primò eum tan- 7
tummodò exhibendum esse, de cuius exhibitione iudex pronunciauit.C.de exhib.reis.l.vlt. ¶ Nota secun- 8
dò, si quis reum, pro quo cauit, non exhibeat eum pœna pecuniariâ affici, vel propter dolum extra ordinem damnari. l.4. Absoluta est secunda pars de publicis iudiciis, quæ est de reis accusandis, custodiendis, & exhibendis.

IV. *Ad legem Iuliam maiestatis.*

TErtia pars singulas species publicorum iudicio- 1
rum, seu singulas leges, quibus varia iudicia publica sunt constituta, declarat. ¶ Prima est lex Iulia 2
maiestatis, quam Ant. Augustinus suspicatur latam fuisse à C.Iulio Cæsare. ¶ Hac lege punitur, qui ma- 3
chinatus est contra salutem, vel honorem principis aut rei publ.l.6.l.7.§.vlt.l.vlt. cui subditus est. Clem.2. vers.rursus non est silentio.de sentent. & re iudica. &

BIU Cujas

qui criminis est ministeer, & conscius, & horum om-
4 nium filij. C.h.t.l.5. ¶ Crimen perduellionis est spe-
cies criminis læsæ maiestatis, cum scilicèt aliquis ho-
stili animo contra salutem principis, vel reipublicæ
aliquid molitus est. d.l.vlt. quia quos nos hostes, vete-
res appellabant perduelles. ff. de verb. signif. l. quos nos
5 hostes. 234. in princ. ¶ Pœna est mors, vel memoriæ
damnatio, si delinquens mortuus sit. C.h.t.d.l.5. in pr.
Instit. de public. iudic. §. publica autem iudicia. præ-
terea filij sunt infames, & successionis cuiuscumque
incapaces. d.l.5. §.1. præter quàm quòd filiæ ex bonis
maternis Falcidiam accipiunt. d.l.5. §. ad filias. Sed qui
coniurationem patefacit, non solùm veniam obtinet,
sed insuper, si ab initio non serò eam detegat, præmio
& honore afficitur d.l.5. §. vlt.

V. *Ad legem Iuliam de adulterijs coërcendis.*

1 SEcunda est lex Iulia de adulteriis, lata ab Augusto.
l.1. Sueto. in August. cap. 34. Taci. lib. 2. Annal. Hæc
modò vocatur lex Iulia de adulteriis l. si maritus. 15.
§.1. modò de adulteriis coërcendis, vt in hac rubrica,
& in l.5. l. si is qui. 42. & C. eod. l.3. l. si sine. 17. & ff. de
minor. l. auxilium. 38. §.1. & Instit. de public. iudic. §.
item lex Iulia de adulteriis. modò de pudicitia. C.h.t.
l. reos 8. & l. seq. Sed Sueton. in August. d. cap. 34. vide-
tur distinguere inter legem Iuliam de adulteriis, & le-
gem Iuliam de pudicitia, cùm ita scribat, *leges retractauit, & quasdam de integro sanxit, vt sumptuariam, & de adulterijs, & de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordini-*
2 *bus.* ¶ Hac lege punitur adulterium, stuprum, & leno-
cinium. l. hæc verba. 12. Adulterij & stupri appellatio
in lege promiscuè accipitur: quamuis propriè loquen-
do, adulterium in nupta, stuprum in virgine aut vidua
aut puero committatur. l.6. §.1. l. stuprum 34. §.1. & ff.
3 de verb. signif. l. inter stuprum. 101. in princ. ¶ Pœna
legis Iuliæ fuit relegatio: sed ex constitutionib. facta
est pœna gladij. C.h.t.l. quamuis adulterij. 30. in fi. nisi
quòd stuprator regulariter, si honestus sit, dimidiam
bonorũ partis confiscationem patitur. si humilis, cor-
poralem coërcitionem sustinet. Instit. de pub. iudic. §.
item lex Iulia de adulteriis. Dixi *regulariter*: quia si
quis eam stupravit, cuius tutelam gessit, deportatur, &
omnia eius bona confiscantur. C. si quis eam cuius tut.
fu. corrup. l. vn. & si mulier seruo suo se iungat, vtrique
pœna mortis irrogatur. C. de mul. quæ se propr. seru.
iunx. l. vn. Ex Nou. autem Iustiniani constitutione
adultera verberata in monasterium coniicitur, &, nisi
à marito intra biennium recipiatur, perpetuò ibi ma-
4 nere cogitur. Nou. 134. cap. 10. ¶ Sunt quædam huius
criminis specialia & propria. I. Minor xxv. annis ac-
cusare adulterij non potest, nisi matrimonij sui iniu-
riam persequatur. l. si maritus sit. 15. §. lex Iulia. quam-
uis ab aliis accusationibus capitalibus non repellatur.
ff. de bon. libert. l. qui cum maior. 14. §.1. & 2. II. Ma-
ritus potest intra sexaginta dies vtiles à die diuortij
computandos. l. is cuius. 14. §. penult. l. mariti. 29. §. sex
mensium. vers. præterea. iure mariti accusare sine me-
tu calumniæ. C.h.t.l.6. & ff. de minorib. l. auxilium. 37.
§.1. quod & patri, licèt iure expressum non reperiatur,
concedendum videtur, argum. d.l. is cuius. §. penult. &
de public. iud. l. vlt. III. Huic accusationi quinquen-
nio continuo, vel vtili semestri tempore præscribitur.
Sex menses computantur ex die diuortij: quinquen-
nium in nupta à die commissi criminis, in vidua à die
diuortij. d.l. mariti. §. sex mensium. IV. Adulterum &
adulteram simul accusare non licet. d.l. si maritus sit. §.
vlt. & C.h.t.l. reos. 8. V. Si vidua sit, de cuius adulte-
rio agitur, vel post accusationis denunciationem nup-
serit; liberum est arbitrium accusatori, vtrum priori
loco adulterum, an adulteram accusare velit. Si verò
ante denunciationem nupta sit, priùs adulter reus
peragi debet. l.5. d. l. si maritus sit. §. penult. l. qui vxo-
ri. 16. VII. Si quo tempore adulter accusator, mulier
nupta est: absoluto adultero, accusari, quamdiu nupta
est, à nemine potest, etiamsi per collusionem adulter
absolutus fuerit. l. denunciasse. 18. §. pen. l. adulter. 19.

VI. *Ad legem Iuliam de vi publica.*

TErtia est lex Iulia de vi publica. ¶ Est autem vis 1
publica, quæ ius publicum violat, vt quia fit à 2
magistratu abutente publica, qua fungitur, auctori-
tate. l.7. aut quia fit armis. Instit. de public. iudic. §.
item lex Iulia de vi. aut si quis vectigalia noua exer-
ceat l. vlt. ¶ Pœna regulariter est deportatio. d. §. item 3
lex Iulia de vi.

VII. *Ad legem Iuliam de vi priuata.*

QVarta est lex Iulia de vi priuata. ¶ Vis priuata 1
est, quæ non violat ius publicum, vt quia à pri- 2
uato in priuatum sine armis committitur. ¶ Pœna 3
est tertiæ partis bonorum confiscatio. l.1. in princ. &
Instit. de public. iudic. §. item lex Iulia de vi.

VIII. *Ad legem Corneliam de sicarijs & veneficis.*

QVinta est lex Cornelia de sicariis & veneficis, 1
lata à Cornelio Sylla dictatore. ¶ Sicarij dicun- 2
tur à sica, id est ferreo cultro. Instit. de public. iud. §.
item lex Cornelia de sicariis. ¶ Hac lege tenetur qui 3
dolo malo hominem occidit. l.1. in pr. vel occidi cu-
rauit, l. nihil. 15. vel in alterius necem cum telo ambu-
lauit, publicáve potestate est abusus. d.l.1. in pr. & §.1.
falsúmve testimonium dixit. d.l.1. §.1. venenúmve
confecit, vendidit, habuit. d.l.1. §.1. & l.3. in prin. Item
qui furti faciendi causa cum telo ambulauit. d.l.1. in
princ. Item qui alium castrauit. l.3. §. item is. aut thli-
biam fecit. l.5. aut castrandum tradidit. l.6. aut se ca-
strari passus est. l.4. in fin. aut non Iudæum circumci-
dit. l. circumcidere. 11. in princ. Item cuius dolo incen-
dium factum est. d.l.1. in pr. Item seditionis auctor,
Item qui naufragium suppressit. d.l.3. §. item is. Item
qui magiam, auspicia, similésve impostura docuit,
vel didicit, vel his vsus est. C. de malef. & mathem.
¶ Non tenetur hac lege, qui dolo caret, ne quidem 4
ob latam culpam. l.7. ¶ Pœna gladij regulariter irro- 5
gatur. Instit. de public. iudic. §. item lex Cornelia de
sicariis.

IX. *De lege Pompeia de parricidijs.*

SExta est lex Pompeia de parricidiis: quam Hoto- 1
manus à Cn. Pompeio latam putat: Augustinus
verò vetustiorem esse arbitratur, quia Malleolus mul-
tis annis ante Pompeium hac lege damnatus est.
¶ Hac lege tenetur, qui parentem, liberos, cogna- 2
tum, coniugem, affinem, sponsum, sponsam, spon-
si sponsæve cognatum, patronum, patronam, occi-
dit: cuiúsve dolo, vel ope id factum est: & qui vene-
num emit, vt parenti daret. l.1.3.4.5. & fac. mortis con-
scius. l.7. ¶ Pœna huius legis duplex est. Nam parri- 3
cida vel afficitur pœna legis Corneliæ de sicariis. d.l.
1. Vel virgis cæsus, & culleo cum cane, gallo gallina-
ceo, vipera, & simia insutus, in mare aut flumen proxi-
mum proiicitur, bestiisve obiicitur. l. pen. in pr. & C. de
his qui par. vel lib. occid. l.vn. & Instit. de public. iud.
§. alia. Prior pœna regulariter irrogatur. d.l.1. Poste-
riorem non obtinuisse nisi in confessos testatur Sue-

tonius

tonius in Augusto.cap.33. Modestinus coangustat ad eos,qui patrem,vel matrem, vel auum, vel auiam occiderunt.d.l.penult.§.1. Constantinus in d.l.vn. & Iustinianus in d.§. alia producunt aduersus omnes, qui tenentur parricidij, si quidem ibi legas, *affectionis eius quæ nuncupatione parricidij continentur.* quomodo etiam Theophilus legit. Si verò alteram lectionem sequaris, quæ habet *nuncupatione parentum*, dices hanc pœnam coarctari ad eos, qui parentes, vel liberos occiderunt. quod mihi probabilius videtur: cùm propter d. l.pen.§.1. tum etiam quia rectiùs dici videtur affectionem contineri appellatione parentum, quam parricidij.

X. *De lege Cornelia de falsis & de senatusconsulto Liboniano.*

1 SEptima est lex Cornelia de falsis: cuius auctor fuit
2 Cornelius Sylla dictator. ¶ Falsum propriè est veritatis imitatio. l. quid sit falsum.23. Nou.73.in princ. fraudulenta,C.h.t.l.nec exemplum.20. Sed & veritatis occultatio in crimen falsi cadit.l.instrumentorum.
3 16.§.vlt. ¶ Huius legis duo sunt capita. Primum caput est de falsis testamentis, vel aliis instrumentis suppositis, aut veris occultatis.l.2. & ſ. de public.iudic.l. 1.& Instit.eod.§.item lex Cornelia de falsis. Sed potissimum videtur fuisse de testamentis, quod autem de aliis instrumentis dicitur, fortasse est ex senatusconsulto Liboniano. & ita Cuiacio videtur per text. in l. lege. 9.§. pœna. Alterum caput est de falsa moneta. l. quicumque. 8. & l.seq. Idcirco Iustinianus appellat legem Corneliam de falsis, vel testamentariam. d.§. item lex Cornelia de falsis. Macer Cornelium de testamentis. d. l. 1. Cicero testamentariam numariam,
4 Verri.3. ¶ Hac lege tenetur, qui in testamento,rationibus, vel alia re quid fecit dolo malo, vt verum supprimeretur, aut falsum pro vero haberetur. l. instrumentorum. 16. Ad hæc duo membra referri possunt omnia facta, quæ hac lege coërcentur,præterquam si testamentarius, id est testamenti scriptor, legatum sibi, vel his quos in potestate habet, voluntate testatoris adscripserit, qui quidem pœna falsi tenetur ex senatusconsulto Liboniano ad legem Corneliam facto temporibus Tiberij, Statilio Tauro & L. Scribonio Libone consulibus.l.1.§. ad testamenta. l. Diuus.15. &
5 C.de his qui sibi adscrib.in testam. ¶ Pœna ob falsam moneram est mors: quia hoc casu falsum est coniunctum cum crimine læsæ maiestatis. C.de falsa.mone.l. 1.& 2.aliàs regulariter pœna falsi est exilium, sed hæc pœna pro personarum conditione,& commissi qualitate, interdum augetur, vel minuitur.l falsi nominis. 13.§. 1. & Institut. de publ.iudic. §.item lex Cornelia de falsis.

XI. *De lege Iulia repetundarum.*

1 OCtaua est lex Iulia repetundarum à C. Cæsare lata, vt M. Cic.in oratione pro Sextio testatur,
2 ¶ Hac lege tenentur publico officio fungentes, vel eorum comites.l.1.in princ.& l.5. qui aliquid acceperunt vel donationis causâ. l.pen. (nisi sit potulentum esculentúmve,quod in proximos dies prodigatur.ſ.de offic.præsid. l. plebiscito.18. aut à coniunctis personis oblatum sit. d. l. 1.§.1.) vel quò magis siue quò minùs
3 officium facerent.l.3.&4. ¶ Pœna quadrupli irrogatur.C.eod.l.1.ita vt duplum restituatur spoliato,ac duplum inferatur fisco, C. de assess.l.3. Præterea hoc crimine damnatus testimonium publicè dicere, iudex esse,& postulare prohibetur,l.6.§.1. Plerumque autem
4 irrogatur pœna extraordinaria.l.7.§.vlt. ¶ Proprium huius criminis est, vt heres quoque teneatur.ĩ.ad leg. Iul. pecul.l. vlt. intra annum à morte rei.l.2.& C.eod. l.2. post annum verò non tenetur, nisi in quantum ad eum peruenit.ſ.de calumn.l.5.in princ.

XII. *De lege Iulia de annona.*

NOna est lex Iulia de annona, id est de annona 1
fraudata. l. 1. aduersus eum qui contra annonam fecit, societatémve coiit, quò annona carior fieret. l. 2.in princ. ¶ In hunc statuta est pœna viginti aureo- 2
rum. d.l.2. in fi. Sæpe etiam extra ordinem punitur.ſ. de extraordin.crim.l.6.

XIII. *Ad legem Iuliam peculatus,& de sacrilegiis, & de residuis.*

DEcima est lex Iulia peculatus. est autem pecula- 1
tus,furtum pecuniæ publicæ,ab eo factum,cuius periculo non est. Ea res aut est propriè publica, id est profana, aut religiosa, aut sacra. l.1. l. sacrilegi.9. §.1. hoc postremo casu vocatur speciali vocabulo sacrilegium. d. l. sacrilegi. §. Labeo. dummodò è loco sacro furripiatur. ĩ. de pœn.l.aut facta.16. §. locus. Additur in Decreto, sacrilegium committi, siue sacrum de sacro, siue non sacrum de sacro, siue sacrum de non sacro auferatur.vij. q.4.c. quisquis.21. §. similiter. Item Cuiac.hîc in parat.ad sacrilegium refert etiam furtum rei religiosæ de loco religioso. ¶ Nora primò, eum, 2
qui rem ciuitatis furripuit, non teneri crimine peculatus ex lege Iulia. ſ. de furt.l. ob pecuniam.81. sed ex constitutionibus principum.l.4.§.vlt. ¶ Nota secun- 3
dò,eum, qui à debitore suo & fisci exigit quod sibi debetur non committere peculatum.l.peculatus.12.eum verò committere, qui fisco debitum exigit, simulans se fisci creditorem. d.l.sacrilegi. §. eodem. ¶ Quod ad 4
pœnam attinet, capite puniuntur sacrilegi. d.l.sacrilegi.in princ.& qui in administratione positi,peculatum commiserunt: quive his ministerium præbuerunt;aut ab eis subtractas pecunias,scientes susceperunt: ceteri deportantur.l.3.& C.de crimin.sacril.l.vn.& Instit. de publ. iudic. §. item lex Iulia peculatus. ¶ Vndecima 5
est lex Iulia de residuis. Hoc crimine tenetur, qui publicam pecuniam delegatam in vsum aliquem, aut partem eius retinuit,neque in vsum illum consumpsit. l.2.l.4.§.sed & qui.d.l.sacrilegi.§.pen,& is.apud quem ex locatione, emptione, aliáve causâ, pecunia publica resedit.d.l.4.§. lege. si eam ad ærarium non est professus; vel si professus retinuit vltra annum. d.l. sacrilegi. §. vltim. ¶ Hîc ampliùs tertia parte quàm debet, 6
damnatur, vt putà si trecenta debeat, quadringenta fisco inferre cogitur.d.l.4.§.lege. ¶ Nota hæc iudicia 7
publica, peculatus, & de residuis, etiam in heredes exerceri, quia præcipua quæstio est de ablata pecunia. l.vlt.

XIV. *De lege Iulia ambitus.*

DVodecima est lex Iulia de ambitu, eos puniens, 1
qui illicito modo, vt datâ pecuniâ, honores ambiunt. ¶ Pertinuit hæc lex ad ambitum vrbicum, 2
quo tribus suffragium laturæ corrumpebantur: sed hodie in vrbe non obtinet,quia honores arbitrio principis, non fauore populi deferuntur. l. vnic. in princ. Producta est senatusconsulto in eos qui in municipio magistratus vel sacerdotio illicito modo ambiunt.§. 1. & in eos qui nouum vectigal instituunt. §. pen. Item per legem Iuliam iudiciariam producta est in reum, vel accusatorem, qui domum iudicis ingressus est. §. vlt. Item ex constitutione Arcadij & Honorij producta est in eos qui administrationis ratione non reddi-

BIU Cujas

ta idem officium repetunt & continuunt. C. eod. l. vn.
3 ¶ Pœna huis criminis est multa centum aureorum, & infamia. §. 1. & §. vlt. & honoris per ambitum delati amissio. ff. de episc. & cleric. l. si quemquam. 31. sed in casu d. l. vnic. C. h. tit. Imperatores deportatione delinquentem puniunt.

XV. *Ad legem Fabiam de plagiariis.*

1 DEcima tertia est lex Fabia de plagiariis. Plagiarij sunt qui πλαγίως, id est dolosè, homines liberos, aut seruos alienos intercipiunt ac supprimunt. l. 3. & l. pen. Sed ex senatusconsulto in huius legis pœnam incidit, qui seruum fugitiuum vendidit. l. 2. & C. eod. l. 6. & ff. de contrah. empt. l. quod sæpe. 35. §. si quis amico. Hoc senatusconsultum Cuiacius scribit factum esse Alexandri tempore, Modesto & Probo consulibus. 2 ¶ Hac lege pœna pecuniaria statuta fuit, quæ in vsu esse desiit. nam pro modo delicti coërceri ceperunt, & plerumque in metallum dari. l. vlt. Sed hodie propter hominem liberum suppressum pœna mortis 3 infligitur. C. eod. l. vlt. ¶ Absoluta est tertia pars tractatus de publicis iudiciis: qua in parte singillatim publica crimina, & leges publicorum iudiciorum exposuimus.

XVI. *Ad senatusconsultum Turpillianum, & de abolitionibus criminum.*

1 DEinceps quarta parte agitur de impedimentis horum iudiciorum tollendis, & progressu faciendo. Hæc impedimenta spectantur, vel ex parte accusatoris, vel ex parte rei. In accusatore tria notantur, quæ iudicij progressui obstant: calumnia, præuaricatio, tergiuersatio. l. 1. in pr. Calumniatur, qui falsa crimina sciens intendit. Præuaricatur, qui vera crimina abscondit, & cum reo colludit, ita vt translatitiè munere accusandi fungatur, & proprias probationes dissimulet, falsas rei excusationes admittat. Tergiuersatur, qui in vniuersum ab accusatione desistit. d. l. 1. §. 2 1. & §. præuaricatorem. ¶ Qui iudicio publico calumniatus est, infamiâ notatur. C. de calum. l. 3. & l. nostris. 8. & pœna talionis afficitur, id est, quam reus passus esset: si conuictus fuisset. l. vlt. Qui verò aut in priuato, aut in extraordinario iudicio est calumniatus, in ea pericula non incidit. C. de calumn. l. 5. sed extra ordinẽ pro qualitate admissi plectitur. l. 3. ¶ Notandum est, eum, qui bona fide accusauit, non ideo puniri quasi calumniatorem, quia in probatione criminis defecit. C. de calumniatorib. l. 3. ¶ De præuaricatorib. dixi. ff. lib. 47. tit. 15. ¶ Qui tergiuersantur & desistunt, senatusconsulto Turpilliano quinque libris auri puniuntur. hoc autem iudiciũ non est publicum, licèt eo puniatur, qui iudicium publicum deseruit. ff. 6 de præuaric. l. 3. §. vlt. ¶ Hæc pœna cessat, si abolitio criminis, id est, accusationis interuenerit. d. l. 1. §. si quis autem. & §. seq. l. si interueniente. 12. l. destitisse. 7 13. §. 1. ¶ Triplex autem est abolitio. I. Publica, quæ publicè ex decreto senatus ob rem bene gestam vel aliam similem causam fieri solet. l. abolitio. 8. & l. seq. & d. l. si interueniente. II. Priuata, quæ accusatori postulanti indulgetur. l. aut priuatim. 16. in pr. à principe. d. l. destitisse. §. 1. vel à præside, non ab eo cui iurisdictio mandata est. l. 1. §. abolitio. III. Legitima, quæ ex lege fit, accusatore mortuo, vel ex iusta causa impedito quominùs accusare possit. d. l. aut priuatim. in prin. vel mortuo eo cuius nomine accusatio instituta fuit. l. Diuus. 14. vel reo mortuo, nisi iudicium tale sit, quod etiam in heredes reddatur, vt maiestatis, repetundarum. l. in senatusconsultum. 15. §. si propter falsi. l. pen.

XVII. *De requirendis, vel absentibus damnandis.*

IN persona rei duo spectantur impedimenta, quo- 1
rum primum est ipsius rei absentia. ¶ Absentes mo- 2
dò requirendi annotantur, modò damnantur. quod vt intelligatur, notanda est duplex distinctio. I. Vel est crimen capitale, vel non capitale. II. Vel abest reus ante inchoatum crimen, id est delationem criminis, vel pòst. ¶ His distinctionibus positis, notentur tres 3 regulæ. I. Absens post qualecumque crimen inchoatum, reus peragi, & damnari potest. ff. de procurat. l. seruum. 33. §. publicè. & de public. iud. l. inter. 10. & de ficar. l. 4. §. vlt. vers. & qui hoc crimine, videlicèt si edictis citati absint per contumaciam. ff. de pœn. l. 5. in princ. & No. 134. c. 5. II. Absens ante inchoatum crimen non capitale, accusari, & post citatoria edicta condemnari potest. d. l. 5. in prin. III. Absens ante inchoatum capitale crimen, damnari non potest, sed adnotatur requirendus. l. 1. in princ. & §. 1. & bona eius obsignantur. l. vltim. in princ. & quæ morâ deteriora fiunt, distrahuntur, pretiúmque deponitur. d. l. vlt. §. 1. atque edictis monetur, vt se sistere possit. l. 1. §. præsides. Si intra annum veniat, causa peragetur: & si de crimine purgauerit, bona sua recipiet. C. eod. l. 1. Si intra annum moriatur, bona ad heredes suos transmittit. l. 1. §. vlt. & C. eod. l. 1. post annum, eo non reuertente, bona confiscantur. l. 2. in pr. l. vltim. in princ. & C. eod. l. 2. Si post annum quandocunque redeat, audiendus est, vt se defendere possit. l. 4. §. vlt. sed quamuis innocentiam suam liquidis probationibus demonstrauerit, tamen bona ei non restituuntur, sed penes fiscum remanent. C. eod. l. 2.

XVIII. *De quæstionibus.*

SEcundum impedimentum est rei inficiatio vnde 1
veritatem criminis vel probationibus. C. de eden. l. 4. & de probat. l. vlt. vel quæstionibus eruere oportet. l. 1. in pr. ¶ Quæstionem vocamus tormenta & 2
corporis cruciatum ad eruendam veritatem. ff. de iniur. l. item Labeo. 15. §. quæstionem. ¶ Torquetur 3
autem non solùm reus. l. vnius. 18. in princ. & §. 1. sed etiam testis, qui facto interuenisse dicitur. d. l. vnius. §. testes. & seruus, cui crimen compertum est. l. 1. §. 1. cum simil. quamquam hic non est propriè testis. ¶ Vt ha- 4
benda sit quæstio, multa requiruntur. I. Vt crimen sit capitale, vel atrox. l. edictum. 8. Ex constitutione autem Diui Pij seruus torquetur etiam in causa pecuniaria, si veritas exquiri aliter non possit. l. Diuus. 9. in pr. II. Vt personæ torquendæ qualitas hoc patiatur. C. eod. l. milites. 8. id est, sit seruus. l. 1. §. si serui. & §. vlt. aut plebeius, non miles, non decurio. C. eod. d. l. milites. l. Diuo. 11. l. decuriones. 16. Similiter testis torquetur, si sit vilis persona atque infamis. ff. de testib. l. ob carmen. 21. §. 1. & §. si ea aut in testimonio dicendo vacillet. l. ex liberto. 15. in pr. III. Ne torqueatur contra personam, cui pietatem seu reuerentiam debet: vt seruus contra dominum. l. 1. §. Diuus. l. 3. l. Diuus. 9. §. 1. cum simil. & libertus contra patronum. C. eod. l. 6. Sunt tamen quędam causæ, in quibus etiam serui contra dominos, & hi qui à quæstionibus sunt immunes, torquentur, vt in crimine læsæ maiestatis, adulterij fraudati cẽsus. l. 5. in fi. l. de minore. 10. §. 1. & C. eod. l. 1. ¶ Arbitrio iudicis committitur, quæ, & quanta tor- 5
menta adhibere oporteat. l. 7. videlicèt pro moderatæ rationis temperamento. d. l. de minore. §. tormenta. ¶ Item quæ fides sit eis habenda. l. 1. §. quæstioni. & 6
§. vlt.

7 §. vltim. ¶ Hîc est finis quartæ partis de publicis iudiciis, in qua dictum est de impedimentis tollendis, vt iudicium rectè progredi, & ad iustum exitum perduci possit.

XIX. *De pœnis.*

1 SVpereſt quinta pars de effectu horum iudiciorum. Hîc tria cõsiderantur. I. Pœnæ irrogatio. II. Damnati in priſtinum ſtatum reſtitutio, ſeu pœnæ irroga-
2 tæ remiſſio. III. Cadauer eius qui punitus eſt. ¶ Pœna eſt delicti ſeu criminis æſtimatio, atque coërcitio.
3 l. ſanctio. 41. in fi. ¶ Puniuntur vel facta, vt furta, cædes: vel dicta, vt conuicia: vel ſcripta, vt famoſi libelli: vel conſilia, vt coniurationes, & latronum conſcien-
4 tia. l. aut facta. 16. ¶ In irrogandis pœnis ſpectantur ſeptem circunſtantiæ: cauſa, perſonæ, locus, tempus, qualitas, quantitas, euentus; vt latè explicatur in d. §.
5 aut facta. §. 1. & ſequentibus. ¶ Pœnarum diuiſiones duæ notentur. I. Aut eſt pœna capitalis, quæ damnatum eximit è numero ciuium Romanorum: aut non capitalis, quæ ex ciuium Romanorum numero non eximit. Capitalis eſt mors naturalis, & mors ciuilis mortem ciuilem vocamus ſeruitutem pœnæ, & exilium. itaq; tres ſunt capitalium pœnarum gradus. aut enim vita adimitur, aut libertas, aut ciuitas, reliquæ omnes non capitales ſunt. Mors autem variis modis infertur, vt igne, gladio, laqueo. Non capitalis eſt, vt fuſtigatio, infamia, relegatio. l. 2. l. 6. §. vlt. l. 7. l. 8. in prin. & §. 1. l. capitalium. 28. & ſ. de publ. iud. l. 2. & Inſtit. eod. §. publicorum. Interdum relegatio vocatur pœna capitalis, ſed minùs propriè. ſ. de accuſat. l. hos accuſare. 12. §. vltim. ſicut impropriè vocatur exilium. ſ. ſi quis caution. l. 4. in pr. & j. de interd. & releg. nam propriè loquendo diſtinguitur à pœna capitali: quia propriè loquendo non eſt exilium. Ouid. lib. 2. Triſtium,

Quippe relegatus, non exul dicor in illo.

Et lib. 5. eleg. 11.

Fallitur iſte tamen, quo iudice nominor exul:
Mollior eſt culpam pœna ſecuta meam.

Nouiſſimè verò Iuſtinianus pœnæ ſeruitutem ſuſtulit. No. 22. cap. 8. II. Aut eſt pœna realis, aut perſonalis, de quibus agetur trib. titulis ſequentib.

XX. *De bonis damnatorum.*

1 REalis pœna eſt bonorũ confiſcatio. Confiſcantur autem bona I. Vel in totũ, vel pro parte. ſ. ad leg. Iul. de vi priua. l. 1. in pr. & ad leg. Corn. de ſicar. l. 3. §. pen. cum ſimil. II. Vel damnatorum, vel eorum qui criminis conſcientia & pœnæ metu mortem ſibi conſciuerunt, vel eorum qui accuſatorem corruperunt.
2 ¶ De damnatis nota pœnæ capitali hæret e bonorum publicationem. l. 1. in pr. exceptis tribus caſibus, videlicèt cùm damnatur mulier, quæ ſe proprio ſeruo iunxit. C. de mul. quæ ſe ſeru. prop. iunx. & cùm ob libertæ vel ancillæ raptum quis damnatur: & cum ob ingenuæ raptum damnantur conſcij vel miniſtri criminis præter eos qui opem tulerunt & in ipſa rapina delinquentem comitati ſunt. C. de rap. virgin. l. vn. §. & ſiquidem. & §. pœnas. Relegati autem in perpetuum, poſſe à iudice, ſi ita videatur, partem bonorum publicari. j. de interd. & releg. l. 4. quamquam interdum & ipſius legis præcepto confiſcatio fit. ſ. tit. prox. l. ſi quis aliquid. 38. §. ſi quis inſtrumentum. Relegati verò ad tempus bona confiſcari non debere. j. de interd. & releg. l. 1. l. 7. §. ad tempus.

XXI. *De bonis eorum, qui ante ſententiam vel mortem ſibi conſciuerunt, vel accuſatorem corruperunt.*

DE his qui ante ſententiam mortem ſibi conſci- 1
uerunt, nota, eius qui in reatu mortuus eſt, bona non confiſcari, niſi capitalis criminis reus conſcientia criminis ſibi manum intulerit, quo caſu pro confeſſo habetur. l. 2. §. 1. & l. 3. ¶ De his qui accuſatorem cor- 2
ruperunt, nota eis ignoſci qui hac ratione ſanguinem ſuum redemerunt, cùm crimine pœnam ſanguinis ingerente accuſati eſſent. Ceteros verò leuiori crimine accuſatos, ob accuſatorem corruptum pro confeſſis haberi. l. 1. & 2. in princ. vnde tranſactio de criminibus iure reprobatur, niſi ſint crimina, ex quibus vltimum ſupplicium irrogetur. C. de tranſact. l. tranſigere. 18.

XXII. *De interdictis & relegatis & deportatis.*

PErſonales pœnæ ſunt, vt interdictio, relegatio, de- 1
portatio. ¶ Interdicitur I. Vel certo loco certíſve 2
locis. l. 7. §. interdicere. cum 6. paragraphis ſequentib. & §. ſolet præterea. vel ordine. d. l. 7. §. ſolet decurionibus. & ſ. de offic. præf. vr. l. 1. §. penult. vel honore ſiue honoribus. d. l. 7. §. penult. & vlt. vel negotiatione, vel profeſſione, vel aduocatione ſeu foro, vel ſpectaculis. d. l. 1. §. pen. vel arte ſ. de pœn. l. vlt. in prin. II. Vel ad tempus, vel in perpetuum. d. l. 1. §. pen. d. l. vlt. in princ. ¶ Relegatio fit. I. Vel à loco, quæ nihil aliud eſt, 3
quàm interdictio: vel in locum certum. l. 7. in pr. & §. ſicut. cum trib. §§§. ſeqqq. Solet autem relegatis diem iudex præſcribere, intra quem loco excedat. d. l. 7. §. his qui. II. Vel ad tempus, vel in perpetuum. d. l. 7. §. hæc eſt differentia. & §. ſeq. ¶ Deportatio differt à 4
relegatione. I. Quia deportatio ſemper fit in locum certum, non etiam à loco, vt de relegatione diximus. II. Quia ciuitatem Romanam adimit. l. 6. in prin. quod non facit relegatio. l. 4. & d. l. 7. §. ſiue. III. Quia omnis deportatio fit in perpetuum, cùm relegatio fieri poſſit etiam ad tempus. d. l. 7. §. hæc eſt differentia. IV. Quia bona deportati omnimodo publicantur. ſ. de bon. damn. l. 1. in princ. non item bona relegati vt docui ſ. eod. tit. Dictum eſt de pœnis irrogandis.

XXIII. *De ſententiam paſſis & reſtitutis.*

COnſequenter dicendum de damnatorum reſtitutione, quæ à principe fit. Et vel eſt ſimplex criminis indulgentia, ita vt tantùm pœna remittatur, & nihil ampliùs reſtituatur, niſi ſpecialiter à principe conceſſum ſit. C. h. tit. l. 2. 6. 7. l. ſi pater. 9. & de gener. abol. l. vlt. Vel eſt reſtitutio in integrum, quæ ita plena eſt, vt etiam honoribus, ordini, ceteriſque omnibus reſtituat. C. h. t. l. 1.

XXIV. *De cadaueribus punitorum.*

EX tribus, quæ ſuprà titulo de pœnis propoſuimus, ſupereſt dicendum de cadaueribus punitorum. Vbi notandum, ſine permiſſu principis nec corpora damnatorum vltimo ſupplicio ſepeliri. l. 1. nec corpora deportatorum aut relegatorum aliò trãsferri poſſe. l. 2.

LIBER XLIX.

TIT. I. *De appellationibus & relationib.*

EXPOSITIS iudiciis ciuilibus & criminali- 1
bus, ſubiicitur tractatus de appellationibus, quæ vtriſque iudiciis communes ſunt. C. de

BIU Cujas

vete,iu.enucl.l. 2.§.septimus.vers.liber autē. vnde cùm appellatio regulariter in omnib.causis admittatur,meritò commune auxilium vocatur.ff.rat.rem hab.l.3.§.1.
2 ¶ Appellatio,quæ etiam prouocatio dicitur,est querela de grauamine ab inferiori iudice illato, quod à maiori iudice tolli petitur. ¶ Causa igitur per appellationē à maiori iudice ad maiorē iudicē deuoluitur. apud illum ante appellationem erat prima instantia, apud
4 hunc post appellationem est secunda instantia. ¶ Relatio quoque iudicis huc spectat,vt causa à minori iudice ad maiorem transferatur: quod vt rectiùs intelligatur, notandum est duo esse genera relationum. Vnum genus est, quod consultatio appellatur. C. de relat.l.1.& l.vlt. cùm iudex principem de iure consulit, vt ab eo instruatur quomodo iudicare debeat: quod sæpe facit Plinius in epistolis.Hanc Iustinianus prohibet. Nou.125. Sed nihilominùs iure canonico admittitur.extrà. h.t.c. intimasti. 68. Vnde illud frequens in Decretalibus,*Consultationi tuæ taliter respondemus.* Alterum genus est, cùm iudex ad principem vel alium
5 superiorem acta mittit vnà cum sua opinione. ¶ Cuius relationis tres sunt species. Aut enim ad iudicem ad quem appellatum est,referr se appellationem interpositam suscepisse.C.eod.l. iudicibus.24. aut eam non recepisse, & cur non receperit.ff. de appell.recip. l. 6. aut principi significat sibi videri certam pœnam, putà deportationem irrogandam, quam ipse inconsulto principe infligere non potest. ff. de iniuf. rupt. l. 6. §. eius. & de legat.iij.l.1.§. deportatos. & de pœn.l.2.§.1.
6 & de interd. & releg. l. 6. §.1. ¶ Redeo ad appellationem: cuius expositio, quod ad praxim attinet, bipertita est. aut enim de appellatione interponenda quæritur, aut de eius interpositæ effectu: ad quæ duo capita sequentes tituli de appellationibus respiciunt.

II. *A quibus appellare non licet.*

DE appellatione interponenda quatuor quæstiones deciduntur. Primò quæritur à quibus iudicibus appellare liceat,vel non. Enumeratis his,à quibus appellare non licet, facilè intelligitur à ceteris appellari posse. Ergo hic titulus docet à quibus non licet appellare, vt à principe, à senatu,ab eo à quo litigantes se non prouocaturos cauerunt, à iudice quem princeps ita dedit ne prouocare liceret. l.1. à præfecto prætorio.ff.de offic.præf.præt.l.vn.§. his cunabulis. & C.de senten,præf.prætor.l.vn.

III. *Quis à quo appelletur.*

SEcundò quæritur ad quem appellare opporteat, Hic dantur duæ regulæ. I. A iudice dato appellatur is qui dedit, vel successor eius. l.1. & l.vlt. & ff. de appellat.l.1.§.pen. vers.denique. II. Ab eo cui iurisdictio mandata est,non appellatur is qui iurisdictionem mandauit, sed superior iudex, ad quem prouocaretur, si is iudicasset, qui iurisdictionem mandauit.d.l.1.§.1. Excipitur legatus proconsulis, à quo appellatur ad proconsulem,qui iurisdictionem ei mandauit.l.2.

IV. *Quando appellandum sit,& intra quæ tempora.*

1 TErtiò quæritur quando appellandum sit.Hic dantur tres regulæ. I. Appellatur iure ciuili regulariter post sententiam definitiuam, non antè, nisi interlocutio iudicis inferat grauamen, quod non possit per sententiam definitiuam reparari;veluti si iudex sit interlocutus vt quæstio habeatur.ff.tit. prox. l. pen. & C.quor.appell.non recip. l. pen.iure autem Canonico post quodcumque grauamen illatum appellare licet. extrà de appellat.c.super eo.12. II. Ab honore muneréue publico iniuncto appellatur, postquam iniunctum est,ante excusationem propositam.l.1.§.alia. Excipitur tutela,à qua appellatur post excusationem à iudice reprobatam: post tutelæ autem dationem, ante excusationem reiectam, frustra appellatur. d. l. 1. §. si quis tutor.& ff.de excus.l. *εἰδέναι.* 13.in princ. & Instit. eod. §. qui autem. III. Is quem præses in prouinciam deportandum annotauit, tam ante quàm postquàm præses principi scripsit, appellare potest. d.l.1.in princ.
¶ Quartò quæritur, intra quæ tempora appellandum 2
sit. Hic distinguitur inter causam propriam, & alienam. Propria causa ab aliena sic distinguitur; vt propria dicatur, cuius emolumentum vel damnum ad appellatorem suo nomine pertinet. d. l. 1, §. in propria. Quare procurator dicitur in causa aliena appellare,nisi in rem suam datus sit. d.l.1.§.quare. In propria causa appellare oportet, intra biduum, in aliena intra triduum. d.l.1.§. in propria. & §§§. seqqq. quod tempus initio est vtile,in progressu est continuum.d.l.1.§.dies autem. Ergo hæc rubrica rectè concepta est in pluratiuo numero, *intra quæ tempora:* quia duplex est appellationum tempus, & modò biduum appellandi causâ conceditur, modò triduum, sed hodie indistinctè, id est, siue propria siue aliena causa sit, intra decem dies est appellandum. No.23.c.1. Hucusque de appellatione interponenda.

V. *De appellationibus recipiendis vel non.*

SEquuntur appellationis interpositæ effectus varij. Primus effectus est, quòd iudex à quo appellatur, appellationem,nisi legibus improbata sit, recipere tenetur. C. de appellat.l.iudicibus.24. & No.126.cap.3. temere autem,& extra casus iure exceptos appellationem respuens, triginta libris auri multatur: totidémque soluit eius officium, nisi ei pertinaciter restiterit, atque actis contradixerit,& quid iure sit constitutum ostenderit. C.de appellat. l.quoniam.21. &d.l.iudicibus. Præterea is cuius appellatio ad principem recepta non est, principi supplicabit. Si verò ad alium prouocauit,vel eum adibit. l.5. §.1. vel principem.d.l. 5,§.planè si appellatione. & si qua ratione doceat non fuisse appellationem receptam,admittetur appellatio. d.l.5. in princ.

VI. *De libellis dimissorijs, qui apostoli dicuntur.*

SEcundus effectus est, quòd literæ à iudice à quo, 1
ad iudicem ad quem, dari debent.l.vn.in pr. quib. causa ad eum transmittat,& indicet,quis,cōtra quem, & à qua sententia appellauerit. d.l. vn.§.1. ¶ Hæ literæ, 2
quia causam ad iudicem appellatum dimittunt, literæ dimissoriæ,vel libelli dimissorij vocantur, Græcè apostoli *ἀπὸ τῦ ἀποστέλλειν.* d.l.vn.in princ.& ff.de verb. sign. l. dimissoriæ. 106. Relationis vocabulo significantur in l.iudicibus.24. C.de appellat. ¶ Has literas 3
appellator instanter & sæpius petere debet. d. l. vn. §. vlt. olim intra quintum diem: quod tempus hisce literis petendis ac dandis tributum erat. Paul. lib.5.sentent.tit.34. sed hodie triginta dies indulgentur. d.l.iudicibus. intra quod tempus apostolos non petens, appellationi renunciasse videtur. ext. de appellat. lib. 6. tap.6.& Clem.2. In qua illud etiam additur,sufficere, si vna vice apostoli sæpius petantur: veluti si appellator dicat, *Peto instanter & sæpius.* Iudex tamen, nisi multari velit. d. l. iudicibus etiam non petente appellatore,apostolos dare debet.C.cod.l.6.§.vlt.

VII. *Nihil*

BIU Cujas

VII. *Nihil innouari appellatione interposita.*

TErtius effectus est, vt pendente appellatione nihil innouetur, siue appellatio recepta fuerit, siue repulsa.l.vn.in pr.

VIII. *Quæ sententiæ sine appellatione rescindantur.*

QVartus effectus est rescissio sententiæ à qua appellatum est.s̃.ad Turpill.l.1.§.vlt.sed etiam sine appellatione interdũ rescinditur, veluti si iudex competens pronunciauerit. non esse iudicatum. l. 1. in pr. aut si ipso iure nulla sit, quo casu impropriè dicitur rescindi,putà ob errorem calculi. d.l.1.§.1. vel quia iudicatum est contra ius constitutionis. d. l. 1. §. item cùm contra.

IX. *An per alium causæ appellationum reddi possint.*

1 QVintus effectus est, vt causæ appellationis reddantur apud iudicem ad quem appellatum est.
2 ¶ Nota primò causas appellationum reddi per alium posse, si vel non sit quæstio capitalis. l.1. vel is causas reddat, qui nomine alieno damnatus est, vt procurator. l.2.

X. *Si tutor, vel curator, vel magistratus creatus, appellauerit.*

NOta secundò eum qui ab iniuncto munere appellauit, putà cui delata est tutela vel curatio vel magistratus, non liberari ab illius muneris onere & periculo, nisi ipse. l.1.aut eo mortuo heres eius causas appellationis probauerit. l. 2. Magistratum à datione siue iniunctione muneris, tutorem autem vel curatorem à reiecta excusatione appellare,docui.s̃.tit.4.

XI. *Eum qui appellauerit in prouincia defendi.*

POst quinque effectus appellationis declaratos, decidunt̃ tres quæstiones itidem ad appellationis effectum pertinentes. Prima quæstio est,an is,qui appellationis persequendæ causâ peregrinatur, in sua prouincia conueniri possit. Respondetur posse.l.1.

XII. *Apud eum, à quo appellatur, aliam causam agere compellendum.*

SEcunda quæstio est,vtrum is,qui appellauit, cogatur apud iudicem illum à quo appellauit, alias causas quarum est iudex competens, agere, an eum quasi suspectum & appellatione offensum recusare possit. Respondetur apud hunc iudicem agi oportere, nec esse recusationi locum.l.vn.

XIII. *Si pendente appellatione mors interuenerit.*

TErtia quæstio est, vtrùm pendens appellatio extinguatur morte appellantis vel eius cõtra quem appellatur,vel eius de quo agitur. Mortuo appellante, si nullus sit heres, appellatio euanescit. si verò heres existat,ita demum eum ad persequendam appellationem teneri, si eius interfit, vt quia est causa pecuniaria; aut quæstio est de bonis confiscandis. secus est, si quæstio sit de relegatione, aut alia pœna capitali sine confiscatione bonorum.l.vn.aut si à nominatione appellatum sit.C.eod.tit.l.vn. Neque autem mortuo eo, contra quem appellatum fuit, non extinguitur appellatio. C. eod.l.vlt. Neque mortuo eo, de quo agebatur,quia lis durat propter peculium.C.eod.l.penult.& alias accessiones,vt fructus,partũ,& stipulationem de euictione.D.de rei vindicat.l. vtique.16. De appellationibus hactenus.

XIV. *De iure fisci.*

IVdiciorum publicorum varia sunt genera:vt popu- 1
laria, publica propriè dicta, id est legibus publicorum iudiciorum constituta, fiscalia, militaria,& municipalia.quoniam igitur de popularibus, & publicis propriè dictis iam actum est:reliqua deinceps explicabuntur. ¶ Fiscus, & ærarium olim differebant: quia 2
fiscus erat principis, ærarium populi. Plin. in Panegirico, *At fortassè non eadem seueritate fiscum qua ærarium cohibes? immo tantò maiore, quantò plus tibi licere de tuo, quàm de publico credis.* Spartianus in Hadriano, *Damnatorum bona in fiscum priuatum redigi vetuit, omni summa in ærario publico recepta.*Sed postea omnibus ad principem translatis,fiscus & ærarium promiscuè dici cœperunt:& ita in libris iuris accipiuntur.l. edicto. 13.in princ. & s̃. de falsl.1.§.ex illa.& C.de quadrien. præscript. l. 1. & Instit. de vsucap.§. vlt. Duplex est igitur principis substantia;altera fiscalis, altera priuata.fiscus autem est publica principis substantia, seu publicum ærarium. l. 6. in fi. & C. vbi senato.vel clariss. l.vltim. vers. cuiue sacros. & de quadrien. præscript. l. vltim. vers. sed scimus. & Institut. de vsucap.d.§. vlt. ¶ De 3
iure fiscali duo tractantur hoc titulo. I. Quibus ex causis fisco acquiratur, nam hæ causæ multæ & variæ sunt.l.1. II. Quæ sint fisci priuilegia.nam & hæc multa sunt: vt ius tacitæ hypothecæ.l.aufertur.46.§.fiscus. facultas cõueniendi debitores suorũ debitorum. l. 3.§. multa. & alia plura. Sed quãuis fiscus sit fauorabilis,& priuilegiatus, non ideo tamen dicendum est eum delinquere,qui in dubiis quæstionibus contra fiscũ facilè responderit.l.non puto.10.Hæc dicta sint de iure fisci.

XV. *De captiuis, & de postliminio, & de redemptis ab hostibus.*

SEquitur ius militare; quod in captiuis, in militan- 1
tibus, in veteranis cernitur. ¶ Captiuorum tri- 2
plex est inspectio;aut enim sunt in potestate hostium, aut decesserunt apud hostes, aut in patriam sunt reuersi. Primo casu hostium serui sunt iuregentium. s̃. de acquir.rer.domin.l.5. §.vlt. & Instit. de rer. diuis.§. item ea. Secundo casu lex Cornelia fingit eos in ciuitate primo captiuitatis momento decessisse. Tertio casu ius postliminij fingit eos semper fuisse in ciuitate. quapropter iure postliminij pristinum statũ & pristina iura omnia recipiunt. Instit. quib. mod. ius patr. potest.solu.§.si ab hostibus.ea verò quæ sunt facti, vt possessionem, sine noua & corporali rei apprehensione non recipiunt.l.in bello.12.§.facti.Item redemptus ab hostibus, si seruilis conditionis sit, non restituitur domino, sed est seruus redemptoris, donec pretium redemptionis ei restituatur.si verò sit homo liber: interim quasi iure quodam pignoris à redemptore detinetur, donec ei pretium redemptionis restituat, aut sibi à redemptore expresse, vel tacitè donetur (putà contracto inter redemptorem & redemptam matrimonio. l.si quis ingenuam. 15.in pr. & C. de postlim. reuers. l. 2. idem dicendum, si redemptus sibi ipsi in redemptoris testamento legetur. s̃. de legat. j. l. senatus.43.§.vlt.)aut saltem vitam cum morte commutet. l.si patre.15. ¶ Postliminium dicitur à limine & post. 3
Limen hîc vocatur imperij finis ac terminus. Quare postliminio reuersus dicitur, qui ab hostibus ad idem imperij limen & terminum rediit.quamquam is quoque, qui victis hostibus recuperatur, statim postliminio redisse videtur. Institut. quib. mod. ius potest.

solu,

BIU Cujas

solu. d. §. si ab hostibus. Hæc dicta sint de captiuis.

XVI. *De re militari.*

COnsequenter dicendum de militantibus. Nouem ferè sunt, in quibus explicandis vniuersus iuridicus de re militari tractatus consumitur. Primum de militis etymologia. ſ. de testam. milit. l. 1. §. vlt. Secundum de militis definitione. Tertium de militum generibus. Quartum de militibus creandis. Quintum de officio militis, & disciplina militari. Sextum de delictis militum, vt de desertoribus, vagantibus, emansoribus, transfugis. Septimum de pœnis militum delinquentium. Octauum de militum dimissione. l. milites agrum. 13. §. missionum. & ſ. de his qui not. infi. l. 2. §. ignominiæ.

XVII. *De castrensi peculio.*

1 NOnum de priuilegiis militum, quorum nonnulla habuimus suprà de testam. milit. hîc vnum proponitur, quòd filiusfamilias miles de castrensi peculio disponere, atque adeo etiam testari potest quasi paterfamiliâs: quia in hoc peculio pro patrefamiliâs habetur si tamen intestatus decesserit, pater non fiet ei heres, sed occupabit omne peculium iure patriæ potes-
2 statis. l. 1, & 2. ¶ De peculio & eius speciebus dictum fuit. suprà suo titulo. Castrense peculium definitur in l. castrense. 11. quam definitionem potes facere compendiosiorem hoc modo, castrense peculium est, quod filiusfam. miles ratione militiæ acquisiuit. De militantibus hactenus.

XVIII. *De veteranis.*

VEterani dicuntur, qui legitima viginti annorum stipendia confecerunt. C. de his qui non imple. stipend. sacra. solu. sunt. l. vlt. Sed quia tunc honestè dimitti solent, idcirco veteranus in iure accipitur pro eo qui honestam dimissionem impetrauit, & militi opponitur. ſ. de procur. l. filiusfamiliâs. 8. §. veterani. & de veteran. & mil. succeſſ. in rubr. & Instit. de milit. testam. §. sed hactenus. Postquàm igitur superiori titulo expositum est priuilegium militum, rectè hoc titulo declarantur priuilegia veteranorum.

LIBER L.

TITVLVS I.

Ad municipalem & de incolis.

1 POst iura fiscalia & militaria, rectè ex-
2 plicantur iura municipalia. ¶ Iuris municipalis partes duæ sunt: prima de personis; altera de muneribus & honoribus.
3 ¶ Quod ad personas attinet, olim municipes dicebantur, qui extrinsecùs in ciuitatem Romanam recepti erant, vt munerum cum populo Romano participes essent, suo autem iure, suisque legibus vterentur, coloni verò appellabantur, qui è ciuitate Romana in colonias propagabantur, & iura institutáque omnia populi Romani, non sui arbitrij habebant. Gell. lib. 16. c. 13. vnde municipium à colonia distinguitur in l. eius qui. 27. §. 1. Sed hodie abusiue municipes vocamus;
4 cuiuscúque ciuitatis ciues. l. 1. §. 1. ¶ Municipum duplex est diuisio. Prima diuisio est, quòd aut sunt originarij. C. de munic. orig. siue originales. C. de incol. l. 3. (qui quidem aut nascuntur, aut manumissione vel adoptione fiunt. l. 1. in princ.) alij voluntarij, qui fiunt domicilio. C. de incol. l. 6. (& hi vocantur propriè incolæ. nam incolas domicilium facit. C. eod. l. 5. & l. 7.) aut adlectione. C. de his qui spon. mun. suscep. l. 3.
¶ De origine nota hoc vocabulum interdum sumi la- 5
tè, vt complectatur etiam adoptionem, & manumissionem. d. l. 6. interdum angustè, vt distinguatur non solùm ab adlectione & incolatu, sed etiam ab adoptione & manumissione. l. ordine. 15. §. vltim. & C. de incol. d. l. 7. ¶ De natiuitate nota. I. Filios susceptos 6
ex iustis nuptiis sequi originem patris, spurios originem matris. In vtriusque admittitur exceptio, nisi lege municipali aliter caueatur. d. l. 1. §. qui ex duobus. & l. eius. 9. & ſ. de sta. homin. l. cùm legitimæ. 19. l. lex. naturæ. 24. & C. de munic. orig. l. 3. II. Filium sequi patris originem, non domicilium. l. 6. §. 1. l. libertus. 17. §. patris. III. Eum, qui ex vico ortus est, illud municipium pro patria habere, cui ille vicus respondet. l. qui ex vico. 30. IV. Romam esse communem patriam omnium ciuium Romanorum. l. Roma. 33. V Municipem non posse sua voluntate origini præiudicium facere, siue ab ea eximi. C. de municipib. orig. l. pen. etiamsi in aliam ciuitatem domicilium transferat. C. eod. l. vlt. eum verò, qui senator factus est, originem retinere quod ad honores, non quod munera obeunda. l. municeps. 23. ¶ De manumissione vide. l. 6. §. 7
vlt. l. 7. l. libertus. 17. §. ex causa. l. filij. 22. in princ. & §. municipes. l. municeps. 23. in princ. l. pen. §. 1. & C. de municip. orig. l. 2. & l. vlt. ¶ De adoptione nota I. Ius 8
originis adoptione non mutari, sed vtroque loco muneribus adoptatum adstringi, id est, tam in ea ciuitate ex qua originem ducit, quam in ea cuius per adoptionem ciuis factus est. l. ordine. 15. §. vlt. II. Natum ex adoptato, similiter duobus locis adstrictum esse, hoc est, tam in municipio aui naturalis, quàm adoptiui. l. libertus. 17. §. in adoptiua. III. Eum qui à patre adoptiuo emancipatur, desinere esse eius ciuitatis ciuem, quam per adoptionem adeptus fuerat. l. sed si emancipatus. 16. ¶ De incolis nota I. Eum non esse 9
incolam, qui in agro permanet. l. *civitas*. 35. & C. de incol. l. 3. II. Incolam munera subire, & vbi incola est, id est, quò domicilium transtulit, & vnde originem ducit. l. incola & his. 29. & C. de municip. orig. l. 1. III. Incolam posse renunciare incolatui, vel domicilium aliò transferre, nisi iam ad honorem vel munus vocatus sit; tunc enim priùs honorem vel munus subire, & perficere debet. l. incola iam. 34. & C. de incol. l. 1. IV. Si quis neget se esse incolam, causam agi debere apud præsidem prouinciæ, in qua ad munera vocatur, non ex qua se oriundum contendit. l. pen. in pr.
¶ De domicilio nota I. Posse quempiam domicilium 10
statuere vbicumque velit, nisi quo loco sit ei interdictum. l. nihil. 31. & posse regulariter pro libitu mutare ac transferre, vt paulò ante notaui, transferri autem domicilium re & facto, non nuda contestatione. l. domicilium. 20. II. Posse aliquem habere domicilium vel vno loco, vel multis locis. l. 5. l. 6. §. pen. l. eius qui. 27. §. Celsus. vel sine domicilio esse. d. §. Celsus. III. Non constitui domicilium nec incolatum sola ædium aut fundi emptione. C. de incol. l. 4. ¶ Specia- 11
liter de domicilio senatoris vide l. vlt. C. eod. militis. l. municeps. 23. §. 1. studiosi. C. de incol. l. 2. mulieris. l. filij. 22. §. 1. l. ea quæ. 32. l. pen. §. vlt. & l. vlt. §. item rescripserunt mulierem. & C. de incol. l. vlt. relegati. d. l. eius. qui. §. vlt. filiifam. l. 3. l. 4. & iura suprà citata de filiis adoptiuis, & de filiis libertorum. ¶ Tandem ad 12
rubricam nota, cùm hic titulus inscribatur, *ad municipalem & de incolis*, intelligi legem municipalem: & ideo nominatim adiici *de incolis*, quia incolæ non sunt propriè municipes, vt suprà docui. Exposita est prima municipum diuisio.

II. *De*

BIU Cujas

II. *De decurionibus, & filiis eorum.*

1 SEcunda diuisio est, quòd municipes aut sunt cu-
2 riales seu decuriones, aut plebeij. ¶ Nota primò curiam esse senatum municipalem: & decuriones esse senatores municipales. Non tamen propriè dicuntur senatores. C. h.t. l.omnes.33. sed latiùs sumpto vocabulo: secundum quam significationem duplex est senatus: nempe maior seu maximus, qui est Romæ.C. eo. l. vlt. vers. aliis autem modis. & minor, qui est in aliis ciuitatibus. Nou. Maioria. de curialib. Cassiod.
3 lib.9.cap.2.in fin. ¶ Nota secundò decuriones(vt quibusdam placet) ex eo dictos esse, quòd olim, cùm coloniæ deducerentur decima pars eorum qui ducebantur, consilij publici gratiâ conscribebatur. ĩ. de verb.
4 sign.l.pupillus.239.§.decuriones. ¶ Nota tertiò decurionum ordinem tolli à Leone Nou. 46. sed hæ Nouellæ nõ sunt in nostris foris receptæ. ¶ Nota quartò
5 decuriones & eorum liberos multis priuilegiis frui,veluti ne torqueãtur.l.vlt. & ne certis pœnis afficiãtur.ĩ.
6 de pœn.l.moris.9.§.istæ.& §.seq. ¶ Nota quintò decurionibus honores mãdari,& onera imponi.l.7.in prin.

III. *De albo scribendo.*

NOta sextò decurionum nomina in albo seu matricula inscribi, vel secundum legem municipalem,vel(ea cessante) eo ordine, quo quisque maioribus honoribus functus est.l.1.& 2.Hæc tamen descriptio non facit decurionem, si quis contra legem decurio creatus sit. ĩ.tit.prox.l.Herennius.10. De personis municipalibus hactenus.

IV. *De muneribus & honoribus.*

1 SEquitur vt videamus de muneribus & honoribus,
2 Primùm in genere, deinde in specie. ¶ Munus, publicum,& munus ciuile,pro eodẽ accipiuntur.l.vlt.
3 §.hæc omnia. ¶ Hoc autẽ est officiũ priuati hominis, ex quo cõmodũ ad singulos, vniuersósq; ciues, rémq; eorũ imperio magistratus extraordinariũ peruenit, vt Pomponius definit. ĩ.de verb. signif. l. pupillus 239.§. munus. Ait *officium*, latè sumo hoc vocabulũ: ne distinguatur ab onere,vt in l.munus trib. 18. ĩ.eod. tit.quia munera, de quibus loquimur, onera sunt. Ait *priuati hominis*.Hinc seiungitur munus ab honore. Ait,*ex quo commodum ad singulos vniuersósq; ciues*. Quædã munera publica vniuersis prosunt,vt viarum munitio,& disciplinæ publicæ correctio,l.honor.14.§.viarũ. l. muneriũ.18.§.hierenarchę.quædã singulis,vt tutela,vel cura: quæ est quidem munus publicum.l.1.§.vlt.& Instit.de excusat.tutor.in pr.nõ tamen est munus reipublicæ.ĩ. eod.l.6.§. tutela. vbi pro *prouinciale*, non dubito quin legendum sit *patrimoniale*. Ait *rémque eorum*. vniuersorum scilicèt aut singulorum. nam exactio tributorum rempublicam auget: quod munus patrimoniale est. l. 3.§. exactionem. sed tutela vel cura rei priuatæ pupilli vel eius qui in curatione est, sine dubio prodest. Ait *imperio magistratus*. respicit ad id, quod plerumque accidit. ceterum munera obimus aut lege,aut consuetudine, aut imperio eius qui iubendi potestatem habet. ĩ.de verb. signif. l.munus propriè.214. Ait *extraordinarium*. Quidam legunt *extraordinario*, vel *extra ordinem*,vt referatur ad imperium magistratus,quia magistratus extra ordinem munera iniungit. Ego retineo lectionem Florentinam,secundum quam vocatur commodum extraordinarium, quod munera ob-
4 euntes præstãt singulis aut vniuersis ciuibus. ¶ Munus diuiditur I. In publicum & priuatum. Publicum est,quod in administranda republica cum sumptu sine titulo dignitatis consistit. l. honor. 14. §.1. Priuatum autem est,quod in administratione rei priuatæ cernitur,vt tutela & cura. Nota munus publicum esse verbum anceps. nam vel publicum dicitur, eò quòd auctoritate publica imponitur, in qua significatione suprà dicebam omne munus esse publicum: vel quia in rei publicæ administratione versatur, in qua significatione sumitur in d. §. 1. Quare tutela & cura sunt muneta publica in priori, non in posteriori significatione, vt suprà docui. II. In personale, patrimoniale, & mixtum.l.vlt.in pr. Personale est,quod animi vigilantiâ, & corporali labore, sine sumptu & sine gerentis damno perpetratur.l.1.§. illud. & d.l.vlt. §.1. vnde etiam vocatur munus corporale.l.3. §.corporalia. & l. 4.§.pen. vt tutela, cura. d.l.1. §.vlt. iudicis functio.d.l. vlt.§. iudicandi. Patrimoniale munus est, quod sumptu patrimonij & detrimento administrantis expeditur. d.l.vlt.§.patrimoniorum sunt, vt hospitij præbitio. d.l.3.§.munus hospitis. Mixta sunt, quæ & corporali ministerio geruntur, & detrimentum gerentibus inferunt, vt tributorum exactio. d.l.vlt.§.mixta. Hæc tripertita munerum distributio potest reduci ad bimembrem, vt dicantur alia esse munera patrimonij, alia personalia: & patrimonij munus dicatur, in quo sumptus maximè requiritur,etiamsi ministerium quoque aliquod adhibeatur. l.1.in princ. & §.pen. & l.6.§. sciendum. ¶ Patrimonialia munera subdiuiduntur in 5
duo genera. nam quædam possessoribus ædium vel agrorum iniunguntur, alia solis municipibus imponuntur.d.l.6.§.pen. & d.l. vlt.§. patrimonium autem. ¶ Honor municipalis est administratio reipublicæ 6
cum dignitatis gradu, siue cum sumptu,siue sine erogatione contingens. l. honor. 14. in pr. ¶ Nota pri- 7
mò honorem sustinenti, munus deferri non posse: munus sustinẽti, honorem deferri posse.l.honorẽ.10. ¶ Nota secundò munera subiri tam in loco originis, 8
quàm in loco domicilij. l.3. in pr. ¶ Nota tertiò ho- 9
nores gradatim deferendos esse, non per saltum. l. vt gradatim.11.in pr. & d.l.honor.14.§.pen.

V. *De vacatione, & excusatione munerum.*

NOta quartò munera & honores etiam inuitis iniungi,nisi qui sint immunes. Immunitas est vacatio muneris à iure, vel à principe concessa. Excusatio autem est causa immunitatis seu vacationis. Sed immunitas à muneribus quæ possessoribus imponuntur,nemini conceditur ĩ.ti.prox.l.vlt.§.ab huiusmodi.

VI. *De iure immunitatis.*

NOta quintò iura immunitatis non adiuuari interpretatione, sed strictè accipi. Vnde si cui vacatio munerum concessa sit,non propterea recusare magistratus poterit, quia magistratus non est munus, sed honor. ĩ.de muner. & honor.l. cui muneris. 12. Item personis datæ immunitates, ad heredes non transmittuntur.l.1.§.1. Hæc dicta sint de muneribus in genere. Deinceps præcipua quædam munera specialiter declarabuntur.

VII. *De legationibus.*

PRimum munus est legatio.Nam legatio est munus 1
legati.legatus autem est, qui publicè à principe vel à repub.mittitur, vt publicum negotium eius nomine expediat. ¶ Legatos à legando dictos esse,quia publi- 2
cè leguntur,id est,eliguntur, tradit Varro lib.4.& 5.de lingua Latina. ¶ Legatorum diuisiones hæ notentur. 3
I. Alij sunt legati nationum. Varro dicto libro 4. vt hostium.l.vltim.alij legati principis. ĩ.qui testam.fac. poss.l.qui à latronibus.13.§.1.vt olim populi Romani. ĩ.de rer.diuis. l.sanctum.8.§.1. Alij legati municipales

BIU Cujas

vel ad principem.l.5.& C.eod.l.3.penult.& vlt.& ſ.de muner.& honor.l.vlt.§.legati.vel ad præſidem. l.4.§.ſi accuſatio. hic autem titulus eſt de legatis municipalibus. II. Alia eſt legatio neceſſaria, quæ reipub. causâ ſuſcipitur: alia legatio libera, quæ proprij commodi causâ ſuſcipitur. l. quod libera.14. Cic. lib.3. de legib. III. Aut eſt vnus legatus, ſiue vnius, ſiue plurium legationum.l.pen.in princ. aut plures legati vnius legationis.l.2. §.pen. Sed edicto Veſpaſiani cautum eſt, ne ciuitas plures quàm tres legatos mittat. l. 4. §. vltim. IV. Aut eſt legatio gratuita,aut non gratuita.l.2.§.vlt. l.ſi abſenti. 11. Gratuita eſt,quam quis ſuo ſumptu peragendam ſuſcipit. non gratuita, ex qua legatiuum, id eſt viaticum accipit. d.l.2. §.vlt. & ſ. de muner. & honor. l. vlt. §. legati. quod legato in legationis munere defuncto ab heredibus eius non reſtituitur. l. legatus. 10.§.1. Ac illi quidem,qui gratuitam legationem ſuſceperunt, per alium, qui vicarius appellatur, hoc munus obire poſſunt.d.l.ſi abſenti.in princ.qui verò legatiuum accipiunt, alios quàm filios ſuos, vicarios dare non poſſunt.d.l.4.§.legati.

VIII. *De adminiſtratione rerum ad ciuitatem pertinentium.*

1 SEcundum munus eſt adminiſtratio rerum ad ciuitatem pertinentium. quod quidem multiplex eſt, quia non ſolent omnia vni committi. Idcirco varia ſunt adminiſtratorum nomina: vt curator reipublicæ, l.2. §. grani.l.3.§. filium. curator Kalendarij. ſ.de muner.& honor.l.vlt.§.Kalendarij.alij habent curam annonæ,vt iuſto pretio vendatur.d.l.vlt.§.qui annonam. alij curam emendi frumenti, olei, &c. ead. l. §. cura.
2 ¶ Nota primò hos teneri rationem adminiſtrationis ſecundum fidem datorum & acceptorum reddere. d. l. 2. §. quod de frumentaria. ita vt dolum & culpam præſtent.l.6. ſed ob culpam in ſimplum, ob dolum in duplum damnãtur. nec pœna in heredes eorum tranſit. l. vlt. §. item reſcripſerunt curatores. ¶ Nota ſecundò eos vſuras quoque pecuniæ,quæ apud ipſos remanſit,reipublicæ debere: ſed pecuniæ, quæ à redemptoribus operum non poteſt exigi, ſortis dumtaxat
4 periculum præſtare.d.l.vlt.in princ. ¶ Nota tertiò hos exemplo tutorum teneri, ita vt priùs conueniatur,qui geſſit, eiúſque fideiuſſor; deinde in ſubſidium conueniatur eius collega.l.2. §. ius reipublicæ.§. idem ex eadem.& §. ſeq. l.3. in princ. ſed ei, qui pro collega ſuo ſoluit, contra illum eiúſque heredes actio decernitur ex bono & æquo ad repetendum quod ſoluit. d. l.2.§.
5 actio. & §. ſeq. ¶ Nota quartò pecuniam alicui vſui deſtinatam, regulariter non debere in alios vſus conuerti.l.1.l.2.§.quod de frumentaria.l.5.§.1. quandoque tamen hoc vtilitatis causâ permitti. ĩ.de operib.publi. l.vlt.in princ.

IX. *De decretis ab ordine faciendis.*

1 NOta quintò de rebus ciuitatis ſolere decreta ab
2 ordine decurionum interponi. ¶ Sed vt hæc decreta valeant, duo requiruntur. I. Vt legitimus decurionum numerus adfuerit. l.2.id eſt, minimùm duæ decurionum partes. l. 3. II. Ne ſit decretum ambitioſum, quod in gratiam alicuius priuati nihil tale merentis factum ſit, ſed ad publicam vtilitatem reſpiciat. l.4. In cuius legis.§.1.pro *alicuius*, ſcribendum *alicuIus*,
3 & legendum alicui ius. ¶ Quod autem ſemel ordo legitimè decreuit, retractari non debet.l.pen.

X. *De operibus publicis.*

1 GEnerali tractatui de rerum ciuitatis adminiſtratione ſubiicit titulum ſpecialem de curatione operum publicorum. ¶ Nota primò redemptorem 2
operis curatori, hunc autem reipublicæ teneri.l.2.§.1. Hic eſt,qui vocatur pater ciuitatis in l.vn.C.de ratioc. ope.publ.Cuiac.ad l.3.C.de iis qui ſpon,mun.ſuſcep.l. 3. & Obſeru. lib.10. cap. 30. Redemptores ſunt, qui opus ſuâ materiâ faciendum conducunt. ſ. de rei vindic. l. redemptores. 39. in princ. Gallicè *à prix faict*.
¶ Nota ſecundò nouum opus publico ſumptu fieri 3
non poſſe ſine permiſſu principis:priuato autem ſumptu fieri poſſe etiam inconſulto principe, niſi ad æmulationem alterius ciuitatis pertineat, vel materiam ſeditionis præbeat, vel circus, vel theatrum vel amphyteatrum ſit. l. 3. in princip. vbi pro *circum* lego *circus*.
¶ Nota tertiò,ei, qui pecuniam in opus publicum im- 4
pendit, pro præmio concedi, vt ſuum nomen operi inſcribat, cùm aliàs ſolius principis nomen inſcribi poſſit.l.2.in princ.& §.vlt.l.3.§.vlt.l.4.l.vlt.§.1.

XI. *De nundinis.*

TErtium munus eſt cura nundinarum. Dicere poſ- 1
ſumus nundinas eſſe magnos mercatus,& mercatus eſſe paruas nundinas. ¶ Nota primò non eſſe cui- 2
libet ciuitati ius nundinarum, ſed eſſe hoc à principe impetrandum. C. h. tit. l. vn. impetratum autem non vtendo per decennij tempus amitti.l.1. ¶ Nota ſecun- 3
dò eos qui veniunt ad nundinas, non poſſe priuati debiti antea contracti nomine conueniri.d.l.vn.

XII. *De pollicitationibus.*

QVartum munus eſt exactio pollicitationum rei- 1
pub. factarum. ¶ Pollicitatio eſt ſolius offeren- 2
tis promiſſum:ideóque differt non ſolum à contractu, ſed etiam à pacto, quod eſt duorum pluriúmve conſenſus atque conuentio. l. 3. in pr. eadémque ratione 1
differt à conſtituto: nam cõſtitutum eſt ſpecies pacti. 3
¶ Ex pollicitatione regulariter non datur actio. Sed fauore reipublicæ placuit pollicitationem reipubl. factam recuſari non poſſe. ſ.de muner.& honor.l.6.§.1. verſ.ſed etſi. dummodò vel ex iuſta cauſa quis promiſerit, putà ob honorem ſibi decretum, vel decernendum:aut res non ſit integra, quia opus ſit inchoatum, in cuius gratiam pollicitatio facta eſt. l. 1. §. 1. & ſequentibus. Pollicitatio quoque Deo facta, quæ votum appellatur,tenet,ſi aut à patrefamilias pubere,aut à filiofamilias vel ſeruo conſenſu patris vel domini facta ſit.l.2.

XIII. *De extraordinarijs cognitionibus & ſi iudex litem ſuam feciſſe dicatur.*

QVintum munus eſt iudicandi neceſſitas, quod 1
inter munera perſonalia refertur. ſ. de munerib. & honor.l.vltim. §. iudicandi. ¶ Nota prætorem vel 2
præſidem aut extra ordinem cognoſcere, vt de mercedibus, ſalariis, & honorariis. l.1. aut iudicem dare. Hic ſi male iudicet, litẽ ſuam facere dicitur. & ſi quidem per imprudentiam id fecerit, ex quaſi delicto tenetur actione in factum,& arbitrio de ea re iudicantis punitur.l.vlt.& ſ. de oblig. & act.l.5.§. ſi iudex. & Inſtit.de oblig. quæ ex qua. del. in pr. Sin autem dolo malo id fecerit, veram litis æſtimationem præſtare cogitur, & infamiâ notatur. ſ. de iudic.l.filiusfam.15. §.1.& C.de pœ. iud. qui malè iud.l.2. ſed filiusfamilias iudex non tenetur vltra quantitatem,quæ tunc in peculio erat, cùm ſententiam dicebat. d. l. filiusfamilias. §. 1.

XIV. *De proxeneticis.*

INter cognitiones autem præſidis extraordinarias 1
refertur cognitio de proxeneticis.l.vlt. ¶ Proxene- 2
ticum

BIU Cujas

ticum est pretium proxenetæ. Proxeneta est media-
3 tor, cuius opera contractus aliquis perficitur. ¶ De hoc autem contractu, quem ipse conciliauit, proxeneta testimonium dicere non potest, nisi vtraque parte consentiente. Nou. 90. c. 8.

XV. *De censibus.*

1 SExtum munus est censitoris, cui cura census in-
2 cumbit. l. 4. §. 1. ¶ Censum definio, ciuium. l. 3. in pr. & bonorum ad ipsos pertinentium. l. 4. descriptio-
3 nem publicam. ſ. de probat. l. census. 10. ¶ In describendis personis notatur ætas, & sexus. l. 3. in pr. In describendis fundis notatur nomen cuiuscumque fundi, & in qua ciuitate aut pago sit, & quos proximos vicinos habeat, & eius qualitas & quantitas. d. l. 4. in prin.
4 ¶ Hæc ideo, quia tributa præstantur vel pro modo patrimonij, vel pro capite, nisi ætas vel immunitas aliquem excuset. d. l. 3. in pr. l. vlt. §. Diuus. & ſ. de pact. l. inter. 42. & l. epistola. 52. §. pactum. & de ann. lega. l. liberto. 21. §. vlt. vers. à te peto. & de vsu & vsufr. lega. l.
5 generali. 32. §. vlt. vers. item quæsitum. ¶ Fuerunt autem apud Romanos variæ classes pro diuersitate patrimonij & census. Nam Ser. Tullius ciues Romanos in sex classes distribuit: in primam eos contulit, qui centum millia æris, aut plus obtinerent: in secunda eos posuit, qui intra centum vsque ad quinque & septuaginta millium centum haberent: in tertia eos collocauit, qui quinquaginta millia possiderent: ad quartam retulit centum viginti quinque millium: quinta fuit vndecim millium: in sextam relati sunt proletarij, & capite censi. Proletarij dicebantur, qui non amplius mille quingentum æris in censum deferebant. Capite censi vocabantur, qui nullo aut per quàm exi-
6 guo censebantur. Gell. lib. 16. cap. 10. ¶ Dixi de censibus, prout census hoc titulo sumitur. In alia significatione census accipitur pro patrimonio. ſ. ad Trebel. l. cogi. 16. in princ. & C. de episcop. audient. l. de creationibus. 27. vers. sin autem non talis, sic Ouidius accipit illo loco,

——Dat census honores
Census amicitias.——

In alia significatione accipitur pro annua pensione. j. quæst. 3. c. quæsitum. 4. in fin. in qua significatione sumitur in tit. ext. de censibus. Absolutus est tractatus de iure municipali.

XVI. *De verborum significatione.*

1 POstquàm dictum est de iure, ac de personis, & de rebus, & expositæ sunt tres iudiciorum diuisiones; quarum prima fuit in decreta senatus, iurisdictionem arbitriũ (de quibus in prima parte) & iudicium propriè dictum (de quo in secunda parte) altera in iudicium personale ex contractibus realibus (de quibus in tertia parte) vel ex eorũ accessionibus vel ex contractibus personalibus (de quibus omnibus in quarta parte) vel ex successione siue ciuili testamentaria (de qua in quinta parte) siue prætoria siue legitima, vel ex damno infecto, vel ex causa vectigalis, vel donationis; & præiudicium, quod est de statu hominis, & iudicium petitorium, & possessorium (de quibus omnibus in sexta parte: tertia in iudicium priuatum & publicum, de quibus in hac septima parte: his omnibus expositis, compositores Pandectarum, vt colophonem operi imponant, duplicem epilogum subiiciunt. Primus est verborum, quibus in iure passim vtimur. horum enim significationes proponuntur; ne quis in his accipiendis erret. ¶ Verborum appella- 2
tione significantur, non solùm simplicia vocabula, vt *vrbs*, *Roma*. l. 2. *res*. l. 5. *sponsio*. l. 7. &c. sed etiam orationes, vt, *Mihi heredique meo*, *Tibi heredique tuo*. l. coniunctionem. 29. *Cui rei dolus malus aberit, abfuerit*. l. hæc verba. 69. *Quisquis mihi heres erit, idem filio meo heres esto*. l. sciendum. 70. in prin. Is ad quem ea res pertinet. ead. l. §. 1. & multa alia. ¶ Significatio verborum sumitur 3
vel ex communi vsu loquendi, vel ex proprietate sermonis, vel ex intentione proferentis. ſ. de lega. iij. l. non aliter. 69. in princ. & de instruc. & instrum. lega. l. cùm de lanionis. 18. §. item caccabos.

XVII. *De diuersis regulis iuris antiqui.*

SEcundus est epilogus rerum, qui ex regulis iuris 1
conficitur, & merito in extremum locum reiectus est, quia regula non facit ius, sed ex iure colligitur, rem (id est, decisionem iuris) breuiter enarrans. l. 1. ¶ Regula igitur est iuris decisio, multos casus breui- 2
ter complectens. & propriè regula est, quæ plerumque obtinet, vt, *Femina remouetur ab officijs ciuilibus*. l. 2. *Non debet cui plus licet, denegari quod est minus*. l. non debet. 21. Exceptio autem est, quæ in paucis casibus vitiat regulam, vt, *Mater, vel auia potest esse tutrix*. Nou. 118. c. 5. quamuis tutela sit munus virile. C. quan. mul. tut. off. l. 1. Item, *præses potest gladio aliquem punire*. ſ. de pœn. l. aut damnum. 8. §. 1. *non deportatione*. ſ. eod. l. 2. §. 1. & de interdi. & releg. l. 6. §. 1. licèt pœna gladij sit maior deportatione. Idcirco in iure particula *plerumque*, significat regulam: particula *aliquando*, exceptionem. Cum autem duæ sunt contrariæ regulæ; quarum vtra pluribus casibus obtineat, non facilè apparet, veluti; *Plus valet, quod in veritate est, quàm quod in opinione*. Institut. de legat. §. si quis rem suam. *Plus valet, quod est in opinione, quàm quod est in veritate*. ſ. de acquir. hered. l. is qui putat. 15. tunc non sunt propriè regulæ, à Doctoribus autem appellantur brocardica: qualia sunt, quæ Azo collegit. ¶ Porrò hic titulus 3
est *de diuersis regulis iuris antiqui*, diuersæ vocantur, quia ex diuersis partibus iuris desumptæ sunt. ius antiquum hoc loco dicitur, non quod antiquatum est, sed quod in veterum Iureconsultorum libris continetur: quomodo accipitur etiam ius vetus in rubr. C. de vet. iure enucl. & vetus prudentia in proœm. Instit. §. & cùm sanctissimas. vel antiqua prudentia. C. de furt. l. penult. in princ. Hucusque tituli Pandectarum: transgrediamur ad titulos Codicis eadem methodo enarrandos.

***

BIU Cujas

I. PACII A BERIGA I. C.

ISAGOGICORVM IN CODICEM PRAEFATIO.

DECVRSIS *quatuor libris Institutionum, quos Iustinianus quatuor elementa appellat, & septem partibus Pandectarum, quasi septem cœli planetis, adscendamus ad Codicem Imperialium Constitutionum, multis titulis, qui quasi stellæ in octaua sphæra fulgent, ornatum ac distinctum: cui Nouellæ constitutiones titulis destitutæ, non aliter accedunt, quàm octauæ sphæræ primũ mobile astris carens.* ¶ *Codex dicitur κατ' ἐξοχὴν: quia præstãtissimus liber iuris est, siue materiã spectes, quia maximè decisiones practicas, & ius quoque sacrum in Institutionibus ac Digestis prætermissum continet: siue ad causam efficientem respicias; quia singulæ leges in hoc opus relatæ, ab Imperiali maiestate profectæ sunt.* ¶ *Diuiditur in duodecim libros, vt octaua sphæra, cui eam comparauimus, in duodecim signa Zodiaci.* ¶ *Scriptus est autem ferè eadem methodo, qua Pandectæ. nam generalia capita sunt eodem ordine dispositа: sed particulares quidam tituli alium locum acceperunt. neque hoc perperam factum est: quoniam idem tractatus sæpe ad multas iuris partes pertinet.*

LIBER I.

HIc primus liber proportione respondet primo libro Digestorum: sed initio præmittitur ius sacrum ex Christianorum principum constitutionibus sumptum, quod ex Iureconsultorum, qui omnes fuerunt ethnici, commentariis accipi non potuit: & interiicitur tractatus de rescriptis principum. Sunt igitur huius libri partes quatuor: prima de his, quæ ad religionem pertinent: secunda de iure, & legibus: tertia de rescriptis: quarta de magistratibus, & aliis personis, quæ circa eos sunt.

TITVLVS I.

De summa trinitate, & fide catholica, & vt nemo de ea publicè contendere audeat.

NOn potuit illustrius iuris initium poni, quàm fides catholica, & cetera ad ius sacrum pertinentia, ad cuius normam omnia iura sunt examinanda, & eatenus probanda, quatenus diuino & sacro iuri non repugnant, sed consentanea sunt. ¶ Huius sacri iuris expolitio quadripertita est. Prima pars est de fide catholica, id est, quam ecclesia catholica amplectitur & probat. Eius autem obiectum est summa trinitas: id est, Deus essentia vnus, personis trinus. Ipsa fides ab Apostolo definitur *Rerum, quæ sperantur, hypostasis, & earum, quæ non videntur, elenchus.* ad Hebr. cap. 11. ver. 1. Per fidem enim repræsentantur & consistunt, quæ nondum sunt: ac liquidò demonstrantur, quæ nec sensu, nec humanã ratione percipiuntur, vt mortuorum resurrectio, & extremum Dei iudicium. Alias fidei significationes, quoniam in Methodico tradidi, hoc loco frustra non repetam. ¶ De his, quæ ad fidem pertinent, non est publicè disputandum: quia si quid dubium videtur, sacrorum conciliorum, & ecclesiæ iudicio terminatum est, omnésque fideles debent huiusmodi determinationi, diuini spiritus impulsu factæ, non minùs ore quàm corde assentiri, nullóque modo eam in dubium reuocare. l. 4. Non debet, inquam, de fide publicè disputare, id est, coram populo, & (vt dicitur in ead. l. 4.) turbis coadunatis & audientibus: quod perfidiæ & tumultûs occasionem præbet. ceterùm in scholis doctè, prudenter, & (vt euidentiùs dicam) theologicè ad instruendam iuuentutem, quò magis paganos, Iudæos, hæreticos redargui possint, etiam de articulis fidei licet disserere, non vt humanis rationibus confirmentur, sed vt diuinitùs comprobati, humanam rationem sibi subiiciant.

II. *De sacrosanctis ecclesiis & de rebus, & priuilegiis earum.*

SEcunda pars est de personis & rebus ecclesiasticis. ¶ Personarum ecclesiasticarum cætus seu collegium appellatur ecclesia. l. sacrosancta. 8. quæ & conuentus sacerdotalis dicitur. l. 6. & sanctissimum, catholicum, venerabiléque concilium. l. 1. Alibi latiùs accipitur pro omnium catholicorum collectione. de consecr. dist. 1. c. ecclesia. 6. Alibi pro templo seu basilica, quæ catholicorum cœtum continet. ff. tit. prox. l. conuenticula. 15. l. Στασιάζομεν. 46. in princ. & d. dist. 1. c. nemo. 7. c. ecclesias. 11. c. ecclesiæ. 16. c. ecclesiis. 18. cum sim. ¶ Res ecclesiasticæ sunt, vt templa, altaria, sacra vasa, sacræ vestes, martirum reliquiæ. Sunt etiam ecclesiæ prædia, & res mobiles, de quibus omnibus hoc titulo agitur. ¶ Priuilegiorũ alia sunt omnibus ecclesiis communia; vt immunitas, id est, vacatio à muneribus sordidis, & extraordinariis. l. 5. alia quarundam ecclesiarũ propria, veluti vt ecclesia Romana sit omniũ ecclesiarum caput. ff. tit. prox. l. pen. in pr. & l. vlt. in pr.

III. *De episcopis, & clericis, & orphanotrophis, & xenodochis, & brephotrophis, & ptochotrophis, & ascetriis, & monachis, & priuilegiis eorum, & quasi castrensi peculio, & de redimendis captiuis, & de nuptijs clericorum vetitis, seu permissis.*

PErgit in tractatu de personis, & rebus ecclesiasticis, & in primis agit de episcopis. Episcopus dicitur

tur περὶ τὸ ἐπισκοπεῖν, quod est speculari, siue explorare; quia subditorum mores & vitam explorat. dist. 21. c. cleros. vers. episcopi. Idem vocatur Antistes. l. parabolani. 18. l. si qua per calumniam. 22. in pr. l. cum clericis. 25. §. 1. cum sim. quia ante ceteros sacerdotes stat. d. c. cleros. vers. antistes. & pontifex. ō. de sum. trin. l. 1. quasi princeps sacerdotum. d. c. cleros. vers. pontifex. & præsul. dist. 21. in princ. & κατ' ἐξοχὴν sacerdos. l. 7. l. si quis in hoc. 10. l. quicumque. 14. l. parabolani. 18. l. omnes. 33. vel Christianos. j. tit. prox. l. 1. l. Christianos. 11. & de postlim. reuer. l. vlt. vers. & vt facilis. 2 ¶ Olim iidem erant episcopi & presbyteri: sed postea, vt schismata vitarentur, vnus ex presbyterorum numero est electus, qui ceteris præesset: túncque hi presbiterorum appellationem retinuerunt: illi verò est episcopi nomen attributum. d. c. cleros. vers. vnde & apud. & dist. 95. c. olim idem. 3 5. ¶ Episcoporum ordo est quadripertitus. Nam quidam simpliciter episcopi in maioribus ciuitatibus præsunt supra hos sunt metropolitani, qui in singulis prouinciis eminent supra metropolitanos sunt archiepiscopi, qui tam metropolitanis, quàm ceteris episcopis præsunt. supra archiepiscopos sunt patriarchæ. d. c. cleros. qui & primates nominantur. dist. 99. in pr. Inter quos primum locum tenet Romanus pontifex, cui soli hodie nomen Papæ tribuitur, cum olim omnes sacerdotes appellarentur Papæ: secundum Constantinopolitanus: tertium Alexandrinus: quartum Antiochenus: quintum Hierosolymitanus. ō. de sum. trin. l. pen. in princ. & l. vlt. in princ. & No. 131. c. 2. & dist. 22. Alij sunt inferiores patriarchæ, vt Aquileiensis, Cantuariensis, Bituricensis, qui propriè archiepiscopi nominantur glo. in d. c. cleros. §. ordo in ver. archiepiscopis. Hęc dicta sint de episcopis. 4 ¶ Consequenter agitur de clericis. Clerici sunt, qui in ecclesia Christi deseruiunt. d. c. cleros. vers. generaliter. vel, qui diuino cultui ministeria religionis impendunt. C. Th. h. t. l. 2. 5 ¶ Clerici dicuntur ἀπὸ τοῦ κλήρου, id est, à sorte, vel hereditate: quia de sorte Domini sunt, & Matthias Apostolus sorte electus est: vel quia Dominus est eorum portio & hereditas. d. c. cleros. in pr. Ergo etiam episcopi clericorum appellatione continentur. l. quisquis censibus. 16. d. c. cleros. vers. generaliter. sed hoc tit. clericorum vocabulum videtur angustiùs accipi pro iis personis ecclesiasticis, qui episcopo subsunt. 6 ¶ Clericorum alij sunt in maioribus, alij in minoribus ordinibus. Qui sunt in maioribus ordinibus, partim sunt sacerdotes, nempe episcopi, & presbyteri: partim sunt in sacris, nimirum diaconi, & subdiaconi. In minoribus autem ordinibus sunt acoluthi, exorcistæ, lectores, ostiarij. l. 6. quib. adduntur psalmistæ seu cantores. & d. c. cleros. & dist. 23. c. psalmistæ. 21. & dist. 25. c. perlectis. vers. ad psalmistam. Sunt & alij, qui minùs propriè vocantur clerici, & à clericis propriè dictis seiunguntur, videlicèt copiatæ seu collegiati seu decani. C. Th. de lustrali collat. l. 1. parabolani. l. placet. 17. & l. seq. & l. si qua per calumniam. 22. §. 1. ecclesiæ defensores. l. omnes. 33. §. in hac autem. l. repetita. 41. l. omnem adhibentes. 42. §. præterea sancimus. 9. & j. de testam. l. consulta. 23. & visitatores. dist. 8. c. non debere, qui in d. l. omnem adhibentes. § præterea sancimus. appellantur περιοδευταὶ, id 7 est, circuitores. ¶ Presbiteri, id est, seniores dicuntur, non tam ab ætate senili, quàm ab honore & dignitate, quam acceperunt. hi namque sunt sacerdotes, quia sacra dant, vt episcopi: sed neque chrismate frontem signant, neque spiritum paracletum dant, quoniam hæc sunt episcopis reseruata. d. c. cleros. §. presbyter. Ex horum numero est, qui ceteris præest, & vocatur archipresbyter. dist. 25. c. dilectis. §. archipresbyter. ¶ Diaconi Græco, ministri Latino vocabulo nuncupantur: quia vt ad sacerdotes consecratio, ita ad diaconos ministerij dispensatio pertinet vnde etiam Leuitæ nominantur, quia instituti sunt exemplo Leuitarum, qui in veteri ecclesia sacerdotibus ministrabant. d. c. cleros. §. Leuitæ. Hi debent obedientiam presbyteris, vt presbyteri episcopo. dist. 93. c. diaconi septem. 12. Ac dicuntur esse quasi oculi episcopi, perscrutantes singula, quæ in ecclesia fiunt, & custodientes episcopum ab insidiis. ead. dist. c. diaconi ecclesiæ. 6. & c. diaconi qui. 11. Ex his vnus eligitur, qui ceteris & subdiaconis præest, ac vocatur archidiaconus. Nou. 123. c. 3. & d. dist. 25. c. perlectis. §. archidiaconus. & archipresbyterum quoque sibi subiectum habet. d. c. perlectis. §. archipresbyter. ¶ Vt diaconi 9 sacerdotibus, ita subdiaconi diaconis assistunt & ministrant. d. c. perlectis. §. ad subdiaconum. & §. seq. ¶ Acoluthus παρὰ τὸ ἀκολουθεῖν, quod est sequi, quasi 10 pedisequus vocatur à Iustiniano No. 59. in iure autem Pontificio appellatur acolytus, quasi non prohibitus: quia etsi sacra ministeria non peragebat, tamen cùm ministeria quædam præberet, adesse non prohibebatur, Latinè ceroferariasdicitur, quia cereum portat, & luminaria præparat: sed & suggesta pro eucharistia subdiaconis præparat. d. c. cleros. §. acolyti. & d. c. perlectis. §. ad acolytum. ¶ Exorcista Græcè, adiurans 11 Latinè dici potest, qui nomen domini Iesu inuocat super catechumenos, & super eos qui habent spiritum immundum. d. c. cleros. §. exorcistæ. & d. c. perlectis. §. ad exorcistam. Cathecumeni dicuntur, qui nondum sunt baptizati, sed in religione instituuntur, baptismum susceperuri. ¶ Ad lectorem seu pronunciatorem 12 pertinet lectiones pronunciare, & voluntatem Dei populo prædicare. d. c. cleros. §. lectores. & d. c. perlectis. §. ad lectorem. ¶ Ostiarius, id est, ianitor claues 13 habet ecclesiæ, quam aperit, & claudit: & quæ intus sunt, custodit: fideles recipit, excommunicatos & infideles excludit. d. c. cleros. §. ostiarij. & d. c. perlectis. §. ad ostiarium. ¶ Ad psalmistam seu cantorem pertinet 14 officium canendi. d. c. cleros. §. lectores. & dist. 23. c. psalmista. 21. & dist. 25. d. c. perlectis. vers. ad psalmistam. Cantorum duo sunt genera. nam qui vocem in cantu præmittit, cantor nominatur, qui voce subsequenter canendo respondet, succentor appellatur. d. vers. cantor. ¶ Decani seu collegiati seu copiatæ (tot 15 enim nominibus appellabantur) ad ecclesiæ Constantinopolitanæ obsequia, præsertim ad curanda funera deputari erant. Nou. 43. & 59. ¶ Parabolani, sic dicti, 16 quod in pericula se facile coniicerent, ad curandos ægrotos deputabantur. l. parabolani. 18. ¶ Ecclesiæ 17 defensores œconomis res ecclesiasticas administrantibus præerant. l. omnes. 33. §. hoc nihilominùs. ¶ Vi- 18 sitatores, seu periodeutæ, id est, circuitores, in vicis & castellis constituuntur, vbi episcopi esse non possunt. dist. 80. c. non debere. 5. Huc vsque de clericis. ¶ His 19 subiiciuntur, qui diuersis locis piis præsunt: vt orphanotrophi, xenodochi, brephotrophi, ptochotrophi: id est, qui orphanotrophiis, prochotrophiis pręsunt. in his omnibus locis piis aluntur seu recipiuntur pauperes nempe in orphanotrophio parentibus orbati: in xenodochio aduenæ: in brephotrophio infantes: in ptochotrophio inopes & mendici. Sunt & alia loca pia: vt nosocomia, in quibus ægroti curantur: & gerontocomia, in quibus senes aluntur. ¶ Deinceps in 20 rubr. nostra proponuntur ascetriæ, & monachi: qui inter se distinguuntur, vt asceterium & monasterium. l. omnia. 35. l. sancimus. 46. §. si verò aliqua. l. sacris. 47. l.

BIU Cujas

raptores. 54. & No. 123. c. vlt. & Nou. 134. c. 9. Sed vtrique eandem viuendi rationem sequuntur: ac legislator passim tribuit ἄσκησιν etiam monachiis, & vitam solitariam, id est, monasticam etiam ascetriis. Ergo alij malunt alio nomine appellari: sed vis est eadem, nec dubitandum, quin statuta de ascetriis, locum habeant etiam in monachis; & contrà dicta de monachis, obtineant etiam in ascetriis. Monachi dicuntur, quasi solitarij: ascetriæ, quia piis actionibus se exer-
21 cent, & meditationibus vacant. ¶ Ac sunt ascetriæ masculi, seiuncti ab ascetriis feminis. d.l. sacris. in pr. vt monachi à monastriis seu monialibus. l. sanctissimarum. 44. §. vlt. l. vlt. in pr. & Nou. 123. c. 34. & c. vlt.
22 ¶ Qui quæue monasterio præest, Abbas vel Abbatissa nominatur, Græcè ἡγούμενος, & ἡγουμένη. l. 30. & 37. vel archimandrita. l. 53. in princ. & l. vlt. in princ. & N. 5, c. 7. & No. 123. c. 34. In quibusdam monasteriis dicitur
23 præesse exarchus. No. 133, c. 4. ¶ Monachorum alij sunt clerici, alij laici. At verò regulares dicuntur, qui certæ viuendi regulæ sunt adstricti, siue sint monachi, siue non sint monachi, vt canonici regulares.
24 ¶ Præterea inter monachos quidam vocantur apocrisiarij, quasi Latinè dicas responsales, siue responsarios, qui ecclesiarum & monasteriorum negotia tractabant. l. qui in monasteriis. 29. & Nou. 6. c. 2. & Nou. 123. c. 25. & Nou. 133. c. 5. Nonnulli anachoretæ siue hesychastæ, qui in contemplatione & quiete vitam degunt. No. 5. c. 3. & Nou. 133. c. 1. Aliqui, ianitores, qui ingressûs in monasterium, & exitûs ex monasterio
25 curam gerunt. d. No. 133. c. 1. ¶ His personis expositis, proponuntur earum & locorum piorum varia priuilegia: vt immunitas ab omnibus sordidis, & extraordinariis, ac personalibus muneribus. l. 1. 2. 6. l. omnes. 33. §. pen. & cetera priuilegia, quæ ordine in Me-
26 thodico recensui. ¶ Quædam autem priuilegia pertinent ad quasi castrense clericorum peculium: videlicèt vt filiusfam. clericus de hoc peculio possit testari, ac testamentum querelæ inofficiosi non subiaceat. l. cùm lege. 50. Sed hodie potest per querelam euerti, nisi legitima liberis vel parentibus relicta fuerit. No.
27 123. c. 9. ¶ Posthæc, agitur de redimendis captiuis: cùm quia ob hanc causam specialiter permissum est res ecclesiasticas alienari. s̃. tit. prox. l. sancimus. 21. tum etiam quia sæpe ad episcopum hæc cura pertinet, vt voluntas testatoris, qui aliquid ad redimendos captiuos reliquit, impleatur; videlicèt si testator nemini hanc curam demandauerit, aut is, quem testator elegit, rem neglectui habeat. l. nulli. 28. §. 1. §. quòd si testator. & §. quòd si inuito. l. sancimus si quis moriens. 46. §. 1. l. si quis ad declinandum. 49. §. & si-
28 quidem. No. 131. cap. 11. ¶ Tandem agitur de nuptiis clericorum vetitis, seu permissis nam alij nuptias contrahere possunt, vt lectores, cantores, & ceteri in minoribus ordinibus constituti: alij non possunt, vt sacerdotes, & qui sunt in sacris. l. sacris. 45. & Nou. 5. cap. 8. & No. 6. c. 5. & Nou. 123. c. 13. & distinct. 26. 27. 32.

IV. *De episcopali audientia, & diuersis capitulis quæ ad ius curámque & reuerentiam pertinent pontificalem.*

1 SVperiori titulo de episcopis & clericis simul tractauit: nunc quatuor attributa episcoporum propria declarat, nimirum audientiam, ius, curam, &
2 uerentiam. ¶ Quod ad primum attributum attinet: quoniam episcopus contendentes audit, & causas diiudicat. l. episcopale. 8. idcirco dicitur episcopalis audientia, vt in hac rubr. & s̃. tit. prox. l. cum clericis. 25. & episcopale iudicium. l. 7. & d. l. episcopale. 8. & l. decernimus. 13. vel episcopalis cognitio, vel diiudicatio. d. l. episcopale. Non tribuitur tamen episcopo iurisdictio; quia non potest sententiam suam exequi, sed executio ad ordinarios magistratus pertinet. d. l. episcopale. & l. quæ de alea. 25. Rectè igitur Sozomenus εἰς ἔργον, inquit, τὰ κριθέντα παρὰ τῶν ἐπισκόπων ἄγειν τοὺς ἄρχοντας καὶ τοὺς διακονουμένους αὐτοῖς στρατιώτας, *ad effectum iudicata ab episcopis perducere magistratus, & milites qui eis ministrant.* ¶ Porrò cognoscit episcopus de causis 3
clericorum & monachorum ciuilibus, (videlicèt si clericus vel monachus conueniatur: nam hîc quoque regula iuris obtinet, quòd actor sequitur forũ rei) vel ecclesiasticis, & eatenus de criminalibus, vt exauctoratos remittat ad ciuilem iudicem, ab eo puniendos. No. 83. & Nou. 123. cap. 21. ¶ Ad ius episcopale refe- 4
runtur, quæ episcopo permittuntur, vel prohibentur: veluti vt de his tantùm possit facere testamẽtum, quæ ante episcopatum habuit, vel pòst non ab extraneis acquisiuit. s̃. tit. prox. l. omnem adhibentes. 42. §. de his verò. ne ecclesiam suam relinquat, & aliò se conferat sine literis metropolitani, vel patriarchæ, cui est subiectus, nisi iussu principis. No. 6. cap. 3. & N. 123. cap. 9.
¶ Ad curam episcopalem spectant, quæ episcopis in- 5
iunguntur, adeo vt saluo officio prætermitti non possint: veluti vt Deum precetur pro salute reipub. & principis. l. vlt. in princ. & s̃. tit. prox. l. omnem adhibentes. 42. in princ. & vt populum instruat. l. 6. Differt igitur cura à iure, vt officium à facultate. nam ad ius episcopale referuntur, quæ episcopus facere potest: ad curam, quæ facere debet. ¶ Vt autem cura significat 6
officium erga alios, ita reuerentia episcopo ab aliis inferioribus debetur. Nam episcopo non solùm clerici, sed & monachi, & abbates subiiciuntur. s̃. tit. prox. l. monasteria. 40. Vnde abbatis electio requirit confirmationem episcopi. s̃. eo. l. sacris. 47. §. 1. Hucusque secunda pars de personis & reb. ecclesiasticis: sequitur tertia de ijs, qui à vera Christiana religione sunt alieni.

V. *De hereticis, & Manichæis, & Samaritis.*

POstquàm dictum est de personis religiosis, deinceps agitur de personis à vera religione alienis. Tales sunt in primis hæretici, vt Manichæi. ¶ Hæretici 2
dicuntur ab hæresi, id est, electione: quia quisque sectam ac disciplinam eligit & amplectitur, quam meliorem putat. xxiv. q. 3. c. hæresis. Accipitur autem hoc in loco hæresis in malam partem, quamuis sit verbum medium, quod tam in bonam quàm in malam partem accipi potest. Itaque hæresis hoc loco dicitur secta corruptæ & improbatæ religionis. ¶ Hæreticus su- 3
mitur tribus modis. I. Latissimè pro quocumque non amplectente veram religionem: siue se Christianum profiteatur, siue sit Iudæus, siue paganus. ĩ. ne Christia. manc. l. 2. II. Angustè, pro eo, qui, cùm se Christianum profiteatur, in articulis fidei erat in qua significatione hoc loco accipitur. III. Angustissimè pro eo, qui inanis gloriæ, vel alicuius temporalis commodi gratiâ pertinaciter hæresim tuetur in qua significatione sumptus hæreticus distinguitur ab eo, qui simplicitate quadam & errore seu temeritate credendi hæreticis assentitur. Vide Augustinum cap. 1. de vtilitate credendi. ¶ Hæreticorum varia genera & pœnas 4
in Methodico exposui. Sed omnium pessimi fuerunt Manichęi, sic dictio à Manete Persa huius sectę auctore. Hic cum Vrbicus nominaretur, post introductam

hæresim

hæresim Manes, id est, insanus appellatus est. Sectatores autem eum Manichæum, quasi manna fundentem, vocarunt, teste Augustino de hæresib. cap. 46. Dicti sunt etiam Acouanitæ ab Acouano Manetis discipulo: & Agonistæ, vel Agonistici, quòd se perpetuò contra principem tenebrarum suâ vitâ suisque præceptis & doctrinâ pugnare dicerent. Inter alia falsa dogmata, furoris & insaniæ plena, duos Deos statuebant, alterum bonum, alterum malum: & mundum de commixtione boni & mali factum esse asserebant, dum Deus bonus & Deus malus inter se pugnarunt: in qua pugna Dei boni partes captiuæ factæ, & creaturis alligatæ sunt, pro quibus partibus liberandis nunc Deus laborat. liberari autem dicebant non solùm per Christi aduentum, sed etiam per esum, qui fit à Manichæorum electis. Plura referre piget pudétque. quapropter his omissis, orationem ad Samaritas conuerto de quibus est postrema huius tituli pars. ¶ Samaritæ hoc loco vocantur, non qui Samaritanam regionem incolunt, vel inde oriundi sunt, sed qui Samaritanorum superstitionem amplectuntur. Hæc ex Iudaismo & paganismo constat. Nam Rex Assyriæ colonos in Iudæam misit paganos & idololatras: qui vrbem Samariam, à qua & tota regio, Samaria dicta est, condiderunt. cùm autem à leonibus à Deo immissis vorarentur, permissu regis accersiuerunt à Iudæis captiuis sacerdotem, à quo legem Dei edocti sunt. ita Deum vt Iudæi, non tamen relictis idolis, colere cœperunt; vt postremo libro Regum, cap. 17. scriptum est. ¶ Samaritarum pœnas pete ex Methodico.

VI. *Ne sanctum baptisma iteretur.*

INter hæreticos numerantur anabaptistæ, id est, qui sacrum baptisma iterant: quod hoc titulo prohibetur. ¶ Anabaptistarum variæ sunt genera; sed ferè ad tria referri possunt. alij namque rebaptizãt baptizatos in alia ecclesia sibi non probata, vt Eunomiani, Ariani, Donatistæ: alij baptizatos in infantia, vt nostri temporis anabaptistæ: alij toties rebaptizant, quoties aliquis peccauit, vt eius peccatum abluant, vt Nouatiani, Marcionitæ, & Donatistæ. ¶ Anabaptismi pœnas in Methodico exposui.

VII. *De apostatis.*

APostatæ quoque fidei Christianæ aduersantur. ¶ Apostasiæ tria sunt genera, videlicèt perfidiæ, inobedientiæ, & irregularitatis. Apostasia perfidiæ est, cùm aliquis Christianam religionem eiusque verum cultum deserit, vt dicitur in l. 2. & l. vlt. Inobedientiæ verò, cùm aliquis transgreditur præceptum sui superioris. Irregularitatis autem, cùm quis recedit ab ordine assumptæ religionis. glo. in c. 1. extrà hoc tit. ¶ Hoc loco apostasia sumitur in prima significatione, quæ & maximè propria est. ¶ Huius autem species duæ sunt. aut enim apostata, orthodoxa religione deserta, retento Christiani nomine transit. d. l. vlt. aut in totum fidei Christianæ renunciat, & ad Iudaismum, vel paganismum, aliámve similem sectam transit. l. 1. & 2. ¶ Sunt etiam variæ pœnæ, quæ ex Methodico peti debent.

VIII. *Nemini licere signum Saluatoris Christi humi vel insilice vel in marmore aut insculpere, aut pingere.*

HI quoque, tamquàm religioni Christianæ non consentanea perpetrantes, multantur, qui signum Redemptoris nostri, id est, crucem humi pingunt, aut sculpunt: hoc enim iure prohibitum est, ne à prætereuntibus conculcetur.

IX. *De Iudæis, & cœlicolis.*

IVdæos Christianę religionis hostes esse nemo ignorat. Iudæos hoc loco dicimus, non secundum carnem, sed secundum fidem, id est, non eos, qui sunt è natione Iudaica, (tales enim possunt esse Christiani orthodoxi) sed eos qui vetus testamentum malè intellectum recipiunt, nouum autem, quod veteri confirmatur, non admittunt. ¶ Iudæorum sectæ fuerunt septem, quarum nomina hæc sunt sadducæi, Scribæ, Pharisæi, Hemero baptistæ, Nazaræi, Osseni, & Herodiani. ¶ Sadducæi à Saddoco Antigoni discipulo cognominati inter Iudæos connumerantur, non solùm quia natione sunt Iudæi, sed etiam quia Hierosolymis sacrificabãt, cùm Samaritani nõ Hierosolymis, sed in Silo tribus Ephraim mõte sacrificandũ & adorandum censerent: in ceteris similiores erant Samaritanis, quàm Iudæis: & angelos vel spiritus esse, necnon resurrectionem negabant. ¶ Scribæ fuerunt legis expositores, qui traditiones humanas magis quàm diuina præcepta obseruabant, vt crebram manuum lotionem, & vasorum purificationem. ¶ Pharisæi dicti sunt ab Hebraico verbo פרש *pharas*, quod exponere, & diuidere significat: vel quia separati erant à ceteris ob superfluam quandam, & exuberantem religionem, qua se ceteris præstare arbitrabantur: vel quasi omnium optimè legem exponerent: vel quòd maximè clari essent & conspicui ob vitæ sanctimoniam, quam præ se ferebant: etenim angelos & spiritus esse, animorum immortalitatem, futurúmque Dei iudicium credebant; & vitam à deliciis alienam ducebant, assiduè ieiunantes & orantes, atque in decimis, primitiis, sacrificiis, votis nihil prorsus intermittentes. ¶ Hemerobaptistæ dicti sunt qui quotidie baptizabantur, carnis resurrectionem negantes, in ceteris articulis Scribis & Pharisæis assentiẽtes. ¶ Nazaræi à Galaditide & Basanitide regione orti, ferè in omnibus Iudæorum statuta seruabant: sed neque victimas mactabant, nec animatis vescebantur, neque Pentateuchum Mosis recipiebant, existimantes aliam fuisse legem, quam Moses à Deo accepit. ¶ Osseni, vel Essæi, vel Essæi dicti sunt, vt Philoni placet, à Græco vocabulo, quasi ὅσιοι, id est sancti. nam in vicis habitabant, & à ciuitatibus abhorrebant, ne commercio cum improbis polluerentur, in perpetuo cœlibatu viuebant, non iurabant, animalia non sacrificabant, sed mentes sacras efficere conabantur; bona communia habebant, diuitias contemnebant, voluptates respuebant. ¶ Herodiani putabant Herodem esse verum Christum patribus à Deo promissum. ¶ Iudæorum propria iura multa sunt, quæ in Methodico retuli, & inde ab iis peti volo, qui ea scire cupiunt. Hæc igitur dicta sint de Iudæis. ¶ Consequenter agitur de cœlicolis, qui cœlestia sydera adorant: & cum Iudæis in eodem tit. coniunguntur, propterea quòd ferè ex Iudæorum numero erant. hi nisi ad Christianam fidem conuertantur, pœnis hæreticorum afficiuntur: & ædificia, in quibus conueniebant, ecclesiæ vindicantur. l. cœlicolarum. 12.

X. *Ne Christianum mancipium hæreticus vel Iudæus vel Paganus habeat, vel possideat, vel circumcidat.*

ILlud commune est hæreticis, Iudæis, paganis, & Samaritis, vt mancipium Christianum eis habere vel

vel possidere non liceat. l. 1. & 2. Habere dupliciter accipitur. nam rem habere quis dicitur, vel quia dominium habet, vel quia rem tenet. D. de verb. oblig. l. stipulatio ista. 38. §. habere. Item possidere bifariam accipitur: nempe aut ciuiliter, id est, animo domini; aut naturaliter, cùm quis non tamquàm dominus rem detinet. Vtramque igitur prohibitionem latè accipio, vt dictæ personæ Christianũ mancipium neutro modo habere vel possidere possint. ¶ Additur prohibitio, ne Iudæus mãcipium siue Christianum, siue alius sectæ (id est, non Iudæum) circumcidat. Quamuis enim rubrica tantùm Christiani mancipij mentionem faciat, tamen lex 1. eandem sententiam ad alterius cuiusuis sectæ mancipia producit. ¶ Pœnæ iis, qui aduersus dictas prohibitiones commiserint, in contextu euidenter proponuntur.

XI. *De paganis, & sacrificijs, & templis.*

MAximè à Christiana religione alieni sunt pagani, quorum obiter mentionem superiori tit. fecimus. Nam paganos hîc accipimus pro ethnicis seu gentilibus. C. Th. de hæret. l. ne donatistæ. 46. & de pagan. l. qui profano. 21. qui & Græci dicuntur. l. pen. & vlt. ac nefarios sacrificiorum ritus, & funestæ superstitionis errores exercent. Nou. Theodosij de Iudæis. In aliâ significatione pagani accipiuntur, cùm opponuntur militibus, vt ĩ. de inoff. testam. l. vlt. & ĩ. loca. l. vlt. ¶ Pagani si baptismum non suscipiant, exilio & honorum publicatione puniuntur: si suscepto baptismo paganismum retineant, vltimo supplicio afficiuntur. l. vlt. ¶ Paganorum sacrificia & omnes ritus prohibentur, adeo vt sacrificantes committant crimen publicum. l. 7. & 8. & siquidem pagani sint, qui sacrificant, pœnam Manichæorum patiuntur. l. vlt. §. pen. Si verò pagani non sint, vltimo suppliciò afficiuntur, & eorum bona publicantur. l. 1. §. vlt. & l. 2. Loca sacrificiis deputata confiscantur, nisi ecclesiis aut priuatis speciali principis beneficio sint concessa. l. 5. ¶ Templa autem non diruuntur. l. 3. sed clauduntur, ne cui pateat ingressus. l. 1. & 7. Hactenus de personis à vera & orthodoxa religione alienis dictum est.

XII. *De his, qui ad ecclesias confugiunt, vel ibi exclamant.*

SVpereſt, vt de his dicamus, qui non inseruiunt ecclesiæ, non tamen sunt eius hostes, vt Iudæi, hæretici, pagani; immo ex eâ beneficium aliquod expetũt. ¶ Quales sunt primò, qui ad ecclesias confugiunt, veluti vt ab aduersariorum suorum potentiâ se tueantur, l. vlt. §. 1. (Nam his asylum est ecclesia nec tantùm altaria, & oratorium, sed omnia loca inter primas ecclesiæ ianuas, vt cellæ, domus, horti, balnea, porticus. l. 3. in princ. ¶ Sed neque pro his, neque pro aliis conclamari in ecclesia debet: hoc enim ad seditionem spectare videtur. Quare si quid per exclamationem ab Imperatore ad ecclesiam procedente impetratum sit, effectu caret: & qui exclamatione vsus est, per præfectum ejectus castigatur, d. l. vlt. in pr.)

XIII. *De his qui in ecclesijs manumittuntur.*

SEcundò serui, qui in ecclesiis manumittuntur. Hucusque de iure sacro ad fidem & religionem pertinente.

XIV. *De legibus, & constitutionibus principum, & edictis.*

IVs humanum, id est, ea iurisprudentiæ pars, quæ non ad fidem & religionem, sed ad vitam politicam spectat, partim de ipso iure, quod est iustitiæ obiectum, pertractat: partim de iudiciis, per quæ ius obseruatur, & cuique tribuitur. Cùm autem duæ sint iuris partes, scriptum, & non scriptum, conditor Codicis tantùm de iure scripto agit hac in parte: exponendi autem iuris non scripti aliam occasionem inueniet. lib. 8. tit. 53. Quapropter hic titulus inscribitur. *De legibus, & constitutionibus principum*, & edictis quoniam hæc omnia iuris scripti nomina sunt, quamuis aliud alio sit magis vel minùs generale. lex enim hîc accipitur pro quouis iure scripto, vt & in tit. D. de legib. ¶ Ergo species legis est constitutio: species autem constitutionis est edictum. ¶ De legibus dixi ad d. tit. D. de legib. De constitutionibus, autem, & edictis dixi ad tit. D. de constit. princ. ¶ Nota tam decreta, quàm edicta principum habere vim legis. D. de constit. pr. l. 1. §. 1. prætorum autem tantùm edicta vim legis obtinere. Instit. de iu. natur. §. constat. & §. prætorum. non etiam decreta. D. de feriis. l. 1. §. 1. Rationem pete ex Theophilo. in d. §. prætorum.

XV. *De mandatis principum.*

EDicta sunt constitutiones generales: mandata verò sunt constitutiones speciales, quibus certæ personæ, vt præsides, vel iudices, monentur quid facere debeant. Vnde etiam vocantur commonitoria. Nou. 31. cap. 2. ¶ Nota hæc mandata sine scriptis non esse recipienda, nisi princeps iudicem det vel adiungat, aut acta edi iubeat, aut litem celeriter terminari præcipiat. l. 1. & 2.

XVI. *De senatusconsultis.*

EXposita est prima iuris scripti species, id est, constitutio: sequitur secunda, nempe senatusconsultum, de quo dixi ad tit. D. de legib.

XVII. *De veteri iure enucleando, & de auctoritate iurisprudentium, qui in Digestis referuntur.*

TErtiam speciem faciunt responsa prudentum, id est, sententiæ & opiniones Iurisperitorum, quibus auctoritate principis datum est, vt de iure possint respondere. Nam ab eorum responsis non licebat iudici recedere. Instit. de iu. natur. §. responsa. Sed Iustinianus iis solis vim legis tribuit, quæ ex infinitis scriptis delegit, atque enucleauit, & in sua Digesta retulit, atque hæc omnia æqualem auctoritatem habere iussit, ita vt hanc vim non tam ab auctoribus Iureconsultis, quàm ab ipso Iustiniano approbante habeant. l. 1. §. sed neque. & l. 2. §. tanta. ¶ Huius tituli duæ sunt partes. I. De vetere iure enucleando, id est, de Digestis conscribendis. nam ius vetus appellat, non quod in vsu esse desiit, sed quod libris antiquorum Iurisconsultorum continetur, vt in l. si quis in conscribendo. 29. ĩ. de pact. & in rub. D. de diu. reg. iur. & in procem. Inst. §. & cùm sacratissimas. & §. igitur. II. De auctoritate responsorum in Digesta seu Pandectas relata, vt scilicèt æqualem omnia, tamquàm ab Imperatore profecta, vim habeant, sicuti paulò antè notaui.

XVIII. *De iuris & facti ignorantia.*

IVris speciebus expositis, postremo loco declaratur eius accidens quoddam, id est, ignorantia: & propter tractatus affinitatem simul etiam tractatur de facti ignorantia: quia peruulgata diuisio est, vt alia dicantur esse iuris, alia facti. Exempli gratiâ, obligationes in iure consistunt. D. de diuis. rer. l. 1. §. 1. conuentiones autem in facto. D. de curat. furio. l. 7. ¶ Duplex est ignorantiæ diuisio: vna à materia, altera à forma. Ratione

BIU Cujas

rione materiæ alia est ignorantia iuris, id est, cùm id nescitur, quod iure cauetur; putà minorem quatuordecim annis non posse facere testamentum: alia facti, cùm id ignoratur, quod in facto consistit, veluti testatorem esse minorem quatuordecim annis. D. hoc tit. l. 1. Ratione formæ diuiditur in errorem & dubita-
3 tionem. Lege notata ad rub. D. hoc tit. ¶ Hucusque dictum est de ipso iure: consequenter dicendum de iuris obiecto, id est, de iudiciis, per quæ ius suum cuique tribuitur. Iudicant autem princeps, magistratus, arbitri compromissarij, & iudices pedanei. de quibus omnibus dicturi, meritò sumemus initium à iudiciis principum: cùm in imperio nihil maius aut sanctius sit imperiali maiestate. §. de legib. l. vlt. in princ.

XIX. *De præcibus Imperatori offerendis, & de quibus rebus supplicare liceat, vel non.*

1 IMperator implorãtibus opem fert. eius autem opem imploramus duobus modis. Primus modus est, cùm
2 preces principi offerimus. ¶ Preces sunt libellus supplex, eius desiderium continens, qui principis auxi-
3 lium implorat. ¶ Nota primò non licere de quacumque re supplicare. Nam petere à principe non licet, I. Quod est contra ius. l. 3. & l. pen. II. Quod est damnosum fisco. d. l. 3. III. Administrationem, vel dignitatem. ĵ. de diu. rescr. l. 5. V. Ne debitor exceptione dilatoria vtatur. l. 2. Dilatio autem solutionis ita demum peti potest, si idonea cautio offeratur. l. 4.

XX. *Quando libellus principi datus, litis contestationem faciat.*

NOta secundò libellum principi oblatum, dummodò ad eum princeps rescripserit. l. 2. & ĵ. de donat. l. illam. 33. habere vim litis contestatæ, quod ad hoc vt actionem prætoriam annalem. l. 2. & ĵ. de præscr. trig. vel quadr. ann. l. 3. perpetuet atque in heredem transmittat. l. 1.

XXI. *Vt lite pendente, vel post prouocationem, aut definitiuam sententiam, nulli liceat Imperatori supplicare.*

NOta tertiò varia precum vitia, propter quæ supplicanti prodesse non possunt. Primum est, si supplicetur lite pendente, vel finitâ. Quapropter tria hoc titulo prohibentur. I. Ne supplicetur lite pendente (subaudi, in prima instantia) l. 2. nisi vel acta vel sententiam edi, vel litem terminari & sententiam ferri, vel iudicem adiungi petatur. l. 2. & Nou. 113. cap. 1. II. Ne supplicetur post prouocationem, id est, lite pendente in secunda instantia. III. Ne supplicetur post definitiuam sententiam: subaudi, à qua non est appellatum, id est, post litem finitam. l. 2. & 3.

XXII. *Si contra ius, vel vtilitatem publicam, vel per mendacium fuerit aliquid postulatum, vel impetratum.*

1 SEcundum vitium est, si supplicetur contra ius. Nam iudex non secundum rescripta, sed secundum leges & consuetudines generales iudicare debet. l. vlt. & §. de precib. l. pen. & No. 82. cap. 13. nisi criminis pœna per rescriptum principis remittatur, aut aliquid aliud
2 concedatur, quod petenti prosit, & alteri non obsit. d. l. pen. ¶ Tertium vitium est, si supplicetur contra vtilitatem publicam. l. vlt. veluti si id, quod petitur, fi-
3 sco damnum afferat. §. de precib. l. 3. ¶ Quartum vitium est subreptio vel obreptio, id est, cùm supplicans falsum quidpiam in precibus ponit, aut aliquid verum reticet. Hic enim non solùm impetratis vti non potest. l. 2. & 4. sed etiam pœnâ falsi afficitur. l. si quis obrepserit. 29. etiam si id quod petiit, & impetrauit, legibus sit consentaneum. l. 5. ¶ Vno casu obreptio non nocet, 4
videlicèt si iudex petitus & à principe datus sit. l. 1. Quod ius à Pontifice limitatur, vt ita demum iudicis datio valeat, si impetrans per simplicitatem & ignorantiam, non malitiosè subrepsit, vel obrepsit, & eam veritatem tacuit, qua expressa; vel eam falsitatem expressit, qua omissa, nihilominùs iudex datus fuisset: tunc enim iudicis datio tenet: sic tamen, vt secundum iuris ordinem non secundum formam in rescripto expressam iudicare debeat. extrà de rescrip. C. super literis. 20.

XXIII. *De diuersis rescriptis, & pragmaticis sanctionibus.*

REsponsum principis ad preces seu libellos sup- 1
plices, de quibus hactenus egimus, appellatur *Rescriptum*. Nam rescriptum est responsum principis ad consultationem vel petitionem alicuius iudicis siue priuati hominis emissum. ¶ Quod vt valeat, quatuor requiruntur. I. Vt clausulam illam contineat, *Si preces veritate nitantur*. l. vlt. Sed iure Pontificio hæc clausula suppletur, & eâ subauditâ rescriptum sustinetur. ext. eod. c. 2. II. Vt notetur tempus dati rescripti. l. 4. quod quidem in personalibus rescriptis, de quibus nunc loquimur, obtinet. Nam generalia rescripta, quæ in hunc Codicem auctoritate Iustiniani sunt relata, etiam sine die & Consule valent. §. de no. Cod. fac. §. pen. & de Iustin. Cod. confirm. §. hunc igitur. III. Vt princeps manu sua subscribat. l. 3. sacro encausto, id est, cocti muricis, & triti conchylij ardore seu cruore. l. 6. IV. Vt quæstor subnotet, inter quos, ad quẽ, & per quem sit rescriptum emissum. Nou. 114. ¶ Rescripti 3
species duæ sunt: adnotatio seu subnotatio, & pragmatica sanctio. Adnotatio est ad libellum priuatæ personæ de priuato negotio subscriptio principis. §. de precib. Imper. offer. l. 1. Pragmatica sanctio est sacra principis iussio, quæ de negotio publico, causâ in consilio cognitâ, ad aliquam vniuersitatem emittitur, siue hoc fiat ad alienas preces, siue ad alicuius relationem, aut suggestionẽ. d. l. vlt. & §. de sacrosanct. eccle. l. iubemus. 10. & ĵ. de prox. sacr. scrin. l. vlt. Reliqua de rescriptis cõmodiùs referã ad hũc titulũ in Decretalibus. ¶ Di- 4
ctum est de primo modo, quo principis opem imploramus & obtinemus, videlicèt per preces & rescripta.

XXIV. *De statuis & imaginibus.*

SEcundus modus, quo opem principis imploramus, 1
est, cùm ad eius statuam confugimus. ¶ Nota pri- 2
mò statuas ab imaginibus differre: quia statuæ sunt aut sculptæ, vt marmoreæ, vel ligneæ; aut fusæ, vt æneæ, vel argẽteæ: imagines verò sunt pictæ. ¶ Nota 3
secundò statuas erigi principi. l. 2. & 3. & ĵ. tit. prox. l. vn. & §. de episc. aud. l. de his. 26. vers. si quis autem, non aliis personis, nisi permissu principis. l. 1. ¶ Nota 4
tertiò statuas non esse adorandas, nequidem si sint statuæ principis. l. 2.

XXV. *De his qui ad statuas confugiunt.*

NOta quartò licere ad statuam principis tamquàm ad asylum confugere, dummodò hoc fiat ex iusta causa, veluti si quis fugiat ex custodia, aut vinculis, quibus à potentiori viro detinebatur. D. de pœn. l. capitalium. 28. §. ad statuas. aut si seruus duriùs, quàm vt ferri possit, à domino tractetur. D. de his qui sui vel al. iur. sunt. l. 2. & de offic. præf. vr. l. 1. §. 1. Hucusque de iudiciis seu rescriptis principis.

BIU Cujas

XXVI. *De officio præfecti prætoriorum Orientis, & Illyrici.*

1 TRansgrediamur ad iudicia magistratuum,& alio-
2 rum ius dicentium. ¶ Horum alij sunt vrbani, alij prouinciales, alij municipales. De vrbanis & prouincialibus simul agetur. nam vtrique erant magistratus populi Romani. Horum diuisio duplex notatur. Prima diuisio est,quòd alij sunt ordinarij, alij extraordinatij. Ordinariorum alij sunt illustres, alij spectabiles,alij clarissimi. nam hæ sunt tres præcipuæ dignitates, inter quas suprema est illustratus, infima clarissi-
3 matus,media spectabilitas. Nou. 7. in fin. ¶ Illustres sunt, qui sequuntur: Primò præfecti prætorio:de quibus dixi ad tit. D. de off. præf. præt. Fuerunt autem plures præfecti prætorio: vt Italiæ, No.69.& 70.Galliarum, Orientis, (sub quo fuerunt quinque diœceses Oriens, Ægyptus, Asiana, Pontica, Thracia) Illyrici, (sub quo fuerunt duæ diœceses,Macedonia & Dacia.)

XXVII. *De officio præfecti prætorio Africæ, & de omni eiusdem diœceseos statu.*

1 ET Africæ. Quamuis enim Africa diœcesis olim
esset sub præfecto prætorio Italiæ, vt ex Notitia Romani imperij constat:tamen Iustinianus recuperata à Vandalis Africâ,præfectum prætorio Africæ con-
2 stituit à ceteris seiunctũ.l.1.§.1. ¶ Agitur etiã hoc titulo de toto Africanæ diœceseos statu: qui partim fuit politicus, partim militaris. Politico præfuit præfectus prætorio,sub quo sunt præsides prouinciarum.militari præfuit magister militum, cui subiecti sunt duces.

XXVIII. *De officio præfecti vrbi.*

SEcundò præfectus vrbi:de quo dixi D.hoc titulo.

XXIX. *De officio magistri militum.*

1 TErtiò magister militum. Nam æqualis fuit dignitas præfecti prætorio, præfecti vrbi, & magistri
2 militum.ĩ. de præf. præto. siue vr.l.1. ¶ Hic potestatem habet in duces militum, & comites militares, & ipsos milites.l.1.& ĩ.de re milit.l.vlt.in princ. & §.vlt. necnon in suos apparitores, dummodò intra statutum numerum sint. l.2.nec de tributo agatur,cuius ratione
3 subiiciuntur iudicibus ciuilibus. l.3. ¶ Magistrorum diuisio duplex est. Prima diuisio sumitur à militia. vel enim est magister equitum.vel peditum,vel vtriusque militiæ.l.1.Secunda diuisio sumitur à locis. alius enim est magister militum per orientem, l. 2. alius per Illyricum. l.3.alius per Armeniam, Pontum Polemiacum, & gentes.l.vlt. alius militum præsentalium, id est,qui præsentes sunt in comitatu principis. ĩ. de re milit. l. vlt.& ĩ.de appar.mag.mil.l.4.

XXX. *De officio quæstoris.*

QVartò illustris est quæstor sacri palatij.l.2. Erant & alia quæstorum genera, vt notaui.D.h.t. Hic orationes principum in senatu legebat.D.eo.l.vn.§.ex quæstoribus.& §.vltim.& eorum rescripta dictabat.ĩ. diu.rescr.l.vlt.iísque subscribebat. Nou. 114. Item curam gerebat minoris laterculi.l.1.id est,codicis, in quo descriptæ erant minores dignitates & officia: nam maius laterculum, in quo maiora officia maioréque dignitates descripta erant, seruabatur apud primicerium notariorum. Dictum est autem laterculum,vel à lateribus, id est,à figura quadrata, vt Cuiacio videtur; vel à latendo,vt Hotomano placet.

XXXI. *De officio magistri officiorum.*

QVintò illustris est magister officiorum.Hic scholis palatinis,& scholaribus præest.ĩ.de loca.l.vlt. & de priuileg.scholar.l.2.id est, officiis,& officialibus. plura de eius officio lege apud Cassiod.lib.6.cap.6.

XXXII. *De officio comitis sacrarum largitionum.*

SExtò illustris est comes sacrarum largitionum, qui vniuersæ pecuniæ publicæ præerat, ex qua sæpe largitiones ex principis liberalitate fiunt. vnde comes sacrarum largitionum dictus est. nam sacrum passim in iure dicitur,quod ad principem spectat.

XXXIII. *De officio comitis rerum priuatarum.*

SEptimò illustris est comes rerum priuatarum, id est, priuati patrimonij ad principem spectantis. Vt enim duplex est patrimonium principis, alterum publicum, alterum priuatum.ĩ.vbi senat.vel clariss.l.vlt. & de quadrien.præscrip.l.vlt.versic. sed scimus. ita distincti sunt comites rerum fiscalium,de quo est titulus superior; & rerum priuatarum, de quo est hic titulus.

XXXIV. *De officio comitis sacri patrimonij.*

OCtauo illustris est comes sacri patrimonij, nam sacrum patrimonium principis distinguitur non solùm à sacris largitionibus,sed etiam à rebus priuatis. edic.Iustiniani 4. cap.2. in fi. & edic.8. cap.2. proinde fuerunt distincti comites, rerum priuatarum, & sacri patrimonij. Hucusque magistratus illustres.

XXXV. *De officio proconsulis & legati.*

SEquuntur magistratus spectabiles. Primò spectabilis est proconsul. No.7. in fi.cuius proprium est, vt legatum adiunctum habeat, nam alij prouinciarum rectores & præsides legatum non habent. De officio proconsulis & legati dixi ad eundem tit.in Digestis.

XXXVI. *De officio comitis orientis.*

SEcundò spectabilis est comes orientis.l.vn.& Nou. 7. in fi. Hic olim præerat vndecim prouinciis, vt scriptum est in Notitia Romani imperij: sed nouissimè Iustinianus ei tantùm primam Syriam, & Cyrresticam regionem subiecit.No.8.cap.5.

XXXVII. *De officio præfecti Augustalis.*

TErtiò spectabilis est præfectus Augustalis. No. 7. in fi.de quo dictum fuit.D.eod.tit.

XXXVIII. *De officio vicarij.*

QVartò spectabilis est vicarius, qui vice præfecti mittitur in aliquam diœcesim plures prouincias continẽtem.l.1.& D.de lega.iij.l.1.§.à præfectis. Hucvsque de magistratibus spectabilibus.

XXXIX. *De officio prætorum.*

SEquuntur magistratus clarissimi. quales sunt in vrbe prætores,de quibus dictum est D.hoc tit.

XL. *De officio rectoris prouinciæ.*

IN prouinciis rectores seu præsides, de quibus diximus sub tit. D. de offic. præsid. Nota primò rectorum appellatione contineri correctores, præsides, & consulares:nam omnes hi passim vocantur clarissimi, cùm proconsules inter spectabiles numerentur.

XLI. *Vt nulli patriæ suæ administratio sine permissu principis permittatur.*

NOta secundò neminem posse sine speciali permissu principis fieri rectorem prouinciæ, ex qua originem ducit,vel in quæ domicilium habet.

XLII.

BIU Cujas

XLII. *De officio præfecti vigilum.*

HActenus dictum est de magistratibus ordinariis. Extraordinarij verò sunt. Primò præfectus vigilum. D. de orig. iur. l. 2. §. & hæc omnia. de quo dixi D. hoc tit.

XLIII. *De officio præfecti annonæ.*

SEcundò præfectus annonæ. d. l. 2. §. & hæc omnia. Hic curam annonæ gerit vnà cum præfecto vrbi, cui vt minor maiori adiungitur. ſ. de offic. præf. vr. l. 1. Absoluta est prima magistratuum diuisio in ordinarios & extraordinarios.

XLIV. *De officio ciuilium iudicum.*

SEcunda magistratuum diuisio est, quòd alij sunt ciuiles, alij militares. Ciuiles sunt, qui inter paganos seu priuatum, vel inter actorem militem & reum paganum ius dicunt.

XLV. *De officio militarium iudicum.*

MIlitares sunt, qui inter milites, vel inter actorem paganum & reum militem ius dicunt.

XLVI. *De officio tribuni, & comitis militaris.*

1 QVales sunt tribuni, & comites militares. ¶ Nota
2 primò hunc titulum sic à Cuiacio restitui, cùm
3 in vulgatis Codicibus desideretur. ¶ Nota secundò hos secundum Cuiacium esse clarissimos, quia continebantur minori laterculo. ſ. de offic. quæsto. l. 1. Atqui ea lex tantùm loquitur de tribunis, non de comitibus rei militaris, qui in Notitia Romani imperij vocantur spectabiles, & in l. vlt. §. vlt. C. de diuers. offic. Et mirum, si Cuiacius rectè hanc rubricam restituit: quia comites videntur præferendi tribunis, vt in seq.
4 rubr. ¶ Nota tertiò, Notitiam ponere duos comites rei militaris, alterum per Ægyptum, alterum per Isauriam. sed in d. l. vlt. §. vlt. quinque numerantur, videlicèt Ægypti, Pamphiliæ, Isauriæ, Licaoniæ, & Pisidiæ.

XLVII. *Ne rei militaris comitibus vel tribunis lauacra præstentur.*

NOta quartò comites rei militaris, & tribunos à prouincialibus neq; lauacra, id est, balnea, neque adærationem, id est, æstimationem loco balnei exigere posse. hoc enim ius tantùm illustribus magistris militum, & comitibus equitum, & peditum conceditur, l. vn. Expositæ sunt duæ magistratuum diuisiones.

XLVIII. *De officiis diuersorum iudicum.*

MAgistratibus suprà specialiter expositis quædam communia sunt. Primò commune est officium, id est, omnes officio suo fungi debent. Officium autem triplex hoc loco consideratur: Primum est commune omnibus iudicibus, id est, magistratibus.

XLIX. *Vt omnes iudices tam ciuiles quàm militares, post administrationem depositam, quinquaginta dies in ciuitatibus, vel certis locis permaneant.*

SEcundum est proprium iudicum seu magistratuum prouincialium.

L. *De officio eius, qui vicem alicuius iudicis obtinet.*

TErtium est officium eius, qui non est iudex, seu magistratus, sed eius vice fungitur, quoniam ad tempus statuto minus, putà ad vnum vel alterum mensem, mortuo, vel remoto, vel ad aliam administrationem translato est substitutus.

LI. *De assessoribus, & domesticis, & cancellariis iudicum.*

SEcundò iudicibus variæ personæ accedunt, vt assessores, domestici, & cancellarij. ¶ De assessoribus 1 2
dictum est ad tit. D. de offic. assessor. ¶ Domestici, de 3
quibus hîc agitur, sunt milites ad magistratus custodiam deputati. Nam alij fuerunt domestici deputati ad custodiam & tuitionem principis, de quibus. ſ. lib. 12. tit. 17. ¶ Cancellarij sunt à secretis iudicum, sic 4
dicti à cancellis, quibus secretaria iudicum concluduntur.

LII. *De annonis, & capita administrantium, & eorum assessorum, aliorúmve publicas solicitudines gerentium, vel eorum qui aliquam consecuti sunt dignitatem.*

TErtiò communia sunt emolumenta, quæ è publi- 1
co percipiuntur. ¶ Et vel sunt annonæ, vel capi- 2
ta seu capitationes. Annonæ sunt alimenta, quæ familiæ præbentur. Capita sunt pabula iumentorum. Sed constitutio huius tituli iubet pro his certam pecuniam solui. ¶ Porrò emolumenta tribuuntur non so- 3
lùm prouincias administrantibus, sed etiam assessoribus, & aliis publicum aliquod munus siue dignitatem consecutis. ¶ Nota in illis verbis rubricæ, *eorum assessorum*, pronomen *eorum* regi à nomine *assessorum*: ac si 4
diceret, eorum qui administrantibus assident.

LIII. *De contractibus iudicum, vel eorum qui sunt circa eos, & inhibendis donationibus in eos faciendis, & ne administrationis tempore proprias ædes ædificent.*

QVartò communes sunt contractus, vel donatio- 1
nes. Etenim ne subditi vllo modo premantur aut vexentur; iure cauetur, ne administrantes, aut qui circa eos sunt, vt assessores & domestici, certis modis contrahant, putà ne aliquid emant, præter ea quæ ad victum quotidianum necessaria sunt. l. vnic. & D. de offic. proconſ. l. 6. §. vlt. & de contrah. empt. l. non licet. 46. & de iu. fisci. l. aufertur. 46. §. quod à præside. ne fœnerent vel mutuum dent. ſ. si cert. pet. l. 3. & D. de reb. cred. l. principalibus. 33. ne mutuò accipiant sine fœnore. D. eod. l. præsidis. 34. immò nequidem sub fœnore ab iis accipiant, qui apud se litigant. ſ. si cer. pet. l. pen. ne mercaturam exerceant. d. l. principalibus. ne sponsalia cum prouinciali contrahant: néue vxorem ducant, nisi ante administrationem susceptam sponsalia cum ea contraxerint. ſ. si rector prouin. l. vn. & D. de ritu nupt. l. si quis officium. 38. Item prohibentur donationis causâ capere. l. vn. §. prouincias. præter modica xeniola. D. de offic. præsid. l. 6. §. vltim. ¶ Quintò 2
cómunis est ædificatio vel extructio. Hîc administrantes, & qui circa eos sunt, prohibentur ædes vel naues administrationis tempore extruere ob eandem causam, ob quam contrahere, vel ex causa donationis accipere prohibentur, id est, ne vllo modo subditos vexent. l. vn. in princ. & D. de iu. fisci. d. l. aufertur. §. quod à præside.

BIU Cujas

LIV. *De modo multarum, quæ à iudicibus infliguntur.*

1 SExtò iudicibus seu magistratibus communis est
2 multæ inflictio. ¶ Multa est coërcitio pecuniaria, quæ arbitrio iudicis multantis irrogatur. D. de verb. si-
3 gnif. l. aliud. 121. §. 1. ¶ Nota primò non esse omnino liberum multantis arbitrium. Nam magistratus illustres multam dicere possunt vsque ad quinquaginta libras auri. l. 4. spectabilium alij vsque ad tres alij vsque ad sex vncias auri. l. vlt. §. 1. & §. ceteri, clarissimi vsque
4 ad duas auri vncias. d. l. vlt. in princ. ¶ Nota secundò in multa dicenda requiri causæ cognitionem, ne inno-
5 cens multetur. d. l. vlt. §. vlt. ¶ Nota tertiò sententiam, qua dicitur multa, ex scripto pronunciandam esse. d. l. vlt. §. pen. quod & in aliis sententiis iudicum requiri-
6 tur. ff. de sentent. ex peric. recit. l. 1. ¶ Nota quartò
7 multam non afferre infamiam. l. 1. ¶ Nota quintò iudicem qui multam dixit, non posse eam remittere, nisi ex iusta causa, vt ob inopiam multati. d. l. vlt. §. vlt. &
8 D. de offic. præsid. l. 6. §. vlt. ¶ Nota sextò multam applicari fisco, nisi iudex in alios publicos vsus eam deputauerit. l. 5. De vrbanis, & prouincialibus iusdicentibus hactenus.

LV. *De defensoribus ciuitatum.*

1 SEquuntur iudices municipiorum proprij, qui hoc loco tres proponuntur. Primus est defensor ciuitatis, qui etiam vocatur defensor disciplinæ. l. 6. & defensor plebis. ff. de offic. iurid. l. vn. quia tales erant in
2 municipiis, quales tribuni plebis Romæ. ¶ Non est igitur magistratus, sed similis magistratui, cuius imaginem quandam refert. Nou. 15. cap. 1. in pr. & cap. 5.
3 in princ. ¶ De causis ciuilibus cognoscit iure Codicis vsque ad quinquaginta aureos. l. 1. iure autem nouissimo vsque ad trecentos aureos: sed voluntariam
4 iurisdictionem non habet. d. Nou. 15. cap. 3. ¶ Audit etiam & punit leuiora crimina: deprehensos autem in grauioribus criminibus remittit ad præsidem puniendos. l. 7. & d. Nouel. 15. c. 6. ¶ In carcerem
5 coniicere potest. d. c. 6. multam verò dicere non potest. l. 5.

LVI. *De magistratibus municipalibus.*

1 SEcundus est magistratus municipalis: quo nomine duumuiri, qui sunt inter magistratus municipales
2 præcipui, significari solent. ¶ Dicuntur autē duumuiri vnum magistratum administrare, & vnius officio fungi, quoniam eorum officium est indiuiduum. D. ad
3 municip. l. Imperator. 11. ¶ Eligebantur è decurionibus. D. de decu. l. 7. §. is qui. vt defensores eligebantur
4 ex plebeiis. C. tit. prox. l. 2. ¶ Habent iurisdictionem voluntariam. ff. de manu. vind. l. vlt. & D. de adopt. l. 4. & contentiosam in minoribus causis: de maioribus autem causis non iudicant, nisi eorum iurisdictio consensu partium prorogetur. D. ad municip. l. inter. 28.
5 ¶ Tutorem vel curatorem iis dant, quorum facultates non excedunt quingentos aureos. C. de episc. aud. l. sancimus. 30. & Instit. de Attil. tuto. §. nos autem.
6 ¶ Merum imperium non habent, sed tantùm modicam in seruos coërcitionem. D. de iurisd. l. magistratibus. 12. & qui & à quib. l. si priuatus. 17. §. 1. & de iniur. l. item apud. 15. §. vnde quærit. Quapropter sibi inobedientes non punit, sed superior iudex eos coërcet. D. si quis ius dic. non obtemp. l. vn.

LVII. *De officio iuridici Alexandriæ.*

TErtius est iuridicus Alexandriæ, de quo dixi D. hoc tit. Hucusque dictum est de ius dicentibus.

LIBER II.

TITVLVS I.

De edendo.

POSTQVAM dictum est de ius dicentibus, consequenter dicendum de ipso iudicio. cuius quidem duo sunt præparatoria. Primum est libelli conuentionalis siue actionis editio, de qua dixi D. hoc tit.

II. *De in ius vocando.*

SEcundum est vocatio in ius, de qua dixi D. hoc tit.

III. *De pactis.*

VOcati in ius ire debent, nisi iusta de causa excusentur. Excusationis vna causa est pactum, de quo dixi D. h. t.

IV. *De transactionibus.*

ALtera causa est transactio, de qua dixi D. h. t.

V. *De errore calculi.*

ILlud specialiter hîc de transactione notatur, eam propter errorem calculi rescindi, nisi de hoc quoque transactum sit. Error calculi est error in computatione factus. nam veteres, vt & multi hodie, calculis vtebantur in rationibus supputandis. hodie viri elegantiores vtuntur potiùs cifris arithmeticis, quàm calculis. sed etsi per cifras error committatur, nihilominùs ad hunc titulum tamquàm error calculi pertinebit.

VI. *De postulando.*

QVæ hactenus à tit. 19. libri primi exposita sunt, partim ad iudices, partim ad iudicia pertinent; deinceps de litigantibus agitur: & primo loco de postulantibus, de quibus dixi D. hoc tit.

VII. *De aduocatis diuersorum iudiciorum.*

HIc titulus est pars superioris. Nam aduocatus est 1
Doctor iuris. l. nemini. 11. §. iurisperitos, ad cuius officium pertinet pro alio. D. de re iudic. l. inter. 54. id est, pro cliente postulare. l. suggestionem. 20. ¶ Non 2
solùm autem vocatur aduocatus, sed etiam patronus. l. 1. & l. 5. cum sim. & causidicus. l. 2. cum sim. & orator. C. de episc. & cler. l. omnes. 33. §. 1. & togatus. l. 3. & 5. cum sim. & scholasticus. ff. de iudic. aduoc. l. 2. & ibi Cuiac. Quamquàm olim aduocatus & patronus differebant, vt constat ex M. Tullio pro Cluentio, & ex Ascon. Verr. 1, quia patronus erat orator, qui causam agebat: aduocatus verò, qui ius suggerebat, aut præsentiam suam amico accommodabat. ¶ Aduocatorum 3
tria sunt genera. Nam alij sunt aduocati statuti, qui in collegio sunt. l. per hanc legem. 26. cum sim. in matricula siue albo descripti. l. petitionem. 13. in princ. l. suggestionem. 20. certo numero, quem excedere non licet. l. cum aduocatio. §. l. nemini. 11. in princ. & §. vlt. cum sim. & certo ordine qui turbari nequit. d. l. per hanc legem. in princ. & l. pen. constituti sub primiceriis seu prioribus seu primatibus. l. binos. 10. l. iubemus pro tempore. 22. in prin. l. petitiones. 24. in prin. d. l. per

hanc

BIU Cujas

hanc legē.in pr.certo foro addicti.l.4.& s.ti.prox.l.vlt. Alij sunt supernumerarij, qui nec certo numero sunt, nec certo collegio comprehēsi,nec certo foro addicti, sed per omnia fora liberè oberrant.d.l.nemini.§.vlt.

VIII. *De aduocatis fisci.*

1 ALij sunt aduocati fisci, qui etiam vocantur patroni fisci. s. tit. prox. l. cùm aduocatio. 8.cum
2 sim. vel ærarij. s. eod.l. nemo.28. ¶ Hi verò sunt, ad quos pertinet agere causas fiscales,l.1.cum sim.Agunt autem singuli in eo foro, ex cuius collegio sumpti sunt. nam ex variis foris seu diuersis aduocatorum collegiis adsumuntur. vtputà electus ex collegio togatorum præfectianorum, causas fiscales agit apud præfectum vrbi: & sumptus ex collegio togatorum prætorianorum, causas fiscales agit apud præfectum prætorio. s. tit.prox. l.cùm aduocatio.8,l.petitionem. 13. l. iubemus pro tempore. 22. in princ. l. petitiones.
3 24. in princ. ¶ Olim erat in quolibet foro vnus fisci patronus:sed postea specialiter constitutum est,vt duo essent in foro præfecti prætorio orientis. s. eod. l. bi-
4 nos. 10. & l. post duos.15. ¶ Hoc officium olim erat annuum. d. l. cùm aduocatio. postea constitutum est, vt biennio duraret, saltem in quibusdam foris, vt in foro præfecti prætorio Illyrici. s. eod. l. sancimus patronum.12. Alexandrino. d.l.petitionem. vers. egredientem. Comitis orientis.d.l. iubemus pro tempore. in princ.secundæ Syriæ.d.l.petitiones.in princ.nam de aliis foris nihil expressum reperio.

IX. *De errore aduocatorum, vel libellos seu preces concipientium.*

1 ANtequàm tractatui de aduocatis finem imponamus, quædam omnibus aduocatis communia
2 notare oportet. ¶ Primò error aduocati non nocet clienti,nisi cliens præsens sit, ac triduano silētio com-
3 probet ea quæ aduocatus dixit. l.1. & l. vlt. ¶ Similiter domino litis non nocet error in concipiendo libello admissus ab eo qui libellum seu preces concepit.l.2.Nam preces & libellum accipimus ἐν ὑπομνήματι.

X. *Vt quæ desunt aduocatis, vel partibus, iudex suppleat.*

1 SEcundò si quid aduocatus omiserit, quod ad causam faciat,iudex supplere debet. sicut enim error, ita etiā omissio aduocati nocere litiganti non debet.
2 ¶ Idem obtinet in iis quæ omissa sunt à partibus, id
3 est, à litigantibus. ¶ Atque hæc indistinctè obtinēt in iis, quæ in iure consistunt: non omnimodò in iis, quæ sunt facti: quia cùm iudex secundum allegata & probata iudicare debeat. D. de offic.præs. l.6.§.1.nihil supplere potest, quod actis non contineatur:sed quod in vna parte actorum est expressum, potest in altera supplere, præsertim si sit iudicium bonæfidei, vel arbitrarium: in quibus iudiciis maiorem quàm in strictis potestatem iudex habet.

XI. *Ex quibus causis infamia irrogatur.*

TErtiò infames ad officium aduocati non admittuntur. D. de postul. l. 1. Qui verò & ex quibus causis notentur infamia, docui D. h.t. Hucusque de aduocatis: cōsequenter dicendum de procuratoribus.

XII. *De procuratoribus.*

PRæter ea,quæ D.hoc tit.exposuimus,quædam hoc loco dicendum de quibusdam, qui non possunt procurationem in se suscipere, vt in sequentibus titulis explanabitur.

XIII. *Ne liceat potentioribus patrocinium litigantibus præstare, vel actiones in se transferre.*

POtentior prohibetur patrocinium litiganti præ- 1
stare. Potentior dicitur, cui aduersarius par esse non potest. D. de alien.iud. mut.cau.fac.l.3. Patrocinium hoc loco præstare dicitur, qui litis procurationem suscipit. ¶ Nota multis modis posse contingere, 2
vt quis potentioris opem assumat: qui omnes modi prohibentur. Primus modus est,si cùm procuratorem faciat, vt modò dixi. Secundus est, si actiones in eum transferat.Hic modus à superiori differt: quia suprà vetabatur potentior agere nomine alieno, id est, procuratorio: hîc vetatur agere suo nomine causam ad alium spectantem, & ad se translatam. ¶ Si aduer- 3
sus ea factum sit; is qui potentioris viri operam redemit, actionem perdit ille autem vir potens extra ordinem punitur.l.1.& 2.

XIV. *De his qui potentiorum nomine titulos prædijs affigunt, vel eorum nomina in litem prætendunt.*

TErtius modus est, si quis titulos alicuius viri po- 1
tentis prædio affigat, ne aduersarius illud prædium petere audeat. Titulus est tabula prædio affixa, quæ nomen, vel effigiem, vel insignia domini continet,vt colligitur ex l.1. j. tit.prox.& Nou. 17.cap.15.& Nou.Tiberij de diuinis domib.cap.1. ¶ Quartus mo- 2
dus est,si quis in litem,qua pulsatur, potentis viri nomen prætendat, quasi ad eum causa pertineat. Hi duo modi prohibentur.l.vn.hoc tit. Nam viro illi potenti, si consenserit, infamia per iudicem irrogatur. is verò qui eius auctoritate abusus est, causa cadit,& insuper si sine viri illius potentis consensu id facit, plumbatis cæsus damnatur in metallum.

XV. *Vt nemo priuatus titulos prædiis suis vel alienis imponat, vel vela regia suspendat.*

TRia sunt, quæ inter se similitudinem quandam 1
habent: tituli, vela, & signa. Tituli sunt,vt dixi, tabulæ prædiis affixæ. Vela solebant foribus ædium à veteribus prætendi: vnde *lenato velo*, significat aperta fore,in l.pen. j.de naufrag.sicuti Cuiacius interpretatur. Signa verò apponuntur rebus mobilibus. Nou. 164.in pr.& Nou.Tiber.de diu.dom.cap.1. ¶ De his 2
igitur omnibus hac in parte agitur, & cùm superiori tit. dictum sit de titulis virorum potentium, hoc tit. agitur de titulis ex velis regiis. Nam titulorum appellatione κατ' ἐξοχὴν significantur tituli regij, qui etiam appellantur tituli fiscales. j.de aquæduc.l.2. ¶ Si quis 3
titulos regios suo prædio affigat, prædium confiscatur.l.1.Si alieno prædio sine iussu iudicis affixerit,grauissimè punitur. j. de bo. vacan.l.3.id est, plebeius vltimo supplicio afficitur: clarissimus, vel decurio, vel miles, vel clericus proscribitur & cuilibet licet titulos regios illicitè affixos deiicere & frangere.l.2.& d.No. 164. Eadem obtinent in velis regiis.d.l.2.

XVI. *Vt nemini liceat sine iudicis auctoritate signa rebus imponere alienis.*

SIgna non possumus imponere rebus alienis sine auctoritate iudicis, id est, antequàm per iudicem sint nobis adiudicatæ.l.j. licèt nobis sint obligatæ, immo nec nostris rebus ab alio detentis. l.2. Quod si impo-

BIU Cujas

sita illicitè fuerint, amoueri impunè à quolibet possunt. d. l. 1. & eius qui ea imposuit, bona (vt opinor) confiscantur, arg. No. 17. cap. 15.

XVII. *Ne fiscus vel respublica procurationem alicui patrocinij causâ in lite præstet*

QVemadmodum viripotentes, ita etiam fiscus & respublica prohibentur patrociniũ litiganti præstare, id est, procurationem litis suscipere. Fiscus est populi Romani, vel principis. respublica est ciuitas Romano imperio subiecta.

XVIII. *De negotiis gestis.*

CVm dictum sit de procuratoribus, qui mandato domini administrant. D. de procur. l. 1. consequenter agitur de negotiorum gestoribus, qui mandato carent. D. h. t. l. 1. & 2. Huic rubricæ satisfeci. D. eod. tit. Hîc est finis tractatus de litigantibus: deinceps secundum ordinem etiam in Digestis adhibitum enarrabũtur causæ, de quibus ius dicitur, id est, restitutiones in integrum, quæ ex variis causis indulgentur.

XIX. *De his quæ vi metúsue causâ gesta sunt.*

PRima restitutionis causa est vis seu metus. Nihil autem refert, vtrùm dicas *metus causâ*, vt in Digestis; an *vi metúsve causâ*, vt hîc, & vt olim à prætore edicebatur: quia metûs appellatione etiam vis continetur: quatenus quod vi fit, metu quoque fieri videtur. D. eod. l. 1. De hac causa dixi. D. eod.

XX. *De dolo malo.*

SEcunda restitutionis causa est dolus, de qua dixi. D. hoc tit.

XXI. *De in integrum restitutione minorum viginti quinque annis.*

TErtia restitutionis causa est minorennitas, de qua generaliter dictum est sub tit. D. de minor. Hîc autem subiicientur quinque tractatus speciales.

XXII. *De filiofamiliâs minore.*

PRimus tractatus est de personis, quæ in restitutione spectantur. Hîc primò consideratur minor filiusfamiliâs. qui cùm possit non obstante patriâ potestate conueniri, potest etiam in integrum restitutionem petere, excepto mutuo, quod iussu patris accepit. D. de minor. l. 3. §. sed vtrùm. vers. proinde. Sed & pater nomine filij, licèt inuiti, restitutionem petere potest. D. eo. l. patri. 29. in princ. nisi filio contrahenti consenserit. d. l. 3. §. sed vtrùm.

XXIII. *De fideiussoribus minorum.*

SEcundò fideiussores minorum, de quibus duo sunt notanda. Vnum est, minorem restitui contra suum fideiussorem, cui tenetur actione mandati. Alterum est, fideiussorem aduersus creditorem minoris, apud quem fideiussit, ita demum restitui, si dolus creditoris interuenerit. l. 1. & 2. & D. de minor. l. in causæ. 13. in princ.

XXIV. *Si tutor vel curator interuenerit.*

TErtiò tutor vel curator minoris. Hîc sciendum, minorem restitui etiam aduersus ea quæ tutore vel curatore auctore fecit. l. 1. & ĵ. si adu. rem iudic. l. 4. & D. de minor. l. etiam si. 29. in princ. nec non aduersus ea quæ ipse tutor vel curator gessit: adeo vt electio sit minoris vtrùm restitutionem petere, an contra tutorem actione tutelæ, siue curatorem vtili negotiorum actione experiri velit: & altero horum remediorum electo, nihilominùs possit illud omittere, & ad alterum transire. l. 3. & l. vlt.

XXV. *Si in communi eademque causa in integrum restitutio postuletur.*

QVartò minoris socius, vel consors. Hîc duo traduntur de maiori & minori sociis vel consortibus. I. Maioris factum minori non nocet. II. Minoris restitutio maiori non prodest. Explicit primus tractatus, qui est de personis.

XXVI. *Si aduersus rem iudicatam.*

SEquitur secundus tractatus de factis, aduersus quæ necessaria est minori restitutio in integrum. Primum factum est condemnatio ipsius minoris. Nota ex superiori rub. in hac & sequentibus supplenda esse hæc verba, *in integrum restitutio postuletur.*

XXVII. *Si aduersus venditionem.*

SEcundum factum est venditio. Hîc sciendum, interdum venditionem ratam manere, quandoque ipso iure nullam esse, vt restitutione opus non sit, aliàs infirmari per restitutionem in integrum. 1

¶ Rata manet, nec per restitutionem rescinditur, I. Si minor iurauerit se nullam controuersiam facturum: quia standum est iuriiurando. l. 1. & auth. sacramenta. II. Si res fortuitis casibus obnoxiæ, vt vinum, frumentum, venditæ sint tutore vel curatore auctore. D. de minor. l. ait prætor. 7. §. quæsitum. 2

¶ Ipso iure nulla est venditio, I. Si pupillus sine tutore rem vendiderit. II. Si minor curatorem habens, sine curatore vendiderit. ĩ. de in integ. restit. minor. l. 3. III. Si res, quæ sine corruptionis & interitus periculo, vt prædium, venditum sit sine decreto prætoris. ĵ. de prædiis minor. l. 2. l. si quidem. 11. l. si prædium. 16. 3

¶ Aliis casibus datur restitutio; siue ipse minor vendidit. ĩ. de fideiuss. min. l. 1. & D. de minor. d. l. ait prætor. §. 1. siue tutor curatórve rem ipsius minoris vendidit. l. 2. & D. de minor. l. intra. 29. §. 1. & l. tutor. 47. §. 1. 4

XXVIII. *Si aduersus venditionem pignorum.*

SIue creditor rem minoris sibi pigneratam distraxit: siue res minoris condemnati capta & distracta sit: videlicèt si minor magno detrimento sit affectus. l. 1. & ĵ. de præd. minor. l. 1. Sed si pignus ab eo contractum fuerit, cui minor successit, restitutio cessat. l. 2.

XXIX. *Si aduersus donationem.*

TErtium factum est donatio: quæ regulariter occasionem restituendi dat: siue minor donauit. ĵ. de inoff. donat. l. 4. siue patri donanti consensit. l. 2. vers. in aliis. siue donationem sibi factam remisit. ĵ. de præd. minor. l. 7. Quandoque tamen donatio rata manet, vt quia modica est. d. l. 4. vel cum auctoritate curatoris facta est ex iusta causa. l. 1. Quandoque ipso iure non valet, vt prædij donatio. l. 2. & ĵ. de præd. min. l. 4. l. prædia. 8.

XXX. *Si aduersus libertatem.*

QVartum factum est manumissio. Nota minorem non restitui aduersus libertatem, quæ semel competiit, siue aduersus factam manumissionem. l. 1. 2. & vlt. & D. de minor. l. si ex causa. 9. §. vlt. restitui tamen aduersus manumissionem & libertatem futuram. l. 1. & D. de minor. l. verum. 11. in princ.

XXXI.

BIU Cujas

XXXI. *Si aduersus transactionem, vel diuisionem.*

1 QVintum factũ est transactio: aduersus quã factã. l.1. & 2. & ſ. vbi & apud quem. l.2. vel omissam minor restituitur. D. de min. l. si ex causa. 9. §. nunc vi-
2 dendum. ¶ Sextum factum est diuisio. nam si facta diuisione minor lædatur, aduersus eam restitui debet. l.1. & ſ. commu. diuid. l.4.

XXXII. *Si aduersus solutionem à debitore, vel à se factam.*

SEptimum factum est solutio: aduersus quam læsus minor restituitur, siue ipsi debitor temerè soluerit, & minor pecuniam perdiderit. D. de minor. l.7. §. sed etsi siue ipse minor temere soluerit, aut quia inconsultò aliud pro alio soluit. D. eod. l. minor. 40. §. 1. aut quia soluit, quod non debebat. D. de minor. l. in causæ. 16. §. Pomponius. aut quod tantùm naturaliter debebat. D. eod. l. illud. 25. in princ. & de condict. indeb. l. interdum. 29.

XXXIII. *Si aduersus dotem.*

OCtauum factum est dotis datio, vel promissio: vt quia minor circumscripta dedit omnia bona sua in dotem, aut vltra vires patrimonij dotem promisit. l. vn. & D. de minor. l. si ex causa. 9. §. 1.

XXXIV. *Si aduersus delictum.*

NOnum factum est delictum. Aduersus quod minor non omnino restituitur, sed tantùm ratione ætatis pœna mitigatur. D. de minor. l. auxilium. 37. §. 1. Nisi per imprudentiam, seu iuris ignorantiam deliquerit: tunc enim restitui potest, putà si nuptias incestuosas, quas putabat esse permissas, contraxerit. D. de adult. l. si adulterium. 38. & s. de restit. minor. l. pen.

XXXV. *Si aduersus vsucapionem.*

DEcimum factum est vsucapio. nam si quis rem minoris vsuceperit, ea vsucapio per restitutionem in integrum rescindetur.

XXXVI. *Si aduersus fiscum.*

VNdecimum factum est contractus fiscalis. Hîc deciduntur tres casus. I. Si fiscus cum minore contraxerit, putà rem eius vili pretio emerit, minor contra fiscum restituitur. l.1. II. Si fiscus rem minoris vendiderit Titio quasi suam, minor contra Titium restituitur. l. 3. III. Si fiscus rem minoris sibi pignoratam vendiderit, eò quòd sibi non satisfieret: sic distinguitur. Aut res bona fide & auctoritate publicâ distracta est, & denegatur restitutio; aut secus vendita est, & minor. restituitur; ita vt soluens quod fisco debet, rem suam recipiat. d. l.3.

XXXVII. *Si aduersus creditorem.*

DVodecimum factum est mutuum minori datum. Restituitur autem minor contra creditorem, nisi aut patre consentiente acceperit. s. de filiofam. mino. l.2. aut in rem suam verterit. & locupletior factus sit. l.1. & 2. & D. de minor. l. patri. 27. §. 1. Sed si eandem pecuniam alteri crediderit, eatenus creditori suo tenetur, vt actiones ei contra suum debitorem cedere debeat. d. l. patri. §. 1.

XXXVIII. *Si vt se ab hereditate abstineat.*

1 DEcimum tertium factum est acquisitio hereditatis contra quam minor restituitur, siue sit heres extraneus, siue suus, siue necessarius: nempe vt non obstante aditione extraneus possit hereditatem repudiare; vel non obstante immixtione suus heres possit abstinere, necessarius possit separationem bonorum petere quamuis sola abstentio in hac rub. proponatur. Quin etiam in bonorum possessione, & (vt generaliter dicam) in quauis successione hæc restitutio locum habet. l.1. & 2. & D. de minor. l.7. §. sed etsi. & §. sed quod Papinianus. & de acquir. hered. l. necessarijs. 57. §. 1.
2 ¶ Nota hæc omnia obtinere in puberibus. nam impubes non eget restitutione, sed sine restitutione potest abstinere postquàm se immiscuit. d. l. necessariis. in pr.

XXXIX. *Si vt omissam hereditatem, vel bonorum possessionem, vel quid aliud acquirat.*

DEcimum quartum factum est omissio, id est, repudiatio vel abstentio hereditatis, aut bonorum possessionis, aut aliûs cuiuslibet lucri. Nam minor restituitur, vt hereditatem vel bonorum possessionem siue in paternis, siue in extranei bonis acquirat. l.1. & 2. & s. de in int. restit. minor. l.2. & D. de minor. l.3. §. si heres. & l. quòd si minor. 24. §. Scæuola. aut quoduis aliud lucrum amissum consequatur. D. eod. l.7. §. hodie. l. non omnia. 44. vt legatum. d. l.7. §. Pomponius. Hucusque exposita sunt facta seu casus, quibus minor eget restitutione in integrum.

XL. *In quibus causis restitutio in integrum non est necessaria.*

SEquitur tertius tractatus de causis, quæ non egent restitutione, quia minor est tutus ipso iure. Nam restitutio in integrum concurrit quidẽ cum alia actione, sed eo casu non datur, quo minor ipso iure tutus est. D. de minor. l. in causæ. 16. in princ. & §. Pomponius. vide Cent. 2. Enantiophanon. qu. 99. veluti si minor prædium alienauit sine decreto. s. si aduers. donat. l. 2. & ſ. de præd. minor. l.2.4. & 8. aut si circumscriptus, donationisve causâ societatem contraxit. d. l. in causæ. §. 1.

XLI. *Qui & aduersus quos in integrum restitui non possunt.*

SVccedit quartus tractatus in quibus causis restitutio in integrum denegatur. Sunt autem multæ & variæ, quarum aliquot in sequentibus titulis specialiter explanabuntur.

XLII. *Si minor se maiorem dixerit, vel maior probatus fuerit.*

PRima causa est, si minor dolo malo affirmauit, vel probauit se esse maiorem, quo magis alter secum contraheret. l. 2. & 3. in princ. At si deceptus, vel per errorem id fecit, restitui debet. l.1. & d. l.3. vers. quòd si. & l. vlt.

XLIII. *Si sæpius in integrum restitutio postuletur.*

SEcunda causa est, si restitutio semel petita, & à iudice denegata fuerit: quia iterum eam petenti obstat exceptio rei iudicatæ, nisi nouas rationes alleget, quæ in priori iudicio adductæ non fuerunt. l. 1. 2. & 3.

XLIV. *De his qui veniam ætatis impetrauerunt.*

TErtia causâ est, si minor, prisquàm contraheret, cùm esset maior viginti annis, si sit masculus, vel octodecim si femina, veniam ætatis à principe impetrauit, & apud iudicem competentem eâ impetratione insinuatâ, tam supra dictam viginti vel octodecim annorum

norum ætatem, quàm vitæ & morum honestatem probauit.l.2.

XLV. *Si maior factus ratum habuerit.*

QVarta causa est, si quis id, quod in minori ætate gessit, postea maior factus ratum habuit. l.2. Expositæ sunt causæ, propter quas restitutio denegatur.

XLVI. *Vbi & apud quem cognitio in integrum restitutionis agitanda sit.*

1 SVpereſt vltimus de minorennitate tractatus, qui est de ipso iudicio restitutorio: de quo quatuor quæstiones deinceps dissoluentur. Prima quæstio est de foro competenti, id est, qui iudices restituere possint.
2 ¶ Restituere possunt, I. Princeps. l. 1. & ſ. si aduers. rem iudic.l.3.& D.de minor.l.nisi.10.l.minor,18.§.1.& seqqq. II.Magistratus seu iudex ordinarius. III.Iudex pedaneus.l.vlt. sic enim hanc legem cum Cuiac. accipio: quamuis à Duareno in contrariam sententiam
3 detorqueatur. ¶ Restituere non possunt, I.Magistratus municipalis.D.ad municip.l.ea quæ.22. II.Arbiter compromissarius. III.Arbiter à iudice pedaneo datus,
4 d.l. vlt. ¶ Hîc autem vtimur illa iuris regula, Actor sequitur forum rei.l.2.

XLVII. *De reputationibus, quæ fiunt in iudicio in integrum restitutionis.*

SEcunda quæstio est, quæ minori restitutionem petenti reputari possint. Hîc generaliter sciendum, minorem, qui restituitur, vt non debet in damno versari, ita etiam non debere lucrum retinere. l. vn. quia restitutio fit hinc inde. D.de minorib.l. quòd si minor 24.§.penult.

XLVIII. *Etiam per procuratorem causam in integrum restitutionis agi posse.*

TErtia quæstio est, an procurator in hoc iudicio, admittatur. Respondetur, procuratorem admitti tam ex parte actoris, quàm rei, dummodò speciale mandatum habeat, aut, si de eo dubitetur, caueat rem ratam dominum habiturum.l.vn.& ſ. si tut. vel curat. interu.l.1.& D.de minorib.l.quòd si de speciali.26.

XLIX. *In integrum restitutione postulata, ne quid noui fiat.*

QVarta quæstio est, an iudicio restitutionis pendente liceat aliquid innouare. Respondetur, non licere, sed interim omnia in suo statu manere. l. vn. Hucusque de restitutione minorum.

L. *De restitutionibus militum, & eorum qui reipublicæ causâ absunt.*

QVarta restitutionis causa est absentia reipublicæ causâ. inter absentes autem reipublicæ causâ numerantur etiam milites.l.3.& D.ex quib.cau. maio.l.si qua militi. 40. in princ. l. milites omnes.45. Quapropter hæc rubrica sic debet accipi, vt de restitutionibus militum ceterorúmque reip. causâ absentium dicendum proponatur.

LI. *De vxoribus militum, & eorum qui reipublicæ causâ absunt.*

HÆc restitutio producitur etiam ad vxores militum, ceterorúmque reipub. causâ absentium, quæ cum maritis peregrinantur, ne coniugalis pietas detrimentum eis afferat.l.1.& 2.

LII. *De temporibus in integrum restitutionis tam minorum, & aliarum personarum, quæ restitui possunt, quàm etiam heredum eorum.*

ILlud commune est omnibus restitutionibus suprà 1
expositis, vt intra certum tempus peti debeant, post quod peti non possunt. Prætor annum vtilem præscripsit. postea Constantinus actioni de dolo biennium tribuit. ſ. de dolo.l.vlt. In ceteris Iustinianus pro anno vtili substituit quadriennium continuum. ita vt hoc tempus neque minori currat, quamdiu minor est (nisi veniam ætatis à principe impetrauerit: quo casu tempus currit à die insinuationis apud competentem iudicem factæ: sic tamen, vt nullo modo restitutio denegetur, quamdiu est minor, licèt quadriennium à dicta insinuatione effluxerit. l.5.) nec absenti reipublicæ causâ, quamdiu reipublicæ causâ abest.l.vlt. ¶ De he- 2
redibus autem restituendis notetur distinctio quadripertita. I. Si minor minori successit, post suam legitimam ætatem habet statutum ad restitutionem petendam tempus.l.5.§.1.& D.de minor.l.interdum.19. II.Si minor maiori successit, post legitimam ætatem tantum temporis habet, quantum defunctus habebat, seu quantum ei supererat mortis tempore. d.l.5.§. quòd si maioris.d.l.interdum.vers.planè. III. Si maior minori successit: statim atque hereditatem adiuit, aut bonorum possessionem petiit, statutum tempus, id est, quadriēnium habet ex persona defuncti.l.4. & d.l.5.§. vlt.& D.de minor.l.minor autē.18.§.vlt. IV. Si maior maiori successit: statim ac adiuit hereditatē, aut petiit bonorum possessionem, tātum temporis habet, quantum defunctus habuit mortis tempore.glo.vlt.in d.l.5.

LIII. *Quibus ex causis maiores restituantur.*

SVb hoc tit. proponuntur variæ restitutionum causæ, ex quibus restituuntur maiores viginti quinque annis, præter absentiam reipub. causâ, de quâ dictum suprà fuit. Harum causarum aliæ continentur edicto prætoris, veluti si quis fuerit in vinculis, aut potestate hostium: aliæ sunt referendæ ad generalem clausulam, qua prætor pollicetur se restituturum, quotiescumque iusta causa videbitur. D.hoc tit.l.1.

LIV. *De alienatione iudicij mutandi causâ facta.*

VLtima restitutionis causa est alienatio iudicij mutandi causâ facta, quam exposui. D.hoc.tit. De magistratuum & ius dicentium iudiciis hactenus.

LV. *De receptis arbitrijs.*

SEquuntur iudicia arbitrorum compromissariorum, qui arbitrium in se receperūt, de quibus dixi. D.h.t.

LVI. *De satisdando.*

CVm de iudiciis principalibus, & de iurisdictioni- 1
bus, & de arbitriis compromissariis dictum sit, superest vt agamus de iudiciis propriè dictis, id est, iudicum pedaneorum: quorum iudiciorum præparatoria tria sunt. Primum præparatorium est satisdatio: cuius definitionem, & à ceteris cautionibus distinctionem exposui Inst.h.t. ¶ Qui suo nomine agit, I. Tam 2
reo quàm executori promittit se intra duos menses litem contestaturum: &, nisi id fecerit, se omne damnum aduersario restituturum in duplum: sic tamen, ne hæc cautio excedat triginta sex aureos. Nou. 96. cap. 1. II. Datis, si potest, fideiussoribus: sin minùs, iuratò cauet se permansurum in iudicio vsque ad terminum

BIU Cujas

minum litis, id est, vsque ad sententiam definitiuam: &, si victus fuerit, se decimam partem litis aduersario soluturum. Excipiuntur lites communi partium consensu motæ, quæ hanc cautionem non desiderant. No. 112. cap. 2. Item excipiuntur argentarij, qui hoc nomine non satisdant, sed repromittunt. edic. 7. III. Si ex rescripto principis reum ad iudicem non competentem, id est, ex prouincia in vrbem, vel in aliam prouinciam vocet, datis fideiussoribus cauet, nisi litem exequetur vsque ad sententiam, aut si exequens non obtinuerit, se daturum certam pœnam, quam iudex definiet. Nou. 53. cap. 2. IV. Interdum cauet de rato, veluti si procurator aduersario deferente iurauerit, & ex suo iureiurando agat. D. de procur. l. non solùm. 39. 3 §. 1. vers. sed interim. ¶ Procurator actoris cauet. I. Rem ratam dominum habiturum, si de mandato dubitetur. l. vn. in princ. De hac cautione dictum est. D. rat. rem hab. II. De actore defendendo, si à reo reconueniatur. d. l. vn. vers. sin autem. quæ satisdatio est ex edicto prætoris. D. de procur. l. seruum quoque. 33. §. ait prætor. Nisi enim defendat, actio ei denegatur. D. 4 eod. l. mutus. 43. §. pœna. ¶ Reus cauet I. Se iudicio staturum: de qua cautione dictum est. D. qui satisd. cogan. II. Se permansurum in iudicio vsque ad finem litis, id est, vsque ad sententiam definitiuam, quæ cautio modò est satisdatio, modò iuratoria cautio, modò repromissio. Insti. de satisdat. §. sed hodie. Qui autem satisdent, vel iurent, vel repromittant, eod. tit. exposui. 5 ¶ Rei procurator, vel defensor cauet iudicatum solui: de qua cautione dictum est. D. iudic. solui.

LVII. *De formulis & impetrationibus actionum sublatis.*

SEcundum iudicij præparatorium olim erat impetratio actionis à prætore, qui iudicem dabat, & formulam præscribebat. Sed hæ formulæ, & hæ impetrationes constitutionibus principum sunt sublatæ.

LVIII. *De iureiurando propter calumniam.*

1 TErtium præparatorium est bona fides, quam lex à litigantibus requirit, ne temere litigent. Quamobrem tam actorem, quàm reum de calumnia iurare 2 iubet. Inst. de pœn. tem. litig. §. vlt. ¶ Calumnia & calumniator dicuntur à vetusto verbo *caluitur*, quod significat morari & frustrari. D. de verb. signif. l. si caluitur. 233. in princ. ¶ Calumniator propriè dicitur, qui 3 falsa crimina sciens intendit. D. ad S. C. Turpil. l. 1. §. 1. sed latiùs sumpto vocabulo, calumniator dicitur, qui sciens prudens per fraudem alicui negotium comparat. Paul. lib. 1. Sent. tit. 5. in princ. & calumniari dicuntur, quicumque temere litigant. D. de liber. cau. l. cui necessitas. 39. §. 1. & Inst. in princ. præm. Latissimè autem verbum calumniæ sumitur, cùm omnem ingenij malitiam significat, vt apud M. Tullium lib. 2. de repub. *Vt Carneadi respondeatis, qui sanè optimas causas ingenij calumniâ ludificari solet.* Secunda significatio ad hunc 4 titulum pertinet. ¶ Iusiurandum igitur de calumnia est, quo iurans affirmat se non alterius vexandi causâ, sed bona fide aliquid petere, aut petenti contradicere. 5 ¶ Diuiditur in iusiurandum iudiciale & extraiudiciale. Iudiciale est, quod ad iudicium, vel actus iudiciales pertinet. extraiudiciale, quod extra iudicium super actu extraiudiciali præstatur: veluti cùm quis iurat se non calumniæ causâ petere, vt sibi permittatur suum thesaurum quærere in fundo alieno. D. ad exhib. l. the- 6 saurus. 15. ¶ Iudiciale à Doctoribus subdiuiditur in speciale, & generale. olim enim (vt putant) in singulis articulis litis & singulis causis iurabatur de calumnia: sed hodie semel tantùm & generaliter iuratur in principio litis. No. 49. cap. 3. Hanc sententiam meritò Cuiacius improbat: quoniam Imperator ibi constituit quidem semel tantùm de calumnia iurari in tota lite: non tamen hoc generaliter constituit, sed tantùm cùm probationes ab aduersario exiguntur: noluit enim, quotiescumque probatio exigitur, toties de calumnia iurari, sed semel ab initio litis iurari, quòd in eo iudicio numquàm probatio per calumniam exigetur. Hoc igitur est iusiurandum speciale de probationibus quæ ab aduersario exiguntur. omnino autem vniuersale seu generale iusiurandum de calumnia nullum est. ¶ Inter iuramenta iudicialia, quæ omnia dixi esse spe- 7 cialia numeratur iusiurandum de litis contestatione, de quo solo agitur in hoc titulo. ¶ Hoc subdiuidi po- 8 test: quoniam aliud præstatur ex parte actoris, aliud ex parte rei. Actor iurat se non calumniandi animo, sed quia bonam causam se habere existimat, litem mouisse. Reus iurat se, quòd putet bona instantia vti, ad contradicendum peruenisse. l. 2. in princ. & Instit. de pœn. tem. litig. §. 1. ¶ Nota primò hoc iusiurãdum esse 9 (vt nostri loquuntur) de credulitate, non de veritate. non enim iurant litigantes se bonam causam habere, sed se ita credere. ¶ Nota secundò actorem iurare de 10 calumnia, siue suo nomine agat, siue alieno, vt tutorio, vel curatorio. d. l. 2. §. quod obseruari. Cùm autem per procuratorem litigatur, nihilominùs iure ciuili dominus litis iurare debet, non procurator, & cùm vniuersitas per syndicum litigat, ipsa vniuersitas, aut saltem maior seu præcipua pars iurare debet, non syndicus. d. l. 2. §. sin autẽ. & §. hoc etiam. Sed iure Pontificio etiam procuratores, & similes personæ, vt syndici, iubẽtur iurare de calumnia. extrà hoc tit. lib. 6. cap. 2. §. 1. Item hæ personæ iurare possunt pro domino litis, in animam eius, ex speciali mandato. extrà eo. cap. 1. 3. 4. pen. & vlt. ¶ Nota tertiò iurati de calumnia in omnibus iudiciis. 11 d. l. 2. in princ. non solùm in ciuilibus, sed etiam in criminalibus. Feud. lib. 6. tit. 10. §. si quis autem. & extrà hoc tit. c. 1. & in spiritualibus. extrà eo. tit. lib. 6. cap. vlt. ¶ Nota quartò hoc iusiurandum præstari in primordio 12 litis, id est, statim post litem contestatam. d. l. 2. in prin. & §. vlt. quod si tunc quouis casu prætermissum fuerit, postea quandocumque in eodem iudicio iurari poterit. extrà eod. tit. lib. 6. cap. 1. in princ. Quòd si procurator absentis litiget, post satisdationem præstitam lis non procedit, donec intra certum tempus à iudice præscribendum dominus litis iuret. d. l. 2. §. sin autem abfuerit. & §. hoc etiam. ¶ Nota quintò actorem de 13 calumnia iurare nolentem causâ cadere, reum iurare recusantem haberi pro confesso. d. l. 2. §. quòd si actor. & §. sin autem reus. & extrà h. t. c. vlt. in fin. ¶ Nota 14 sextò hoc iusiurandum iure ciuili prætermitti nullo modo posse, quin iudicium sit inane & nullum. d. l. 2. §. sed quia. iure autem canonico posse tacitè remitti, non expresse: ita vt, si petitum nec præstitum sit, iudicium sit nullum: sic nec petitum nec præstitum sit, iudicium valeat. extrà h. tit. lib. 6. cap. 1. §. 1. ¶ Hactenus de iudi- 15 ciorum præparatoriis. nam etsi iusiurandum calumniæ præstatur post litem contestatam, tamen ad bonam fidem refertur, qua quis iurat se accessisse ad litem mouendam: & hac ratione inter præparatoria refertur: sequitur, vt de ipsis iudiciis propriè dictis, id est, quibus iudices pedanei præsunt, agamus tam in genere, quàm in specie.

BIU Cujas

LIBER III.

TIT. I. *De iudicijs.*

1 DE iudiciis primo loco generalia, deinde specialia & singularum specierum propria sunt explananda, arg.l.1. D. de reb. cred. Rectè igitur hîc detur generalis titulus *de iudicijs*, vt & initio secundæ partis Pandectarum: nam illi parti hic liber proportione respondet, easdémque materias continet. Quæ igitur ibi notaui, huc transferri pro huius tituli interpretatione possunt. Tractatus generalis multiplex est. Primus tractatus est de ipsis iudiciis (veluti quid sit iudicium, & quot eius genera:) cui satisfeci D.h.tit.

II. *De sportulis, & sumptibus in diuersis iudicijs faciendis, & de executoribus litium.*

1 HIc titulus & sequentes vsque ad tit.de inofficioso testamento, sunt superioris tituli pars. nam generalis tractatus de iudiciis latè patet, ac septem particulares tractatus sub se continet. Primus tractatus est de executoribus. simul autem agitur de sportulis, & sumptibus litium: quia non alij sumptus hic considerantur quam sportulæ, quæ executoribus litium præ-
2 bentur. ¶ Sportula est nomen deminutiuum à sporta, vt fiscellæ à fisco, hæc autem sunt nummorum & aliarum rerum receptacula, & per metonymiam subiecti accipiuntur pro ipsa pecunia, quæ fisco vel sportulâ continetur. Ascon.in Verri.2.scribit sportulas esse minores fiscis: idcirco sportulam accipi pro pecu-
3 nia priuata, fiscum pro publica. ¶ Sportulæ à Suida definiuntur δῶρα ὅπ' ἀνάντων διδόμενα παρρησίᾳ, *dona seu munera, in quibuscumque [rebus] palam præbita.* Quod ait, *in quibuscumque rebus*, significat sportulas dari vel in nummis, vel in aliis rebus. Vnde sportulæ, quæ olim salutatoribus dari solebant, primò in obsoniis, postea in centum quadrantibus præbebantur. Fœneratores quoque de pecuniis fœnori dandis aliquid siliquarum vel sportularum nomine retinebant: quod Iustinianus prohibet. ff. de vsur. l. eos. 26. §. 1. vers. interdicta.
4 ¶ Sportularum aliæ sunt voluntariæ, quæ libero donantis arbitrio præstantur, vt cùm Consules pecunias in vulgus spargunt. Nou.105. & cùm veteres salutantibus sportulas præbebant, vt modò dixi: aliæ necessariæ, quas præstare necesse est. Hæ partim sunt extraiudiciales, vt quæ præstantur ab his, qui magistratum suscipiunt.l.2.& No.8.in fin. vel decuriones creantur. D.de donat.in.vir.& vxo.l.5.§.pen.& de decur.l.6.§.1. & quæ soluuntur executoribus iussum principis, vel vrbici magistratus insinuantibus in prouincia. ff. de episc.audien.l.de his quæ singulis. 26.§. si quis autem. partim iudiciales, quæ ad hunc titulum pertinent, &
5 vel iudicibus, vel executoribus præstantur. ¶ Iudicibus pedaneis, præter duas libras auri, quas annuatim è publico percipiunt, à litigantibus præstatur duo aurei in lite contestanda, ac totidem in fine litis; dummodò causa centum aureos excedat, alioqui nihil acci-
6 piunt à litigantibus. No.82.cap.9. ¶ Executoribus debentur I. Prouocatione in ius semisses in singulos centenos aureos petitos. hos autem semisses accipiunt à reo conuento. Insti.de action.§.tripli.& ibi Theoph. II. Pro editione libelli, vel inscriptionis, vel actorum, vel instrumentorum certa quantitas. l.penult. definita
7 per l.vlt. quæ non extat. ¶ Nota primò quibusdam ex speciali priuilegio concessum esse, vt exiguas sportulas soluant, vt personis religiosis. Nou.123.c.28. nonnullis, vt nullas sportulas soluant, vt episcopo in causa ecclesiæ.d.c.28. & tenuioribus hominibus. No.17.c.3. & aduocatis, qui intra numerum sunt, & suas causas agunt. ff. de aduoc.diu.iud.l.per hanc.26.§.vlt. ¶ Nota 8
secundò priuilegium vni parti concessum, vt minores vel nullas sportulas soluat, etiá parti aduersæ prodesse, vt in iudicio æqualitas seruetur. ff. de fructib.& lit.expen.l.vlt. & ff. de prox.sacr.scrin. l.in sacris scriniis.12. §.vlt. ¶ Nota tertiò modum sportularum pragmati- 9
cos debere potiùs ex consuetudine, quàm ex iure scripto petere. Azo hîc, num.9. Hactenus de sportulis. ¶ Tertius tractatus est de sumptibus in iudicio facien- 10
dis. Sumptus, qui in litem fiunt, partim latiùs, partim angustiùs patent, quàm sportulæ. nam sportulæ tam extra iudicium præbentur, quàm in iudicio, vt ex suprà dictis patet: sumptus autem litis tantùm in iudicio fiunt, sed sumptuum litis, alij vocantur sportulæ, vt suprà docui: alij minimè, vt sumptus qui testibus à litigatoribus præbentur. ff. de testib. l. quoniam.11.& ff. de appell.l.6.§. si quis autem. ¶ Iam verò sumptus 11
litis considerantur, vel quatenus in litem fiunt: vel quatenus antea facti, restitui ab aduersario debent ei qui fecit. Hæc posterior consideratio pertinet ad tit. ff. de fructib. & lit. expen. Prior consideratio est huius loci. ¶ Hi sumptus partim fiunt in iudicem, vt cùm 12
iudici pedaneo duo aurei præstantur in lite contestanda, ac totidem in fine litis, vt suprà exposui: partim in apparitores, vt cùm dãtur sportulæ executoribus: partim in testes, vt paulò antè dixi: partim in aduocatos, quibus dantur honoraria, si sint supernumerarij, quia non fruuntur publico salario. ff. de postul.l.3.& D. de extraord.cogn.l.1.§.in honorariis.§. si cui. & §. diuus. partim in procuratores, quibus honoraria seu salaria licita debentur, si de his conuenerit. ff. manda.l.1. & D.eo.l.6.in pr.& l.7.partim in iter faciendum. ff. de his qui accus. non poss.l.3.in fi.& No.53.in prin. & cap.1.
¶ Quartus tractatus est de executoribus litium. Exe- 13
cutoris vocabulum latè patet. quicumque enim aliquid exequitur, rectè vocatur executor. itaque vulgò executores testamẽtarij dicuntur, quos Marcellus appellat ministros. D. de lega.ij. l. si quis Titio. 17. Marcianus Imperator dispensatores. Nou.de testam.cleric. Leo ὑπηρέτας, Nou. 68. sed hoc loci tantùm agitur de litium executoribus, id est, de apparitoribus, qui magistratui seu iudici inseruiunt tamquam ministri.l.2. cum sim. nam vocantur etiam apparitores. l.1. & ff. de episcop.& cler.l.omnes.33.§. executoribus. vel viatores. D.de iudic.l.vlt. vel intercessores. ff. de offic. recto. prouinc.l. ne quis iudicum.8. & ff. quæ res pigno. l.7. Duarenus ad No.82.notat eos à Procopio appellari introductores, quia causam introducunt ad iudicem. Alij sunt executores sententiæ seu rei iudicatæ, videlicet qui iurisdictioni præsunt, & suam vel iudicum à se datorum sententiam exequuntur. ff. de execut. rei iudica.l.pen.& extrà de offi.iud.delega.c.pastoralis.28. §.pen. Executores igitur, de quibus hoc titulo tractatur, sunt apparitores, quibus mandata est causæ examinatio. ff. tit. prox. l.vlt. & imminendi liti solicitudo iniuncta est. ff. de prox. sacr.scrin.l.in sacris scriniis.12. §.1. atque hi sunt, qui causam præparant, & ad iudicem introducunt. d.Nou.82.cap.7. ¶ Executorum alij in- 14
seruiunt magistratibus. l.3. alij iudicibus pedaneis. d. Nou.87.c.7. Nec potest vnus duobus vel pluribus iudicibus inseruire, vt expressè constituit Imperator eod.cap.7. licèt tam Haloander, quam vetus interpres verba Iustiniani sic accipiant, quasi duobus tantùm iudicibus eundem executorem inseruire permittat.
¶ De executorum sportulis suprà dixi. 15

III. *De*

BIU Cujas

III. *De pedaneis iudicibus.*

1 SEcundus tractatus est de ipsis iudicibus. Hi vocantur iudices pedanei. l. 5. & D. de postul. l. 1. §. remouet. Græcè χαμαιδικασταί. No. 60. c. 2. (quia tribunal non habent, vt magistratus, sed tantùm de plano iudicant) vel iudices dati. D. de iudic. l. iudex datus. 46. & de re iudi. l. à Diuo Pio. 15. in prin. & iud. sol. l. pe. & coniunctim iudices pedanei dati. l. 4. vel iudices delegati. ſ. de iudic. l. 5. l. properandum. 13. §. 1. & l. apertissimi. 16. vel iudices speciales. ſ. eod. l. cùm specialis. 18. & D. de offic. præt. l. vlt. & de offic. præsid. l. 5. & simpliciter iudices. D. de iudic. l. cùm prætor. 12. §. 1. & de diu. reg. iur. l. 2. vel arbitri. l. 1. & d. Nou. 82. vel cognitores. ĵ. tit. 2 prox. l. vn. vel disceptatores. l. 3. ¶ Est autem iudex pedaneus, seu quocumque nomine eum appellare libeat, qui tantùm iudicandi, non ius dicendi facultatem habet. proinde sententiam suam non potest exequi: sed is eam exequitur:, à quo iudex datus fuit. D. de re iudi. 3 l. à Diuo Pio. 15. ¶ Cognoscunt tantùm de causis leuioribus. l. 5. id est, vsque ad quingentos aureos. Nou. 82. cap. 5. siue apud se motæ sint, siue motæ apud magistratum, & sibi ab eo delegatæ. ea. No. cap. 2. Vsque ad dictam verò summam etiam restituere in integrum possunt ex constitutione Iustiniani. ſ. vbi & apud quem cogn. in int. restit. agit. sit. l. vlt. Sed de libertate cognoscere non possunt. l. 2. His expositis, deinceps tres quæstiones de iudicibus pedaneis sunt dissoluēdæ.

IV. *Qui pro sua iurisdictione iudices dare, darive possunt.*

1 PRima quæstio est, qui possint. iudicem dare. In vrbe ii dare iudicem possunt, qui iurisdictionem habent: in prouinciis autem ij, quibus hoc specialiter lege, aut senatusconsulto, aut constitutione principis concessum est: quia iudicis datio est pars iurisdictionis vrbanæ, non prouincialis. D. de iurisd. l. 1. & 3. in fi. & de 2 iudic. l. cùm prætor. 12. §. 1. ¶ Secunda quæstio est, qui possint iudices dari. Sciendum est, Iustinianum, abrogata Zenonis constitutione, qua alij iudices aliis foris attribuebantur, certum duodecim iudicum corpus omnibus foris communium in vrbe constituisse; ita vt octo essent ex aduocatorum numero, quatuor maioris essent dignitatis: vnde illos eloquentissimos, hos glorioſissimos appellat. his igitur solis causas in vrbe delegari permisit: nisi fortè magistratus mallet partem litis alicui ex assessoribus suis committere: nam hoc quoque eis concessit, dummodò ipse magistratus tam in principio litis, quàm in medio causam audiat, & cognoscat, ac tandem liti finem imponat. alij namque erant assessores, alij iudices pedanei, quamquàm omnes erant ex eodem ordine. No. 60. cap. 2. No. 82. cap. 1. 2. 4. & 8. In prouinciis certum iudicum corpus non reperio. Itaque puto præsidem posse quemuis iurisperitum iudicem dare. sed non magis potest se ipsum dare iudicem. D. de offic. præs. l. 5. quàm Romæ prætor. D. de offic. prætor. l. vlt. Præterea non debet iudex dari, quem alterutra pars nominatim petiit, nisi ad verecundiam petiti iudiciis respiciens princeps id specialiter permittat. D. de iudic. l. obseruandum. 47.

V. *Ne quis in sua causa iudicet, vel ius sibi dicat.*

TErtia quæstio est, in qua causa iudex quis dari possit, vel non. Hîc datur regula: Nemo potest esse iudex in sua causa. l. vn. quia (vt Lactantius scribit lib. 2.) facilius est iudicare de alienis, quàm de suis. & rectè Aristoteles ait plerosque esse prauos iudices de rebus suis, lib. 3. Polit. cap. 6. & cap. 12. Eadem est Plutarchi sententia in libro περὶ ἀφροσύνης. sibi enim quisque æquior iudex est, quàm aduersario. Cicero pro Deiotaro, Seneca lib. 2. de beneficiis. cap. 26. Quòd si nemo debet iudicare in sua causa, multò minùs ei concedendum est, vt sibi ius dicat: quandoquidem plus est ius dicere, quàm iudicare, cùm in iurisdictione insit coërcitio. D. de offic. eius. l. vlt. in fin. qua iudex pedaneus caret. D. de re iudic. l. à Diuo Pio. 15. in pr. Hucusque de iudicibus.

VI. *Qui legitimam personam standi in iudicio habeant, vel non.*

TErtius tractatus est de litigantibus, de quibus dantur duæ regulæ. Prima regula est: Nemo admittitur ad litigandum, nisi legitimam personam habeat standi in iudicio. Quidam enim excluduntur ratione ætatis, vt infans. D. de admin. tutor. l. 1. §. sufficit. vers. ita tamen. & pupillus sine tutore, adolescens sine curatore. l. 1. & 2. & ĵ. qui da. tuto. l. vniuersis. 11. & ſ. si adu. rem iudic. l. pen. & D. de re iudi. l. acta. 45. §. pen. Alij ratione status, vt seruus. ſ. de iudic. l. 6. & 7. & D. eo. l. non idcirco. 44. §. 1. Præterea frustra quis defuncti nomine iudicium accipit: quia iudicium illud omnino est nullum. D. eo. l. qua de re. 74. §. vlt.

VII. *Vt nemo inuitus agere, vel accusare cogatur.*

SEcunda regula est: Nemo inuitus agere, vel accusare cogitur. l. vn. & ĵ. de vsur. pupill. l. vlt. & ĵ. de pignor. l. creditor. 20. In reum autem etiam inuitum iudicium redditur. D. de verb. oblig. l. inter stipulantem. 83. in pr. quamquàm regulariter non cogitur personaliter comparere, sed potest per procuratorem iudicium subire. D. de procur. l. 1. §. pen. & Insti. per quos age. poss. in princ.

VIII. *De ordine iudiciorum.*

QVartus est tractatus de ordine iudiciorum, qui quidem duplex est, I. Spectatus inter diuersas actiones, quarum altera ab altera pendet: ita vt, nisi cumulentur in eodem iudicio, altera post alteram debeat intentari. Sic inofficiosi testamenti querela, quæ est præparatoria petitionis hereditatis vel ante hanc actionem proponitur. D. de inoff. testam. l. 6. §. 1. vel simul proponitur & cumulatur. D. eod. l. qui de inofficioso. 20. Sic causa criminalis vel ante ciuilem disceptatur. l. vlt. vel simul agitur & definitur. l. pen. Iudicium verò possessorium iure ciuili cum petitorio cumulari non potest, sed priùs terminari debet. Inst. de interd. §. retinendæ. vers. namque. iure Canonico cumulari potest, ita vt prius feratur sententia de possessione, sed præualeat sententia de proprietate. extrà de causa poss. & propr. cap. 6. Causa quoque status vel ante quæstionem de hereditate disceptatur, vel cum ea cumulatur. Sed cùm incidit in quæstionem de hereditate, id est, cùm mota hereditatis petitione obiicitur exceptio status, tunc iudex priùs de statu cognoscit, ac de hereditate sola, non de statu pronunciat. l. 1. & ſ. de iudic. l. 3. & ĵ. de petit. hered. l. liber. 8. II. Spectatur inter diuersos articulos eiusdem litis: vt quia exceptio dilatoria proponi debet ante litem contestatam, ac probari postquàm actor intentionem suam probauerit. ĵ. de probat. l. exceptionem. 19. Generaliter autem hic ordo in iudiciis seruatur, vt post præparatoria, lis contestetur; hoc enim est iudicij seu litis principium. ĵ. tit. prox. l. vn. & D. ra. rem hab. l. amplius. 15. mox iuretur de calumnia. ſ. de iureiur. propt.

BIU Cujas

calumn.l.2.in princ.& §.vlt. deinde actor suam intentionem, tum reus exceptionem probet. d.l. exceptionem.post hæc, in causa concluditur, ac tandem sententia fertur. Nou.115.cap.2. & extrà de fi.instrumen. c.cùm dilectus.9.sententiam verò prouocatio,vel executio sequi solet.

IX. *De litis contestatione.*

1 DE litis contestatione,quam diximus esse in iudiciis ordine primùm quædam occurrunt expli-
2 canda. ¶ Inde dicta est,quòd olim fiebat adhibitis testibus,vtroque reo testãte, id est,dicẽte, Testes estote. Festus in verbo,*Contestari*.sed hæc solemnitas postea à
3 foro recessit, nomen tamen mansit. ¶ Tria sunt,quæ litis contestationem faciunt: intentio actoris, contradictio rei,& audientia iudicis.l.vn. Litis igitur contestatio est iudicij principiũ,quod fit actoris intentione, & rei contradictione apud iudicem causam audire in-
4 cipientem. ¶ Vt igitur litis contestatio valeat,multa requiruntur. I. Oblatio libelli conuentionalis.nam actor reo hunc libellum in primis offerre debet, Nou. 53.c.3. eóq; complecti facti seu negotij narrationem, ex quo lis orta est.l.vn.& s̃.de iudic.l.rem non nouam. 14.§. patroni. & de iureiur. propt. calu.l.2. in princ. & suam petitionem. extrà. hoc tit.c.vn.& de elect. c.dudum ecclesia. 54. vers. licet. II. Rei conuenti subscriptio. nam reus ei libello subscribere debet,eáque subscriptione tempus indicare,quo libellus sibi fuit oblatus: quoniam ab eo tempore viginti dies ei tribuuntur ad deliberandum an velit iudicio contendere,nécne.d.Nou.53.c.3. III.Eiusdem rei ad dictum actoris libellum ac petitionem responsio atque contradictio.l. vlt.& s̃.de iudic.d.l.rem non nouam.§.patroni. IV.Iudicis audientia.opus namque est, vt iudex, apud quem lis contestatur, causam cognoscere incipiat. d.l. vn. V. Tempus opportunum & idoneum,id est,vt lis contestetur die iuridica, non feriata. D. de feriis.l.1.§.vlt. VI. Vt ipsa litis contestatio in acta referatur. extrà de probat.c.quoniam contra.11.

X. *De plus petitionibus.*

1 CVm dictum sit litis contestationem petitione actoris, contradictione rei, & audientia iudicis constare: de petitione actoris notandum est, aliquando contingere, vt actor plus petat, quàm sibi debeatur: idque fieri posse quatuor modis, re, tempore, lo-
2 co & causâ.Inst.de actionib.§.plus autem. ¶ Qui plus tempore petiit, contra eum induciæ duplicantur: veluti si vno mense citiùs petiit quàm petere debuit, expectare cogitur duos menses, & impensas litis reo restituere.l.1.in princ. Qui alio modo plus petiit, omne damnum, quod reus ob id passus est,ei resarcire in triplum tenetur.l.2.§.vlt. & Instit.de action.§.tripli.& §.
3 sed hæc quidem. ¶ Hæ pœnæ iis irrogantur,qui scientes plus petunt: iusta verò ignorantia plus petentem excusat.d.l.1.§.pen.& l.2. §.exceptis. Item vsque ad litem contestatam pœnitentiæ locus est, & pœnitenti venia datur.l.vlt. quia qui nondum litem est contestatus, nondum reuera petiit, sed tantùm petere vult. D.
4 ratam rem hab.l.amplius.15. ¶ Quòd si è contrario actor minus petierit, & plus probauerit: in tantum iudex reum condemnabit, quantum probatum, non quantum petitum fuit & hoc casu est speciale, vt sententia non sit omnino conformis libello & petitioni. quod Zenonis constitutione ex bono & æquo contra iuris regulam est effectum.d.l.1.in fi.d.l.2.§.qui autem. & Inst.de actio.§.si minùs, quibus ex locis apparet fallam esse Doctorum sententiam,qui libelli emendationem requirunt.

XI. *De dilationibus.*

QVintus tractatus est de dilationibus: de quibus dixi ad tit.D.de fer.& dilat.

XII. *De feriis.*

DIlationum causæ partim sunt speciales, & singulorum iudiciorum propriæ, de quibus est superior titulus; partim generales,& in omnia fere iudicia vim suam extendentes, vt propter ferias. de quibus dixi.D.hoc tit.

XIII. *De iurisdictione omnium iudicum, & foro competenti.*

SExtus tractatus est de iurisdictione, & foro competenti. Priori parti huius rubricæ satisfeci sub tit. D.de iurisd.Posteriori sub tit.D.de iudiciis.

XIV. *Quando Imperator inter pupillos, vel viduas,vel (alias) miserabiles personas cognoscat,& ne exhibeantur.*

SVperiori tit.dictum est de foro competenti in vni- 1
uersum. Specialiter autem quædam subiiciuntur: quorum primum est, pupillos, viduas, & omnino miserabiles personas,posse per rescriptũ trahere aduersarium ad comitatum principis, ne fortè à potenti aduersario opprimantur: sed inuicem non posse ab aduersario ad aulam principis, vel ad alium iudicem extra prouinciam trahi & exhiberi, nequidem ex rescripto principis, ne sumptibus & itineris periculis vexentur. ¶ Pupillus est impubes sui iuris. D. de verb. 2
signif. l. pupillus. 239. in princ. Differt igitur pupillus propriè dictus ab impubere, vt species à genere.sed interdum accipitur impropriè pro eo qui est in patris potestate, vt D.de pecul.l.7.§.pupillum & de verb.oblig. l. vlt. §. pupillus. Verùm in præsentia propria significatio debet accipi. ¶ Vidua dicitur, vel quæ virum 3
extulit, Instit. de publ. iudic. §. item lex Iulia de adulteriis.& dist. 34. c. vidua. & c. pe. §.vidua. vel quæuis mulier viro carens,siue aliquando,siue numquam nupta fuerit.D. de verb. signif. l.malum. 242. §. viduam. Hanc posteriorem significationem puto hoc loco sumendam esse. ¶ Miserabiles personæ secundum Cu- 4
iac.hic vocantur ægrotantes & debiles.alij verò communiter, miserabiles personas appellant omnes miseratione dignas: adeo vt hac appellatione etiam pupilli, & viduæ contineantur. Idcircò vulgò legunt, *& alias miserabiles*. Cuiacius verò non adgnoscit verbum *alias*. Vtrouis modo hanc rubricam legamus, & interpretemur, parum interest. mihi tamen Cuiacij doctrina magis arridet.

XV. *Vbi de criminibus agi oporteat.*

SEcundum est, de crimine publico vel extraordinario agi, vel vbi admissum est, l.1. & j̃.vbi senat. vel clariss. l.1. & D.de pœn. l capitalium.28. §. pen.& de re milit.l.3.in pr. & Nou.69.c.1. vel vbi crimen est inchoatum. l.1. (veluti vbi quis venenum emit, quod alibi propinauit,aut quod propinare non potuit.D.de sicar. l. 3. §. 1. & vbi balistam exoneranit, qua in alio territorio existentem occidit) vel vbi delinquens habet domicilium.s̃.de iurisd. l.5. vel vbi delinquens reperitur.l.1.& 2.

XVI. *Vbi de possessione agi oporteat.*

TErtium est, de possessione agi, vel vbi res sita est, vel vbi per vim ablata est,vt colligitur ex l.vn.& j̃. vbi in rem act.l.vlt.& No.69.c.1.

XVII.

BIU Cujas

XVII. *Vbi fideicommissum peti oporteat.*

QVartum est, legatum aut fideicommissum peti, vel vbi heres domicilium habet. D. de iudic. l. si fideicómissum. 50. §. vlt. & l. seq. vel vbi res est. D. co. l. quod legatur. 38. & l. sed etsi suscepit. 52. §. pen. vel vbi relicta est hereditas. l. vn. aut maior pars hereditatis, vel vbi testator solui iussit. d. l. si fideicommissum. in pr. vel vbi heres soluere cœpit. d. l. si fideicommissum. in fin.

XVIII. *Vbi cõueniatur, qui certo loco dare promisit.*

1 QVintum est, eum, qui promisit se certo loco daturum, ratione contractus non sortiri forum vbi contraxit, sed eo loci in quem solutionem contulit verbi gratiâ, si quis Capuæ promittat se soluturum Ephesi, non potest conueniri Capuæ, nisi ibi domicilium habeat, sed Ephesi. D. de iudic. l. heres. 19. & de
2 reb. auctor. iud. possid. l. 1. 2. 3. ¶ Aut igitur Ephesi conuenitur, id est, vbi soluere debet: aut alio idoneo loco, veluti vbi domicilium habet. Priori casu est actio stricti iuris, quâ simpliciter petitur, quod promissum fuit. Posteriori casu est arbitraria, in qua debet actor loci, quo solui debuit, mentionem facere, ne plus loco petere videatur: iudex autem arbitratur quanti alterutrius litigantis interest solui potiùs eo loco, de quo conuenit, quàm ibi vbi petitum fuit; atque ita condemnationem auget, si actoris interfit; vel minuit, si rei interfit. D. de eo quod certo loco. l. 1. 2. in pr. Reliqua huc spectantia notaui ad tit. D. de eo quod certo loco.

XIX. *Vbi in rem actio exerceri debeat.*

SExtum est, rem vindicari, vel vbi est, vel vbi reus domicilium habet. l. vlt. & D. de iudic. l. si res. 10. l. quod legatur. 38.

XX. *Vbi de hereditate agatur, vel vbi heredes scripti in possessionem mitti postulare debeant.*

1 SEptimum est, hereditatem peti, vbi reus domicilium habet, vel vbi res sitæ sunt, si ibi reus degat. l.
2 vn. §. vbi. ¶ Octauum est, heredem ibi petere, vt in possessionem rerum hereditariarum mittatur, vbi res sunt. d. l. vn. in pr. Hoc in omnibus heredibus locum habet, & generaliter in contextu traditur, licèt specialiter heredis scripti in rubr. mentio fiat, quoniam agitur de herede in possessionem à prætore mittendo: iure autem prætorio testamenta fiunt per scripturam à testibus obsignatam. Instit. de testam. §. sed prædicta.

XXI. *Vbi de ratiociniis tam publicis, quàm priuatis agi oporteat.*

NOnum est, ibi quempiam conueniendum esse vt rationes suæ administrationis reddat, vbi administrauit. l. 1. & 2.

XXII. *Vbi causa status agi debeat.*

DEcimum est, causam liberalem requirere maiores iudices. l. vlt. & D. de recep. qui arbitr. l. non distinguemus. 32. §. de liberali. vt consules, & proconsules, vel præsides. l. pen. & vlt. & ſ. de iudic. peda. l. 2. in fi. & ſ. ne de sta. defun. l. pen. & D. si ingen. ef. dic. l. 4. & actorem sequi forum rei. l. 3. & 4. omni fori præscriptione cessante. D. de fideicomm. libert. l. neque. 36. §. vlt. & si ingen. ef. dic. d. l. 4.

XXIII. *Vbi quis de curiali, vel cohortali, aliáue conditione conueniatur.*

VNdecimum est, curialem seu decurionem, & cohortalem, (id est, præsidis apparitorem) vel aliûs conditionis hominem, veluti qui ex corpore pistorum, vel nauiculariorum est, si conditionis declinandæ causâ fugerit, ibi posse conueniri, vbi reperitur, nec habere fori præscriptionem, nisi armata militia præditus, aut speciali priuilegio munitus sit. l. 1. & 2.

XXIV. *Vbi senatores vel clarissimi ciuiliter vel criminaliter conueniantur.*

DVodecimum est, senatores & viros clarissimos 1
in vrbe conueniendos esse apud præfectum prætorio, vel præfectum vrbi, vel ex iussu principis apud magistrum officiorum: in prouincia verò, vbi domicilium habent, vel vbi maiorem partem bonorum possident, & assiduè versantur. l. 2. exceptis illustribus non honorariam, sed cum administratione dignitatem habentibus, qui accusari non possunt, nisi apud principem, vel sacrum cognitorem à principe datum. l. vlt. in princ. ¶ Nota alios esse senatores non clarissimos, 2
alios clarissimos non senatores, alios senatores & clarissimos. Cùm enim senatorum alij sint illustres, alij spectabiles, alij clarissimi, vt notaui ad rub. D. de senat. in fi. ex Isidoro lib. 9. Originum, cap. 4. inde apparet quosdam fuisse senatores clarissimos, quosdam non clarissimos, etsi omnes latè sumpto vocábulo clarissimi dici possunt, vt dicto loco exposui. Quia verò personæ in dignitate positæ, partim sunt in senatu, partim extra senatum. D. de excusat. l. spadonem. 15. §. si quis autem tutor (sola enim dignitas sine cooptatione non facit senatorem, nisi sit dignitas illustratûs. D. de senat. l. vlt. in fi.) profectò quidam clarissimi non sunt senatores. Quamobrem in hac rubrica rectè distinguuntur senatores & clarissimi.

XXV. *In quibus causis militantes fori præscriptione vti non possunt.*

TErtiumdecimum est, militantes, si conueniantur coram iudice ordinario, vt coram præside prouinciæ, regulariter quidem habere fori præscriptionem: siue sint milites armati, qui subsunt magistro militum: siue togati, qui conueniendi sunt apud magistrum officiorum: sed in certis causis hanc præscriptionem cessare, & cognitionem ad iudicem ordinarium pertinere, veluti si publicum debitum exigatur. l. vn.

XXVI. *Vbi causæ fiscales, vel diuinæ domus, hominúmque eius agantur.*

QVartumdecimum est, causas fiscales pecuniarias agitari apud procuratorem Cæsaris. l. 5. de causis autem diuinæ domus, hominúmque eius, id est, pertinentibus ad priuatum patrimonium principis, cognoscere comitem rerum priuatarum. l. 6. vel rationalem rei priuatæ. l. 7. & l. pe. qui erat sub dispositione comitis rerum priuatarum, vt scriptum est in Notitia imperij. De criminibus harum personarum iudex ordinarius cognoscit præsente rationali, vel procuratore rei priuatæ. l. cùm aliquid. 8. Hîc est finis decimi tractatus de iudiciis, qui est de iurisdictione & foro competenti.

XXVII. *Quando liceat vnicuique sine iudice se vindicare, vel publicam deuotionem.*

SEptimus & vltimus tractatus hac rubricâ proponi- 1
tur. Sciendum est, neminem posse regulariter sibi ius dicere, sed debere adire iudicem competentem. ſ.

de iudic.l. nullus. 14. & D, quod me.cau.l. extat. 13.& ad leg. Iul. de vi priua.l.pe. Quibusdam tamen licet se vindicare,vt occidendo latronem,qui vias obsidet,aut noctu agros populatur.l.1.& 2. vel publicam deuotio-
2 nem,vt occidendo militiæ defensorem.d.l.2. ¶ Nota deuotionis tria esse genera. I. Cuiusque viri probi,cui salus publica curæ est.ff.de famos. libell.l.vn. II. Subditorum tributa & annonas publicas soluentium.ff.de commerc. & mercat. l. 1. & de alluu. l.2. & de anno.& tribu.l.7.cum sim. III. Militantium armatâ.ff.quæ res ven.non poss.l.vlt. & quan.prou.non est nec.l.pe. siue rogata militia.ff.de appell.l.in offerendis.37.& de ope. publ. l. nemo. 13. & de quæstio. l. pen. Hoc loco publica deuotio intelligitur, quam armati milites principi debent.

XXVIII. *De inofficioso testamento.*

HVcusque dictum est de iudiciis in genere: deinceps species eodem ordine,quo in secunda Pandectarum parte,subiiciuntur,id est, iudicia realia,personalia, & mixta. Iudicium reale subdiuiditur in vniuersale, & speciale. Vniuersale autem subdiuiditur in præparatorium,& principale. Præparatorium est querela inofficiosi testamenti à me exposita.D.hoc tit.

XXIX. *De inofficiosis donationibus.*

1 QVia verò metuentes inofficiosi querelam,in eius fraudem bona sua inter viuos donabant. l,1. & l. pen.huius querelæ exemplo,l.6.& ff.de contrah.empt. l.4.siue ad eius instar.l.4.& l.pen.& similitudinem.l.2. & l.vlt. introducta est querela inofficiosæ donationis.
2 ¶ Quæ in plerisque est similis querelæ inofficiosi testamenti. nam ex eadem aut saltem simili causâ oritur. l.vlt.& datur tam parenti.l.4.quàm liberis.l.1.2.& passim. dummodò non habeat aliud remedium. l, 2. & 4. nec agnouerit iudicium & voluntatem donantis. l. 6. & ff.de contrah.empt. d.l.4. nec ex iusta causa exheredationem sit promeritus, & intra quinquēnium agat. l. vlt. quæ omnia constat etiam in querela inofficiosi
3 testamēti obtinere. ¶ Sed differētiæ duæ sunt. I.Querela inofficiosi testamenti totum testamentum rescindit iure Digestorum & Codicis. D. de inoffic. testam. l. cùm mater.28. iure autem nouissimo tantùm institutiones heredum rescindit, saluis legatis & fideicommissis.Nou.115.c.3.in fi.& c.4.in fi.sed inofficiosæ donationis querela tātùm deminuit donationem.l.pen.in prin.reuocans quod immodicè donatum est.l.7. id est, detrahens de donatione, quod conquerenti debetur iure legitimæ, ita vt hoc ad patrimonium donatoris redeat. l. 5. & d.l.pen. in princ. II. Querela inofficiosi testamenti non potest habere locum, nisi testamentum factum sit: querela autem inofficiosæ donationis etiam ab intestato locum habet.l.3.

XXX. *De inofficiosis dotibus.*

1 INter donationes connumeratur etiam dos. ff.de donat.an.nupt,l,vlt. in princ.(quamquàm non est mera & simplex donatio, sed ob causam, id est, propter onera matrimonij.ff.de iu,dot.l,pro oneribus.adeo vt, nisi oneribus matrimonij seruiat, dos nulla sit. D. de iu.dot. l.si pater mulieris.76.& hac ratione titulus dotis sit onerosus. D. de oblig. & actio. l. ex promissione.19.)quaproprer vt inofficiosæ donationis ita etiam inofficiosæ dotis querela ad exemplum querelę inofficiosi testamenti introducta est:quæ similiter vt querela inofficiosæ donationis, non totam dotem rescindit, sed partem detrahit, quæ ratione legitimæ liberis iure
2 naturæ debetur.l. vn. ¶ Eleganter Cuiacius notat, si mulier ad secunda vota transiens, immodicam dotem secundo viro det,liberis prioris matrimonij hodie non succurri ex d.l.vn.quia ipso iure muniti sunt per l.6.ff. de secun.nupt.vt rescissione opus non sit.

XXXI. *De petitione hereditatis.*

TItulus de inofficioso testamēto secum traxit duos titulos, de inofficiosis donationibus, & de inofficiosis dotibus: iam iudicio præparatorio de inofficiosi querela,subiicitur iudicium principale de petitione hereditatis,de qua dixi. D.hoc tit.

XXXII. *De rei vindicatione.*

A Iudiciis vniuersalibus trāsit ad particularia:quibus aut vindicatur corpus,vt exposui.D.hoc tit.

XXXIII. *De vsufructu,& habitatione,& ministerio seruorum.*

AVt agitur de seruitute personali, vt vsusfructu, 1
quæ vindicatur, vel negatur, vt expositum est. D.lib.7. ¶ Vsuifructui similis est habitatio,de qua di- 2
ctum est eodem libro Digestorum, tit. 8. & ministerium seruorum, quod consistit in operis,de quibus dixi eodem libro.D.tit.7.

XXXIV. *De seruitutibus & aqua.*

AVt vindicator seruitus prædialis, prædiue liber- 1
tas,vt abundè expositum est lib.8.Pandectarum. ¶ Cùm autem varia sint seruitutum genera,multę sunt 2
seruitutes de aqua,partim vrbanæ,vt stillicidium,Flumen. D. de seruit.præd. vrb. l.2. in princ.l. seruitutes. 20.§.si sublatum. & §§.seqq.vsque ad fi.legis.& Instit. de seruit. §. 1. Aquæ immissio ex superioribus ædes in inferiores. D. si seruit. vindic. l. sicut. 8. §. Aristo. Ius habendi fistulam iuxta parietem, quæ ex castello (id est, aquarum receptaculo) aut ex cœlo aquam capiat. D, de seruit. præd.vrb. l.fistulam. 19. Ius in vicini ædes immittēdi cuniculi,per quem vapores è balneo emittantur.d.l. sicut.§. vltim.partim rustricæ. D. de seruit. præd. rustic. l. qui duo. 30. vt Aquæductus, Aquæhaustus,Pecoris ad aquam appulsus.D.eod.l.1.in prin. & Instit.de seruit.in princ.Aquæ deriuatio in fundum vicini.D.de seruit.præd. rustic.l. qui duo.29. & de aq. & aq.pluu.arc.l.2.§.vlt. Ius prohibendi ne quis in suo aquam quærat.D.de seruit. l. quoties.15.versic. aliter. Ius nauigandi per lacum habentem aquam perpetuam. D.de seruit.præd.rustic.l.via.23.§.1.

XXXV. *De lege Aquilia.*

HVcusque iudicia realia. Ex lege autem Aquilia est iudicium personale,cui satisfeci.D.h.t.

XXXVI. *Familiæ erciscundæ.*

REcto, vt in Pandectis, ordine sequuntur iudicia mixta quorum primum est familiæ erciscundæ, de quo dixi D.h.t.

XXXVII. *Communi diuidundo.*

SEcundum est communi diuidundo, quod exposui D.hoc tit.

XXXVIII. *Communia vtriusque iudicij, tam familiæ erciscundæ, quam communi diuidundo.*

VTrique iudicio, tam familiæ erciscundæ, quàm communi diuidundo, multa sunt communia.D. commu.diuid.l.6.§.pen. vt quia vtrumque est ex quasi contractu.Instit.de oblig.quæ qua.ex contra. §.item si inter. & §. seq. vtrumque mixtum, Instit. de action.§. quædam.vtrumque duplex. D. de iudic. l.in tribus.13. & fin.regund.l. iudicium.10. & famil.erciscun.l. inter

cohere

coheredes.44.§.qui familię.& commu.diuid.l.2.§.1.in vtroque iudex potest vnius partem alteri adiudicare, eúmque inuicem certâ pecuniâ damnare. Institut. de action.§. quædam.& de offic.iudic. §.si familiæ. & sequentib.vsque ad fi. tituli.& alia plura.

XXXIX. *Finium regundorum.*

TErtium est finium regundorum, de quo dixi D.h.t.

XL. *De consortibus eiusdem litis.*

1 IVdiciis duplicibus proximè expositis sæpè accidit, vt sint plures consortes eiusdem litis, quibus & inter se & aduersus alios litis communio est: veluti si Caius & Mæuius heredes Titij iudicio familiæ erciscundæ congrediantur cum Sempronio coherede Titij dicuntur consortes eiusdem litis, & eundem aduersa-
2 rium habent Sempronium. ¶ De his consortibus duo statuuntur. I. Vnus sine aliis pro sua parte agere, vel conueniri potest. l.1. II. Post litem legitimè ordinatam, id est præparatam, potest in solidum agere dummodò caueat alios rem ratam habituros: vel in solidum defendere, si caueat iudicatum solui.l.2.

XLI. *De noxalibus actionibus.*

QVartum iudicium mixtum est noxale, de quo dixi D.h.t. Ne quis autem obiiciat aut ibi malè poni inter iudicia personalia, aut malè hîc inter mixta: sciendum est, quædam esse iudicia ita mixta, vt magis sint in rem quàm in personam: quædam è contrario, magis in personã quam in rem: iuris autem compositores in titulis digerendis modò respexisse ad vniuersam iudicij potestatẽ, modò ad id quod est præcipuum. Quoniam igitur actio noxalis potissimùm est in personam, siquidem ex facto oritur, idcirco vt personalis in Digestis considerarur: in quo libro etiam petitio hereditatis spectatur tamquam realis, & dicitur actio in rem esse. D.de hered. petit.l. sed etsi lege. 25. §.petitio. etsi, quatenus habet adiunctas præstationes personales, mixta est. ſ. eod.l.7. Rursus quia noxalis actio est aliquo modo etiam in rem, quatenus non inhæret certæ personæ obligatæ, sed sequitur caput serui, id est, dominum. Instit.h.t.§.omnis. vel possessorem. D. eod.l.bona fide.11.l.si bona fide.12 l.& generaliter.28. rectè hîc collocatur inter actiones mixtas.

XLII. *Ad exhibendum.*

QVintum iudicium mixtum est ad exhibendum, de quo dixi D.h.t.

XLIII. *De aleatoribus, & alearum lusu.*

SEquuntur causæ iudiciorum alia ratione mixtæ, quoniam idem factum valet, vt actiones tollantur, & vt aliæ competant. vt ex aleæ lusu denegatur actio victori, & denegatur actio de iniuria, damno, furto, ei apud quem lusum est: datur autem actio in eum qui ludere coëgit, & repetitio eius quod ex hac causa solutum est.l.1.in pr. & D. eod.l.1.in pr.

XLIV. *De religiosis, & sumptibus funerum.*

ITem illatio mortui tribuit actionem funerariam, aliámve ad repetendas funeris impensas. D. h. t. l.si quis sepulchrum.12.§. prætor ait.l.etsi quis. 14. §. Labeo.& adimit rei vindicationem, cùm locus religiosus in nullius dominio esse possit. D.de rei vindic.l.in rem actio.23.§.1.plura notaui. D. lib.11.tit.7.& 8. Hic tractatus claudit tertium librum Codicis eodem modo, quo secundam partem Digestorum.

LIBER IV.

TITVLVS I.

De rebus creditis, & iureiurando.

SEQVITVR alia iudiciorum diuisio in 1
ciuilia & criminalia. Sunt autem ciuilia de variis causis, vt contractibus, successionibus, liberali causa, dominio, possessione, patria potestate, donatione, de quibus omnibus eo ordine, quo nunc à me proposita sunt, tractabitur. Contractuum alij sunt reales, alij personales; vt exposui initio tertiæ partis Digestorum. De realibus, qui re aut consensu perficiuntur, agitur in hoc quarto libro, vt in tertia illa Digestorum parte. ¶ Et 2
vt ibi, ita etiam hîc proponitur titulus generalis de rebus creditis: deinde subiiciuntur variæ actionum causæ, & variæ actiones speciales, initio sumpto à contractibus, qui re perficiuntur; qui quidem sunt quatuor, mutuum, commodatum, pignus, depositum. Mutuo adiungitur promutuum vt in Pandectis. Mutui & promutui effectus consideratur proprius, id est, certi condictio; & communis, nimirum obligatio & actio. Certi condictio ex variis causis oritur: inter quas primus locus tribuitur iurijurando, propter dignitatem religionis, & affinitatem cum tit.qui proximè præcedit: similiter enim ad religionem pertinebat. Ergo prima est actio ex iureiurando, cui satisfeci. D.de iureiur.

II. *Si certum petetur.*

SEcunda est certi condictio ex mutuo, quæ etiam vocatur actio si certum petatur; propterea quòd semper certa res est, quæ mutuo datur, & ex causa mutui repetitur, vt docui ad tit. D.de reb.cred.

III. *De suffragio.*

TErtia est actio de suffragio. Suffragium accipitur. 1
I. Pro fauore principis, vel intercessione apud principem, honoris vel alius rei obtinendæ causâ.l.vn. in princ. II. Pro ipsa re suffragationis nomine data, vel promissa. ſ. de aduoc.diuers. iudic.l.laudabile.23.§. & post quàm.l.per hanc.26.in pr.& ĵ. de silent.l.vltim. & Nou. 8. cap. 1. Quod autem principi offertur, specialiter vocatur suffragium dominicum, vt in iureiurando subiecto Nouellæ 8. quia princeps dicitur dominus. D.de leg. Rhod. l. penul. & de his quæ in test. delen.l.3.vnde quod ad principem spectat, dominicum appellatur. ſ. vbi cau. fiscal. l. 7.& ĵ. ne rei domini.vel templor. vindic. in rub. & l.2. ¶ Suffragium non de- 2
betur suffragatori ex nudo pacto, sed ex stipulatione, vt colligitur ex d. l. vn. in princ. id est, ex illis verbis *se sponsione constrinxerint*. nam sponsio est promissio stipulanti facta. D. de ædil. edic.l.sciendum.19.§.dictum Actio igitur de suffragio, est actio ex stipulatu. & fallitur Accursius, qui putat ex nudo pacto suffragium peti condictione ex lege. fallunrur etiam, qui hoc nomine dant actionem præscriptis verbis, vel de dolo. ¶ Vt 3
hæc actio competat, tria requiruntur. I. stipulatio. II. Suffragatio. III. Impetratio, ne suffragatio siue intercessio inanis fuerit. Hæc omnia colliguntur ex d. l. vn. in princ.

IV. *De prohibita sequestratione pecuniæ.*

TRibus actionibus proximè expositis commune 1
est, vt si pecunia petatur, eius sequestratio, prohibeatur. ¶ Pecuniæ verbum accipio, vt in l.2. §.cre- 2
ditum. D.de reb.cred. pro quacumque re, quæ numero, pondere,

BIU Cujas

pondere, vel mensurâ constat. nam ad has solas pecunias prohibitio huius tituli pertinet. Vnde Accursius, & Doctores, qui pecuniam accipiunt pro quacumquo re, coguntur nimis multas huius prohibitionis excepti-
3 ones afferre. ¶ Sequestratio est rei controuersæ depositio apud sequestrem, quæ à pluribus fit in solidum, hac lege, vt lite pendente à sequestre custodiatur, & lite finita victori reddatur. D. depos. l. licèt. 17. in
4 princ. & de verb. signif. l. sequester. 110. ¶ Lite igitur finita, actor rem repetit actione depositi sequestraria. D. depos. l. 5. §. 1. l. si in Asia. 12. §. pen. Quòd si per aduersarium meum stet quominùs lis finiatur, ne possim eam rem consequi: mihi in subsidium, cessante actione sequestraria datur actio præscriptis verbis. D. de dolo. l. si quis affirmauit. 9. §. Labeo.

V. *De condictione indebiti.*

QVarta est condictio indebiti, de qua dixi D. h. t.

VI. *De condictione ob causam datorum.*

QVinta est condictio ob causam, seu condictio causa data non secuta: vtroque enim modo appellatur: ac de ea dixi D. de condict. cau. da. cau. non secu.

VII. *De condictione ob turpem causam.*

SExta est conditio ob turpem causam, de qua dixi. D. h. tit.

VIII. *De condictione furtiua.*

SEptima est condictio furtiua, de qua dixi. D. h. t.

IX. *De condictione ex lege, & sine causâ, vel iniusta causâ.*

1 OCtaua est condictio ex lege, de qua dixi ad tit. D.
2 de condict. ex le. ¶ Nona est condictio sine cau-
3 sa de qua dixi ad tit. D. de condict. sine cau. ¶ Decima est condictio ex iusta causa, siue ob iniustam causam: vtroque enim modo appellatur: ac de ea dixi ad tit. D. de condict. ob turp. vel iniust. caus.

X. *De obligationibus & actionibus.*

HActenus expositus est proprius mutui & promutui effectus, id est, certi condictio: deinceps dicendum de effectu generali & communi etiam aliis causis, id est, de obligatione & actione. Huius tractatus tres sunt partes. Prima est generalis, cui satisfeci. D. h. t.

XI. *Vt actiones ab heredibus, & contra heredes incipiant.*

IN secunda parte dissoluuntur variæ quæstiones, quæ omnes eò spectant, vt intelligamus, qui & à quibus possint vel non possint conueniri. Prima quæstio est, an actio possit incipere ab herede, vel contra heredem, id est, an heres possit petere, quod defunctus non potuit; & an ab herede possit peti, quod ab herede non potuit. Olim nõ poterat: hodie ex Iustiniani constitutione potest. Ius vetus ratione nititur: quia heres in vniuersum ius defuncti succedit, & eadem persona esse censetur. Iustinianus ad æquitatem respexit, quo magis varios contractus sustineret, vt has stipulationes, *Post mortem meam dabis: Post mortem tuam dare spondes?* Instit. de inutil. stipul. §. post mortem.

XII. *Ne vxor pro marito, vel maritus pro vxore, vel mater pro filio conueniatur.*

SEcunda quæstio est, an possit quis pro alio conueniri, præsertim si sit coniuncta persona. Respondetur, non posse. Ponenda igitur est regula, Neminem posse pro alio conueniri, quæ quidem regula confirmatur variis exemplis. Primò vxor non potest conueniri pro marito. Secũdò maritus non potest conueniri pro vxore. Tertiò mater non potest cõueniri pro filio.

XIII. *Ne filius pro patre, vel pater pro filio emancipato, vel libertus pro patrono, vel seruus pro domino conueniatur.*

QVartò filius non potest cõueniri pro patre. Quintò pater non potest conueniri pro filio emancipato. Nam pro filio, quem in potestate habet, conuenitur actione de peculio & de in rem verso, & quod iussu. quarum actionum post filium emancipatum prima efficitur annalis. D. quan. act. de pecul. an. est. l. 1. in princ. & §. 1. reliquæ manent perpetuæ d. l. 1. §. vlt. & de in rem verso. l. 1. §. 1. Sextò libertus non potest conueniri pro patrono. Septimò seruus non potest conueniri pro domino. Hæ duę postremæ regulæ coniunctim traduntur in l. vlt. Intellige non posse conueniri seruum, ne quidem post manumissionem. nam quandiu seruus est, cum non habeat legitimam personam standi in iudicio, & neque pro se neque pro alio conueniri possit, malè daretur hæc regula, non posse eum conueniri pro domino, quasi pro se conueniri posset. Ergo hæc regula debet accipi de eo qui seruus erat eo tempore quo dominus obligabatur, libertus autem erat cùm iudicio conueniebatur: superior autem regula intelligenda est de eo, qui vtroque tempore erat libertus.

XIV. *An seruus pro suo facto post manumissionem teneatur.*

QVemadmodum seruus post manumissionem non potest conueniri pro domino, ita etiam non potest conueniri pro eo quod ipse in seruitute fecit, id est, contraxit, vel deliquit, eo excepto, quòd ex delicto in extraneum in seruitute commisso potest ab eo post libertatem conueniri: quoniam actio, quæ noxalis erat in dominum, efficitur directa in ipsum manumissum. Instit. de noxal. §. omnis. cæterùm ex contractu in seruitute facto neque à manumissore conueniri potest. l. 5. nisi ob libertatem ei promiserat. l. 3. nec ab extraneo. l. 2. ex delicto autem conueniri nequit à manumissore. l. vltim.

XV. *Quando fiscus vel priuatus debitoris sui debitores exigere possit.*

SVprà data regula, Neminẽ pro alio conueniri posse, patitur quasdam exceptiones consequenter declarandas. Prima exceptio est, nisi is, qui pro alio conuenitur, eius debitor sit. Hæc exceptio non admittitur quocumque casu, immo plerumque non obtinet. ſ. si cert. pet. l. non aduersus. 15. sed certis tantùm casibus locum habet. Primò fiscus potest cõuenire debitorem sui debitoris, dummodò fiscalis debitor non sit soluendo. l. 4. & alter fateatur se esse eius debitorem. l. 3. Secundò priuatus interdum hoc facere potest, veluti si à debitore suo actionem contra eius debitorem acceperit in solutum. l. vltim. aut si debitore condemnato, nihil in bonis eius reperiatur, quod pignori capi & distrahi possit, vt creditori satisfiat. l. 2.

XVI. *De actionibus hereditariis.*

SEcunda exceptio est: quia heres tenetur ex facto 1
defuncti, id est, ex eius contractu, vel delicto. Et ex contractu quidem indistinctè tenetur, vt declaratur hoc titulo, qui est de actionibus hereditariis passiuis tantùm, non de actiuis. ¶ Actio hereditaria est, quæ 2

heredi

heredi vel in heredem datur iure successionis, id est, ita vt etiam in eam obligationem, seu causam ex qua oritur, succedat. proinde petitio legati vel fideicommissi, non est actio hereditaria, quia heres in eam non succedit: sed tota hæc causa incipit à persona heredis, qui ad id soluendum tenetur ex suo facto, id est, aditione hereditatis. Instit. de oblig. quæ qu. ex contra. §. heres. Actiua est, quæ heredi: passiua, quæ in heredem datur.
3 ¶ Heredis appellatione intellige etiam bonorum possessorem, & ceteros, qui pro heredibus habentur.

XVII. *Ex delictis defunctorum in quantum heredes conueniantur.*

EX delicto autem defuncti heres non tenetur, nisi lis cum defuncto fuerit contestata, aut ex eo delicto aliquid ad ipsum heredem peruenerit. l. vn. & Instit. de perpet. & tempor. actio. §. 1. & D. de calumn. l. 5. in princ.

XVIII. *De constituta pecunia.*

TErtia exceptio est, nisi quis pro alio se soluturum constituerit: tenetur enim actione constitutoria seu de constituta pecunia: quam actionem exposui D. h. tit.

XIX. *De probationibus.*

ABsolutæ sunt duæ partes tractatus de obligationibus & actionibus: supereſt tertia pars, quæ est de probatione, sine qua obligatio nullum habet effectum, quia regula iuris est, Paria sunt non esse, & non apparere. D. de contrah. empt. l. in lege. 77. Item dicere solemus, non deficere ius, sed probationem, & actori incumbere onus probandi. l. 4. & ĩ. de probat. l. 1. & Instit. delegat. §. non solùm. in fi. quoniam actore non probante reus absoluitur. s̃. de eden. l. 4. & ĩ. de rei vindic. l. vlt. De probationibus agitur primò in genere, vt & D. h. tit.

XX. *De testibus.*

SEcundò in specie. Sunt autem duæ præcipuæ probationum species: Prima per testes, de quibus dixi D. h. titul.

XXI *De fide instrumentorum, & amissione eorum, de apochis & antapochis faciendis, & de his quæ sine scriptura fieri possunt.*

1 ALtera per instrumenta, quorum definitionem ac diuisiones exposui. D. h. t. Hoc autem loco quinque de instrumentis considerantur. Primò eorum fides, id est, probatio quæ per instrumenta fit. Secundò eorum amissio. Tertiò duæ instrumentorum species, apocha & antapocha. His tribus partibus satisfeci. D.
2 eod. tit. Quartò quæ sine scriptura fieri possint. ¶ Regulariter scriptura non est necessaria: quia non pertinet ad rei essentiam, sed ad probationem. s̃. de probat. l. cùm res. 12. & D. h. t. l. 4. & de pignor. l. 4. Itaque sine scriptura fieri (exẽpli gratiâ) possunt, & valent pactum & trãsactio. s̃. de pact. l. pactũ quod bona fide. 17. l. cùm proponas. 21. & de transact. l. 5. l. siue. 28. vẽditio. l. cùm instrumẽtis. 10. & s̃. de probat. d. l. cùm res. pretij solutio. d. l. cum res. inductio in possessionẽ. l. non idcirco. 12. & d. l. cùm res. diuisio. l. instrumentis. 9. & s̃. fam. erciſc. l. nõ ideo. 12. hypotheca. D. h. t. l. 4. & de pigno. l. 4.
3 ¶ Ab hac regula excipitur, I. Nisi lex scripturã requirat, vt in testamento solemni. ĩ. de testamentis. l. hac consultissima. 21. in mulieris intercessione. ĩ. ad Senatusconsult. Velleian. l. antiquæ. 23. §. vlt. & aliis casibus. II. Nisi inter contrahentes conuenerit, vt contractus in scriptis celebretur. l. contractus. 17. Exposui, quod quarto loco de instrumentis hic proponitur.

XXII. *Plùs valere quod agitur, quàm quod simulatè concipitur.*

QVintò & vltimò de instrumentis traditur, plus valere quod inter partes agitur, quàm quod per si- 1
mulationem in instrumento scribitur. ¶ Simulationis diuisio duplex notetur. I. Vel fit ab vna parte, ita vt 2
in simulante sit dolus, in altera parte error; veluti si quis cùm sit instrumentum venditionis, simulet esse instrumentum locationis, quò magis alter ei subscribat. l. vlt. Vel fit ab vtraque parte, veluti si mutuum detur filiofamilias in fraudem senatusconsulti Macedoniani, & conficiatur instrumentum quasi venditionis. D. de senatusconsul. Maced. l. 3. §. pen. II. Aut fit in persona: veluti si emat, qui emere iure prohibetur: & instrumentum ita concipiatur, quasi alius emerit. s̃. de his quæ vi metúsve cau. l. si per impressionem. 11. & ĩ. si quis alteri vel sibi. l. 3. Aut in re: veluti si filiofamilias pecunia numeretur in causam mutui, & in fraudem Macedoniani scribatur datum esse frumentum. Aut in contractu, vt in exemplis suprà positis, vbi erat venditio & simulabatur locatio, vel erat mutuum & simulabatur venditio.

XXIII. *De commodato.*

HActenus egimus de mutuo, qui est primus contractus re celebratus, & de promutuo, propter affinitatem, quam cum mutuo habet. Secundus contractus qui re perficitur, est commodatum, de quo dixi D. h. tit.

XXIV. *De pigneratitia actione.*

TErtius est pignus, ex quo oritur actio pigneratitia directa, & contraria, vt exposui D. h. t.

XXV. *De exercitoria, & institutoria actione.*

COntractibus suprà expositis quatuor accidunt. Primum accidens est, per alium obligari. Primò exercitor ex cõtractu magistri obligatur actione exercitoria, quam exposui D. de exercit. act. Secundò is qui institorem tabernę vel cuiuis negotiationi præposuit, per eum obligatur actione institoria, quam explanaui D. de instit. actio.

XXVI. *Quod cum eo qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur, vel de peculio, siue quod iussu, aut de in rem verso.*

TErtiò pater obligatur ex contractu filij, & dominus ex contractu serui: vnde à prætore dantur actiones de peculio. quod iussu, de in rem verso. Hunc titulũ, & has actiones enarraui D. lib. 14. tit. 5. & lib. 15.

XXVII. *Per quas personas nobis acquiritur.*

SEcundum accidẽs est, per alium acquirere. Acquirimus autem I. Per nosmetipsos. II. Per filios, vel seruos, quos in potestate habemus. III. Per homines liberos, aut seruos alienos, quos bona fide possidemus. IV. Per seruos, in quibus vsumfructum, vel vsum habemus. Instit. h. t. V. Per procuratorem. l. 2. & Instit. eod. §. pen. vers. excepto. & D. de acquir. rer. domin. l. si procurator. 13. VI. Per negotiorũ gestorem D. de negot. gest. l. si ego. 24. & de reb. cred. l. certi. 9. §. si nũmos. VII. Per tabellionem. D. de adopt. l. non aliter. 18. & de vsur. l. Gaius. 11. VIII. Per tutorem, vel curatorem. D. de pecun. constit. l. 5. §. pen. IX. Per actorem siue syn-

BIU Cujas

dicum acquiritur vniuersitati. d.l.5.§.penult. & de acquir.possess.l.2.

XXVIII. *Ad senatusconsultum Macedonianum.*

TErtium accidens est, actionem exceptionibus variis summoueri. Prima exceptio est senatusconsulti Macedoniani, quam declaraui. D.h.t.

XXIX. *Ad senatusconsultum Velleianum.*

SEcunda est exceptio senatusconsulti Velleiani, quam exposui. D.h.t.

XXX. *De non numerata pecunia.*

1 TErtia est exceptio nõ numeratæ pecuniæ. ¶ Ver-
2 bum autem *pecuniæ*, hîc latè accipitur, vt non solùm ea complectatur, quæ numero, pondere, vel mensurâ constant, vt in l.2.§. creditum. D. de reb. cred. sed etiam corpora, vt in l. pecuniæ verbum. 178. D. de
3 verb. signif. ¶ Hæc exceptio opponitur tam debitori dicenti se soluisse quod debebat, quam creditori asserenti se pecuniam dedisse, etiamsi interuenerit scriptura, l.in contractibus. 14. vel stipulatio. Instit. de except.
4 §.idem iuris. vel iusiurandum. l.vlt. ¶ Eius effectus est, vt scriptura vel stipulatio ad probandam numerationem seu dationem non sufficiat, sed opus sit, vt aliis legitimis probationibus confirmetur, dummodò intra biennium vel ipsa exceptio, vel saltem querela non numeratæ pecuniæ proponatur. d.l.in contractibus. in princ. & Instit. de literar. oblig. & de except. d. §. idem iuris. quibus ex locis apparet falsam esse Doctorum sententiam, qui admittunt excipientem post biennium, & in eo differentiam statuunt, quòd intra biennium excipiens onerat aduersarium necessitate probandæ numerationis, post biennium verò subit onus
5 probandi non fuisse pecuniam numeratam. ¶ Huius exceptionis species est exceptio non numeratæ dotis, de qua in d. l. in contractibus. in fin. & in tit. ff. de do. cau. non numera.

XXXI. *De compensationibus.*

QVarta est exceptio compensationis, de qua dixi D.h.t. Hactenus exceptiones.

XXXII. *De vsuris.*

QVartum dictorum contractuum accidens est accessio vsurarum, de quibus dixi D.h.t.

XXXIII. *De nautico fœnore.*

VSuræ species est fœnus nauticum, de quo dixi D.hoc tit.

XXXIV. *Depositi vel contra.*

EXpositi sunt tres contractus, qui re perficiuntur, mutuũ vnà cum promutuo, pignus, & depositum, simúlque varia horum contractuum accidentia. vltimus contractus, qui re celebratur, est depositum, ex quo oritur actio depositi directa, & contraria, vt docui D.hoc tit.

XXXV. *Mandati, vel contrà.*

EAdem methodo, qua in tertia Digestorum parte est vsus, à contractibus qui re perficiuntur, ad eos transit qui consensu fiunt. Ex his duo magis respiciunt ad personas, mandatum, & societas; alij magis ad res, vt emptio & venditio, locatio & conductio, & emphyteusis: de quibus ordine dicetur. Ex mandato oritur actio mãdati directa & contraria, vt exposui D.h.t.

XXXVI. *Si seruus extero se emi mandauerit.*

MAndati actio non datur, cùm seruus extero mandauit vt se emeret: quia mandatum non valet, cum malo more actum sit, vt seruus domino se auferret; venditione tamen secuta, dominus potest actione ex vendito petere pretium, vel mandati actione petere vt seruus, nisi sit iam ab emptore manumissus, sibi reddatur, quasi hæc actio mandati sibi per seruum quæsita sit; sed vtraque actione vti non potest, quia sunt contrariæ. quòd si ita mãdatum fuerit, vt seruus emeretur, & venderetur: secuta venditione, dominus non solùm actione ex vendito pretium consequetur, sed etiam, si eius propter affectionem interfit, putà quia filium suum naturalem vendidit, mandati contra emptorem aget, vt eum manumittat. Ergo non fuit necesse impleri mandatum: sed eo per venditionem impleto, ius nõ tantùm venditi, sed etiam mandati actionem tribuit: emptori autem nullam dat actionem aduersus dominum, quia mala fide contraxit. l.vn. & D. manda. l. cùm seruus. 54.

XXXVII. *Pro socio.*

EX societate oritur actio pro socio, vtrinque directa, quam enarraui D.h.t.

XXXVIII. *De contrahenda emptione.*

SEquuntur contractus consensu celebrati, qui magis ad rem, quàm ad personam respiciunt. Horum primus est emptio & venditio, cuius expositio est quadripertita. I. Namque agitur de emptione & venditione contrahenda. II. De eius contractæ effectibus. III. De accidentibus. IV. De simili & affini contractu. In prima parte, quæ est de contrahenda emptione, primò quæritur, qui possint emere, aut vendere. Secundò quæritur, quomodo emptio & venditio contrahatur. quibus duabus quæstionibus satisfeci. D. h. titul.

XXXIX. *De hereditate vel actione vendita.*

TErtiò agitur de re, quæ emitur aut venditur, de qua notandum primò, non solùm posse vendi res corporales, sed etiam incorporales, vt hereditatem, vel actionem, sicut exposui D.h.t.

XL. *Quæ res venire non possunt, & quæ vendere vel emere vetantur.*

NOtandum secundò res quasdam à priuatis posse emi, non vendi vt purpuram. l.1. Quarundam tam emptionem quàm venditionem prohiberi, vt annonæ militaris. l.4. Sequor in hac rubrica lectionem & interpretationem Cuiacij. Lego igitur *quæ vendere*, id est, quas res vendere, non (vt in aliis codicibus habetur) qui vendere: quia non agitur in hoc titulo de personis, sed de rebus, & accipio τὸ *vel*, pro subdisiunctione, quoniam hac in parte explicatur, quas res singuli emere & vendere prohibentur.

XLI. *Quæ res exportari non debent.*

IN quibusdam rebus distinguimus. vt vinum, oleum, & quoduis liquamen, & arma possunt ciui Romano vendi, non Barbaro. l.1. & 2.

XLII. *De eunuchis.*

EVnuchus autem vendi non potest, nisi sit Barbaræ gentis, in Barbaro orbe factus. l.2.

XLIII. *De patribus qui filios distraxerunt.*

ITem filij à patribus suis vendi non possunt, nisi sanguinolenti, id est, recèns nati, ob nimiam inopiam vendãtur. l.1. & 2. Hucusque de cõtrahenda emptione.

XLIV. *De rescindenda venditione.*

SEquuntur effectus contractæ emptionis & venditionis. Primus effectus est, quòd contractus non

infirma

infirmatur, nisi vel ex iusta causa rescindatur.

XLV. *Quando liceat ab emptione discedere.*

VEl communi partium consensu, re integra, ab eo discedatur. Hos duos casus quib. vēditio rescinditur, declarani ad tit. D. de rescind. vend. & quan. lic. à vend. disced.

XLVI. *Si propter publicas pensitationes venditio fuerit celebrata.*

INter iustas rescindendæ vēditionis causas ponitur, si bona eius qui publicas pensitationes, id est, qui publica tributa debebat, sub hasta fraudulenter sint distracta vili pretio. nam oblato eo quod fisco debetur, venditio rescinditur. ſ. de rescind. vend. l. si quos. 16. & ſ. de iu. fi. l. 3. aliàs venditio vt fisco satisfiat, rectè facta, non rescinditur. l. 1. 2. & 3.

XLVII. *Sine censu vel reliquis fundum comparari non posse.*

SEcundus effectus est, vt in emptorem prædij transferatur onus soluendi census, id est, tributi ab eo prædio debiti, & reliquorum, si reliqua tributi vel census nomine debeantur. Nec valet pactum contrarium, id est, vt hoc onus maneat penes venditorem, vt hoc titulo ostenditur.

XLVIII. *De periculo & commodo rei venditæ.*

TErtius effectus est, vt periculū & cōmodū rei venditæ pertineat ad emptorē, sicut exposui D. hoc t.

XLIX. *De actionibus empti & venditi.*

QVartus effectus est actio empti & venditi, de qua dixi D. h. t.

L. *Si quis alteri vel sibi sub alterius nomine vel aliena pecunia emerit.*

TRibus casibus quæritur, an, vel cui detur empti actio. Primus casus est, cùm quis emit alteri. Secundus, cùm suâ pecuniâ sibi emit, sed alterius nomen in instrumento emptionis poni curauit, quasi illi emerit. Tertius est, cùm alienâ pecuniâ sibi emit. Primo casu emptor nec sibi actionem acquisiuit, quia noluit: nec alteri, quia non potuit: ergo contractus non valet, nisi quis ei emerit in cuius est potestate. l. 7. vel quem in potestate habet. l. 2. Secundo casu emptor sibi acquirit. l. 4. 5. 6. Tertio casu similiter sibi acquirit. l. 1. & l. pen.

LI. *De rebus alienis non alienandis, & de prohibita rerum alienatione, vel hypotheca.*

1 QVintus effectus est rei venditæ alienatio, quamquàm non est proximus & immediatus effectus
2 venditionis, sed traditionis factæ ex causa venditionis. Instit. de rer. diuis. §. venditæ. ¶ Alienationem pro-
3 priè accipe pro dominij translatione. ¶ Hîc dantur tres regulæ: prima de rebus alienis, quæ, licèt vendi possint, tamen non possunt alienari, id est, non potest in accipientem earum dominium transferri: secunda de rebus communibus, quæ pro parte alienantur: ter-
4 tia de rebus propriis, quæ omnino alienantur. ¶ Prima regula est: Res aliena non potest alienari: nimirum quia nemo potest plus iuris in alium transferre, quàm ipse habeat. D. de diuers. reg. iur. l. nemo plus iu-
5 ris. 54. ¶ Hîc obiter quæritur de alienatione prohibita: quò respicit posterior rubricæ pars, & lex vlt. huius tit. Alienatio prohibetur vel à lege, vel à testatore, vel conuentione contrahentium. His omnibus casibus Iustiniano placet alienationis verbum sumi latiùs, vt intelligatur prohibita non solùm directi, sed etiam vtilis dominij translatio, & manumissio, & vsusfructus vel seruitutis prædialis constitutio.

LII. *De communium rerum alienatione.*

SEcunda regula est: Rem communem vnus ex dominis alienare non potest, nisi pro sua parte, quam habet pro indiuiso. l. 4. cum sim.

LIII. *Rem alienam gerentibus non interdici rerum suarum alienatione.*

TErtia regula est: Dominus rem suam alienare potest, licèt sit obnoxius reddendis rationibus ob rem alienam gestam, vt tutor: quia rem alienat cum sua causa, id est, saluo iure pignoris, quod pupillus vel alius habet in eius rebus, qui administrauit.

LIV. *De pactis inter emptorem & venditorem compositis.*

EXpositi sunt effectus emptionis & venditionis: sequuntur accidentia. Primum accidens est pactum. De his pactis primùm agitur in genere sub hoc titulo, cui satisfeci. D. lib. 18. tit. 1.

LV. *Si seruus exportandus veneat.*

DEinde explicantur specialiter quædam pacta ad seruos venditos pertinentia. Primum pactum est, vt seruus venditus exportetur, de quo pacto dixi ad tit. D. de seru. export.

LVI. *Si mancipium ita veneat ne prostituatur.*

SEcundum pactum est, ne mancipium venditum prostituatur. Hoc casu, si contra pactum ancilla ab emptore prostituatur, libera & venditoris liberta fit. D. de in ius vocan. l. sed si hac lege. 10. §. 1. Hactenus de pactis, quod est primum emptionis & venditionis accidens.

LVII. *Si mancipium ita fuerit alienatum, vt manumittatur vel contrà.*

SEcundum accidens est ædilitium edictum, ex quo duæ oriuntur actiones, redhibitoria, & æstimatoria, quas explanaui. D. de ædilit. edicto.

LVIII. *De monopolijs, & conuentu negotiatorum illicito, vel artificum, ergolaborúmque: necnon balneatorum prohibitis illicitísque pactionibus.*

TErtium accidens est negotiatio, quæ latiùs patet, 1
quàm mercatura. Nam mercator tantùm emendi & vendendi negotiationem exercet: negotiator autem dicitur, qui negotiationem quamcumque exercet, vt emendi, vendendi, locandi, conducendi, &c. D. de legat. iij. l. legatis. 65. in princ. ¶ Duo hîc negotiatoribus 2
interdicuntur. I. Monopolium, id est, ius seu priuilegium, quo fit, vt vnus certíve homines soli possint certas merces vendere. Quia verò hoc contra publicam vtilitatem est, idcirco nequidem rescripto principis concessum valet. II. Mercatorum inter se conuentio ne merces viliori pretio vendant, quàm communi ipsorum consensu statutum sit. Obiter eâdem constitutione prohibentur illicitæ pactiones artificum, & ergolaborum, (hi sunt, qui opus suis impensis faciendum conducunt, & alibi redemptores appellantur. D. de rei vindic. l. redemptores. 39. in princ.) & balneatorum: veluti ne quis opus ab altero inchoatum absoluat. d. l. vn. vers. ædificiorum. & ſ. de ædif. priuat. l. pen. §. vlt.

BIU Cujas

LX. *De nundinis,& mercatibus.*

QVartum accidens est mercatus seu nundinæ, de quibus dixi D.lib.50.tit.11.

LXI. *De vectigalib.& commissis.*

QVintum accidens est vectigal:quod nisi soluatur, regulariter res fisco committitur, vt exposui ad tit.D.de publican.& vectigal.& commiss.

LXII. *Vectigalia noua instituí non posse.*

ILlud specialiter de vectigalibus hîc constituitur, ne noua instituãtur sine permissu principis,quod etiam cautum est.D.de public.l.vectigalia.10.in princ.

LXIII. *De commercijs,& mercatorib.*

SExtum accidens est mercatura: quam exercere possunt,quicumque plenum commercium habent,nisi iure prohibeantur. Requiro plenum commercium. nam commercium est emendi & vendendi ius. Vlpia. tit.de domin. & acquis.rer.§. commercium: mercatores autem emendi & vendendi negotiationem exercent, vt notaui ſ.ad tit.de monopol.eorum igitur,quæ tantùm emere non vendere possumus, mercaturam exercere non possumus vt purpuræ. ſ. quæ res ven. non poss.l.1. Adieci exceptionem,*nisi iure prohibeantur:* quia nonnulli, etsi ius commercij habent,tamen exercere mercaturam prohibentur,vt nobiliores & potentes personæ: non quòd mercatura sit res ignobilis, sed quia difficile esset plebi commercium.l.3.

LXIV. *De rerum permutatione, & præscriptis verbis actione.*

EXposito emptionis & venditionis contractui similis & affinis est permutatio.D.h.t.l.1.& de contrah,empt.l.1.& Instit. de empt. & vendit.§.item pretium. ex qua oritur actio præscriptis verbis, vt & ex aliis contractibus innominatis. De permutatione dixi ad tit. D.de rer. permut. de actione autem præscriptis verbis ad tit.de præscrip.verb.

LXV. *De locato & conducto.*

DIctum est de emptione & venditione, & de permutatione, quæ ei similis est, licèt re contrahatur, non solo consensu vt emptio & venditio. Alius contractus consensu constans & venditioni similis est locatio & conductio. D.hoc tit.l.2.& Instit.eod.in pr. de qua dixi D.eod.tit.

LXVI. *De iure emphyteutico.*

1 VLtimus contractus qui consensu perficitur, mediam quandam inter venditionem & locationem naturam obtinens,est emphyteusis: quem Zeno constituit esse proprium contractum, à venditione & locatione propriè dicta separatum, l.1.& Instit.de locat. & conduct. §. adeo. Nam quatenus dominium vtile transfertur in emphyteutam,hic contractus est similis venditioni, quatenus retinetur dominium directum, est similis locationi,& interdum locatio vocatur. D.si ager vectig.l.1.& l.vlt.& Instit.de locat.& conduct.d.
2 §. adeo. ¶ Emphyteusis igitur est contractus consensu constans,quo in perpetuum vel ad longum tempus dominium prædij vtile retento directo dominio transfertur cum onere annuæ pensionis directo dominio
3 soluendæ. ¶ Dicta est emphyteusis ab origine: quia ita dari cœperunt agri steriles, vt accipiens eos meliores & fructuosiores redderet, quod præcipuè fit arbo-
4 rũ insitione,quæ Græcè vocatur emphyteusis. ¶ Proprietates huius contractus hæ notentur. I. Est contractus iuris ciuilis, si quidem à Zenone est constitutus, non quòd ante Zenonem in vsu non fuerit, sed quia Zeno certam contractus speciem fecit. l.1.& Instit.de locat. & conduct. d. §. adeo. II. Quamuis solo consensu secundum suam naturam constet: tamen si noua pacta præter eius naturam adiiciantur, scriptura requiritur. falluntur enim Doctores, qui simpliciter & indistinctè scripturam in hoc contractu requirunt, cùm in l.1.dicatur, *pactionibus scripturæ interueniente habitis.*& in l.2.*aliquæ pactiones in emphyteuticis instrumentis fuerint conscriptæ.* III. Partis rei interitus ad emphyteutam spectat, quia nihilominùs integram pensionem soluere cogitur. totius autem rei interitus ad dominum spectat, quia emphyteuta liberatur à pensionis præstatione.d.l.1. & Instit.de locat.d.§.adeo. IV. Emphyteuta non potest ius suum vendere domino irrequisito,&,si id faciat,ius suum perdit, dominus autem admonitus, si emere iisdem conditionibus velit, quibus alij emere parati sunt, ceteris præfertur. sin minùs emphyteuta alij cuicumque vendere potest, quo casu domino debetur ἐισδεκτικὸν, quod Doctores *laudemium* vocant, id est, quinquagesima pretij pars pro nouo emphyteuta in possessionem recipiendo. l.vlt. ¶ Spe- 5
cies emphyteuseos sunt precariæ, & libellarius contractus,vt exposui ad tit.decretalium de precariis.

LIBER V.

TIT. I. *De sponsalibus, & arrhis sponsalitijs,& proxeneticis.*

SVPERIORI libro expositi sunt cõtractus 1
reales, hoc autẽ volumine declarãtur cõtractus personales,vt spõsalia,nuptię cõcubinatus,tutelæ:sed sponsalia,nuptiæ,& concubinatus,sunt contractus, qui nudo consensu perficiuntur:tutela est quasi contractus. Non omittuntur ea quæ sponsalibus & nuptiis accedunt,vt arræ,dotes, ceteráque cum tractatu de nuptiis connexa atque coniuncta. ¶ In- 2
ter contractus igitur personales primum naturæ ordine locum tenent sponsalia,de quibus dixi D.h.t. Porrò sponsalibus accedunt arræ, & proxenetica. ¶ Da- 3
tio arrarum est contractus. ſ. de fi. instrum. l. contractus.17.innominatus, quo datur arra in argumentum seu probationem alterius principalis contractus celebrati: vt emptionis & venditionis. D. de contrah. empt.l.quod sæpe.35.in pr.& Instit.de empt. & vend. in pr.vel locationis & conductionis, lege Rhodia 19. vel sponsaliorum l.3.& l.5.vt impleto contractu restituantur. D.de actio.empt.l.ex empto.11.§.is qui vina. vers.ego. vel imputentur (vt arra in nummis data imputatur in pretium venditionis. D. de leg. commiſ. l. vlt. Isidor. l.5.Originum. cap.25. de rebus. §. interest. *Arra*,inquit, *ex parte datur, & postea completur: est enim arra complenda,non auferenda. vnde qui habet arram, non reddit sicut pignus,sed desiderat plenitudinem)* si verò dantis culpâ non impleatur, amittantur: at si accipientis culpâ non impleatur,in duplum restituantur. d.l. contractus,in fi.& Instit.de empt.& vendit.in prin.sin autem cõmuni consensu à contractu recedatur, vel aliàs neutrius culpâ cõtractus soluatur, in simplum reddantur. d.l.3.d.l.5.in fi.princ. & §.1.& ſ.quan.lic.ab empt. disced.l.2.& D.de act.emp.d.l.ex empto.§. is qui vina. ¶ Nota primò arram consistere vel in pecunia nume- 4
rata.D.de le.commiſ.d.l.vlt. & de act.empt.d.l.ex empto.§.is qui vina. vel in alia re, vt auro. ſ. quan.lic.ab empt. disce.l.2. vel anulo. D. de instit. act.l.5.§.item si institor.& de act.emp.d.l.ex empto. §.is qui vina.vers.

ego.

BIU Cujas

5 ego. vel mancipio. ĩ. de ingen. manum. l. vlt. ¶ Nota secundò, cùm dicimus dationem arrarum, nos accipere dationis vocabulum in significatione propria, qua dominij translatio notatur. Inst. de act. §. sic itaque. vnde arra nõ repetitur rei vindicatione, sed actione personali. s̃. de act. empt. l. 3. vt actione ex empto, vel condictione sine causa. D. eod. d. l. ex empto. §. is qui vina.

6 ¶ Nota tertiò arram à pignore differre multis modis. I. Arra consistit in quantitate vel corpore, vt docui num. 3. pignus tantùm in corpore, quandoquidem eadem species reddi debet. D. de oblig. & act. l. 1. §. creditor. & Instit. quib. mod. re contrah. oblig. §. vlt. II. Arræ dominium transfertur in accipientem, vt docui num. 4. pignoris autem dominium non transfertur. s̃. de pign. act. l. pignus. 9. III. Pignus accedit cuiuis contractui, & cuiuis obligationi. D. de pign. l. 5. l. quæsitum. 14. §. 1. arra tantùm emptioni, locationi, & sponsalibus accedit, si Cuiac. credimus hîc in Parat. & Obseruat. lib. 11. cap. 17. IV. Arra modò repetitur, modò non repetitur, vt docui. num. 2. pignus omnimodo repetitur, si solutum sit, vel aliter creditori satisfactum. D. de pign. act. l. si rem alienam. 9. §. 1. V. Pignus repetitur actione pigneratitia. Instit. quib. mod. re contrah. oblig. §. vlt. arra repetitur aliis actionibus. s̃. num. 4. Ex dictis patet, arram & pignus propriè loquendo differre, etsi interdum pignus accipitur pro arris, vt ĩ. tit.

7 prox. l. vn. & Cod. Theod. de sponsal. l. 6. ¶ Nota quartò hîc non agi de quibuscumque arris, sed tantùm de arris sponsalitiis, quæ etiam appellantur sponsalia, vt notaui. D. h. tit. num. 2. Similiter in tertia parte huius tituli non tractatur de proxeneticis in genere; vt in tit. D. de proxeneticis, sed de præmiis tantùm eorum, per quos sponsalia vel nuptiæ conciliatæ sunt: quorum præmiorum quantitas definitur. l. vlt. h. t.

II. *Si rector prouinciæ, vel ad eum pertinentes, sponsalia dederint.*

GEnerali tractatui de arris sponsalitiis adiungitur tractatus specialis de arris sponsalitiis datis vel à rectore prouinciæ, vel non sine rectoris opera ab eius domesticis & comitibus: quæ quidem vocantur sponsalia, vt notaui ad tit. præced. Specialiter autem constituitur, vt siue puella, siue pater eius arras acceperit, & postea voluntatem mutauerit, nihilominùs arras retineat & lucretur. nuptiæ verò contrahi non possunt, nisi post depositum officium, accedente puellæ consensu. l. vn.

III. *De donationibus ante nuptias vel propter nuptias & sponsalitijs.*

1 NOn solùm sponsalia, id est repromissio nuptiarum futurarum, præcedit nuptias, sed etiam donatio sponsalitia, quam sponsaliorum quoque appellatione interdum significari, notaui ad tit. s̃. de spon-

2 sal. num. 2. ¶ Hæc diuiditur in duo genera. aut enim fit nuptiarum & dotis contemplatione, aut tantùm

3 nuptiarum. ¶ Illa vocabatur olim donatio ante nuptias, quia solùm ante nuptias constitui poterat. sed ex Iustini constitutione potest stantibus nuptiis augeri. l. pen. & ex constitutione Iustiniani, non solùm augeri, sed etiam in totum constitui, idcirco vocatur potiùs *propter nuptias*, quàm *ante nuptias*. l. vlt. & Instit. de donat. §. est & aliud. Vulgò etiam appellatur *sponsalitia largitas*. ex l. 4. ĩ. de secund. nupt. & No. 119. in princ. Sed in hac Nouel. Latinus interpres recessit à Græcorum verborum proprietate, cùm χάριν πόσα vertere debuisset donationem propter nuptias, & in d. l. 4. videtur mihi sponsalitia largitas latiùs accipienda, vt vtrumque donationis genus à me paulò antè propositum complectatur. ¶ Donatio igitur propter nuptias, 4 est ciuilis contractus. d. Nou. 119. in princ. glo. in l. 5. D. de iustit. & iu. & in §. ius autem gentium. Instit. de iu. natura. quo ex parte mariti in mulierem aliqua conferuntur contemplatione dotis, tamquàm antipherna. d. l. vlt. in princ. Quocirca nouissimè doti est omnino exæquata, nec solùm in quantitate sortis, sed etiam in lucris à coniuge superstite faciendis. Nou. 97. Et vt non potest maritus alienare prædium dotale, ita nec propter nuptias donatum. Nou. 61. Hæc dicta sint de donatione propter nuptias, quæ in primis rubricæ verbis proponitur. ¶ Alterum donationum nuptia- 5 rum genus appellatur munus sponsalitium, & postremo illo rubricæ verbo, *sponsalitiis* significatur. Liuius. lib. 30. *Hunc nuncium ac simul venenum ferens minister, cum ad Sophonisbam venisset, Accipio, inquit, nuptiale munus, nec ingratum, si nihil maius vir vxori præstare potuit. hoc tamen nuncia, melius me morituram fuisse, si non in funere meo nupsissem.* ¶ Sic autem describi potest, 6 Munus sponsalitium est, quod in sponsam ex parte sponsi, (vt ab ipso sponso, vel patre, matréve eius) vel contrà in sponsum ex parte sponsæ, solius matrimonij contemplatione confertur. ¶ Ex dictis duæ diffe- 7 rentiæ inter dictas donationes colliguntur. I. Donatio propter nuptias ex parte mariti cõfertur in mulierem, non è contrario: munus autem sponsalitium ex vtraque coniugum parte proficisci potest. II. Donatio propter nuptias fit contemplatione nuptiarũ & dotis: munus sponsalitium tantùm nuptiarum ratione mittitur.

IV. *De nuptiis.*

SEcundus contractus personalis, ad quem superio- 1 res omnes respiciunt, est matrimonium seu nuptię, de quibus dixi ad tit. D. de ri. nupt. ¶ Nuptiarum au- 2 tem aliæ sunt licitæ ad quas hic titulus pertinet; aliæ illicitæ; aliæ quasi illicitæ.

V. *De incestis & inutilibus nuptiis.*

ILlicitæ nuptiæ impropriè vocantur nuptiæ: vt ho- 1 mo pictus, vel mortuus, improptiè dicitur homo. Instit. de nupti. §. si aduersus. ¶ Hæ diuiduntur in in- 2 cestas seu nefarias, & inutiles. Incestę seu nefariæ sunt, quæ contra fas contrahuntur inter cognatos vel affines, inter quos sunt iure prohibitæ. Subdiuiduntur autem in incestas iure gentium, videlicet inter parentes & liberos, & incestas iure ciuili, nimirum inter alios cognatos vel affines. D. de ritu nupt. l. vlt. & de quæst. l. 5. Inutiles sunt, quæ alia quapiam ratione minori prohibentur, quarum duo exempla sequentibus titulis proponentur.

VI. *De interdicto matrimonio, inter pupillum & tutorem, seu curatorem, filiósque eorum.*

PRimum exemplũ est, quia ex Oratione Diui Mar- 1 ci & Commodi. D. de ritu nupt. l. si quis tutor. 60. §. quamuis & l. pen. §. sed videamus vers. quam causam. & senatusconsulto in eius sententiam facto. l. 1. & D. de ri. nupt. l. senatusconsulto. 59. d. l. si quis tutor. 60. l. libertum. 64. tutor vel curator, & tutoris vel curatoris filius prohibentur eam, quæ sua vel patris sui pupilla fuit, antè vxorem ducere, quàm rationes redditæ fuerint, & tempora effluxerint, intra quæ rationes redditæ retractari per in integrum restitutionem possunt. l. 6. & 7. & D. de ri. nupt. l. non est matrimonium. 66. & l. seq. ¶ Nota primò duplicem esse rationem huius 2 prohibitionis. I. Propter potestatem, quam in pupil-

BIU Cujas

lam habet, vel habuit tutor vel curator. D.eod.l.præfectus 63. II. Ne quid obstet, quominùs rationes rectè reddantur. D.eod.l.libertum.64.§.1.& l.pen.§.sed
3 videamus.vers. quam causam. ¶ Nota secundò, non solùm nuptias inter has personas esse inutiles; sed etiam tutorem vel curatorem, qui illicitè sibi vel filio suo in matrimonium collocauit, & ipsum quoque filium qui matrimonium contraxit, infamiâ notari, & extra ordinem coërceri. l. pen. & D.de ri.nupt.d.l.non
4 est matrimonium.in princ. ¶ Nota tertiò excipi duos casus, quibus hæ nuptiæ sunt permissæ. I. Cùm pater alicui ex dictis personis filiam desponsauit, vel testamento vxorem destinauit.D.eod.l.tutor.36.& d.l.non est matrimonium. II. Si consensu puellæ permittantur rescripto principis.l.pen.& ĵ.si nupt. ex res.per.l.1.

VII. *Si quacumque præditus potestate, vel ad eum pertinentes, ad supposita rum iurisdictioni suæ adspirare tentauerint nuptias.*

1 ALterum exemplum est inter eum qui in prouincia officium administrat, vel filium eius, aliâsve personas ad eum pertinentes, & mulierem eius prouinciæ.s̃.de nupt. l.6. & D. de ritu nupt. l. qui in pro-
2 uincia. 57. in pr. ¶ Nota primò violentum conatum puniri, etiamsi effectus, id est, nuptiæ secutæ non sint.
3 l. vn. ¶ Nota secundò, tantum tempore administrationis nuptias prohiberi, officio autem deposito posse mutuo consensu nuptias contrahi, vel antè contractas confirmari.d.l.6.& s̃.si rect.prouinc.l.vn.& D.de rit.nupt.l.si quis officium.38.

VIII. *Si nuptiæ ex rescripto petantur.*

DE prohibitis nuptiis generaliter quæritur an ex rescripto seu permissu principis contrahi licitè possint. Sciendum igitur est incestas hac ratione non sustineri. l.2.eas verò, quæ ob ciuilem tantùm prohibitionem sunt inutiles, vt inter senatorem & libertinam, ex rescripto peti posse, vt iustæ fiant. D. de rit. nupt.l.si senatori.31.& s̃.de interdi.matrim.l.pen.

IX. *De secundis nuptijs.*

1 POstquàm de licitis & illicitis nuptiis dictum est; superest, vt de iis agatur, quæ medium quodammodo locum tenent. hæ sunt secundæ nuptiæ, quæ iure ob humanam fragilitatem tolerantur, non tamen probantur, immo quibusdam pœnis coërcentur vt
2 mox docebo. ¶ Nota primò secundarum nuptiarum appellatione intelligi etiam tertias, quartas, & vlteriores quocumque numero; quia omnes iure sustinentur. ĵ. de bon. quæ lib. l. 4. sicut appellatione secundi gradus intelligimus etiam tertium, & quartum, &
3 quoscumque vlteriores heredum gradus. ¶ Nota secundò viduo nullum tempus præscriptum esse ad con-
4 trahendas secundas nuptias. Nou.22. cap.16. ¶ Nota tertiò, mulieri regulariter licere post annum luctus secundò nubere, antea non licere propter confusionem sanguinis, & turbationem seminis. Quòd si intra hoc tempus nupserit; variæ pœnæ, iure irrogantur. I. Tam ipsa mulier notatur infamiâ, quam pater, qui eam nuptui collocauit, nec non qui sciens eam duxit, nisi iussu parentis, in cuius potestate erat, eam duxerit: quo casu ipse parens notatur. l.1. in princ. l.2. & s̃. ex quib. caus. infam. irrog. l. decreto.15.& ĵ. de repud.l. consensu. 8.§. hæc nisi vir.in fi. & l.seq. & ad senatuscons. Tertull. l. 4. & D. de his qui not. infam.l.1.vers. qui eam quæ.l.liberorum.11.§.vlt.l.qui iussu.12.l.quid ergo.13. in princ. & Nou.22. cap.16.c.18. in fi.& c.22. II. Hæc mulier non potest secundo viro vltra tertiam partem bonorum in dotem dare, aut in testamento relinquere. III. Ex testamẽto capere non potest. IV. Donata vel relicta sibi à priori marito amittit. V. Hereditates ab intestato vltra tertium gradum vindicare non potest. l.1. & 2. Hæ pœnæ cessant, si mulier permissu principis. D. de his qui notant.infam.l.solet.10. vel post partum editum nupserit. D.eod. l.liberorum. 11.§.Pomponius. ¶ Nota quartò, interdum, mulierem
5 ante quinquennium non posse transire ad secundas nuptias. I. Si eius culpâ diuortium factum sit, vel quia maritus ei iustè libellum repudij misit, vel quia ipsa sine iusta causa diuertit: tũc enim intra quinquennium nubens fit infamis, & secundæ nuptiæ non valent. ĵ. de repud.l.consensu.8.§. hæc nisi vir. & No.22. cap.15.in fi.& cap.18.vers.etsi mulier. II. Si incertum sit, an maritus, qui ab hostibus captus est, viuat, nécne.D.de diuort.l.6.& d.No.22.cap.7. ¶ Nota quintò, 6
esse quasdam pœnas secundarum nuptiarum, quarum vna est propria mulieris, vt prioris viri dignitate non fruatur. D. de senator. l. feminæ.8.in fi. & No.22.cap. 36. duæ sunt communes tam viris quàm mulieribus tempore permisso secundas nuptias contrahentibus. Nam I. Eorum, quæ à priore coniuge accepit, vel à liberis prioris matrimonij peruenerunt, dominium amittit solo vsufructu retento, si liberi extent eiusdem prioris matrimonij: ad eos namque dominium transit. l.3.in princ.l.5.l.6.§.his illud.& ĵ.de ind.vid.toll.l.2.& No.22.c.23. II. Non potest posteriori coniugi plus dotis, vel donationis propter nuptias, vel alio quouis titulo dare, aut in voluntate vltima relinquere, quàm cuilibet ex liberis prioris matrimonij. d.l.6.& d. Nou. 22.cap.27. ¶ Nota sextò, iure canonico non esse sub- 7
latas pœnas secundarum nuptiarum, sed tantùm eas, quæ iure ciuili irrogantur immaturitati secundarum nuptiarum.extrà.h.t.c.penult.& vlt. ¶ Nota septimò, 8
eodem iure canonico non licere absente aut capto ab hostibus coniuge contrahere secundas nuptias, priusquàm certum sit eum mortuum esse extrà.cod.c.2.

X. *Si secundò nupserit mulier, cui maritus vsumfructum reliquit.*

NOta octauò transeuntem ad secundas nuptias amittere iure Codicis vsumfructum sibi à priore coniuge extra causam dotis vel donationis propter nuptias, datum seu relictum, ita vt liberis prioris matrimonij eum confestim restituere debeat. l. vn. Sed hoc ius corrigitur per No. 22. cap. 32. vbi Iustinianus constituit coniugem transeuntem ad secunda vota, retinere vsumfructum, nisi hac conditione in eum collatus fuerit, vt secundis nuptiis extingueretur.

XI. *De dotis promissione, & nuda pollicitatione.*

POst nuptiarum diuisiones, explicandi sunt duo ea- 1
rum effectus: primus, vt dos valeat: alter, vt simplex donatio inter coniuges non valeat, vt exposui ad tit. D. de iu. dot. num. 1.& de donat. int.vir. & vxor. num.1.Quid sit dos, & quotuplex, docui ad d.tit.de iu. dot. in præsentia quædam secundum ordinem titulorum Codicis notare oportet. ¶ Nota primò dotis 2
obligationem constitui vel promissione, id est, stipulatione, vel nudo pacto, vel pollicitatione.l.3.4. 6.& D.de dot.collat. l.1.§.pen. sed hodie etiamsi stipulatio non sit interposita, tamen tacitè facta intelligitur, adeo vt semper ex stipulatu agi possit. ĵ. de rei vxor. act.l.vn.in princ.

XII.De

BIU Cujas

XII. *De iure dotium.*

1 NOta secundò esse quædam iura singularia & dotium propria. Primum est, quòd, etsi dominium ciuile rei dotalis ttansfertur in maritum, tamen mulier naturale dominium retinet. l. pen. Soluto autem matrimonio, si sit dos profectitia, communis est patri & 2 filiæ. D. solu. matrim. l. 2. §. 1. ¶ Secundum est, quòd res, quas dotali pecunia maritus comparauit, dotales esse videntur, D. h. t. l. res quæ. 54. vide Cent. 5. q. 53. 3 ¶ Tertium est, quòd maritus non potest alienare prædium dotale, licèt eius dominus sit. Instit. quib. alien. lic. vel non. in pr.

XIII. *De rei vxoriæ actione in ex stipulatu actionem transfusa, & de natura dotibus præstita.*

1 QVartum est, quòd dos petitur vel repetitur actione ex stipulatu, licèt stipulatio vel nulla vel inutilis facta sit. Olim stipulatione cessante dos a muliere & socero repetebatur actione rei vxoriæ, quæ extraneo, qui dotem dederat, non competebat. sed Iustinianus hanc actionem sustulit, &, quæ in ipsa vtilia 2 erant, ad actionem ex stipulatu transtulit. l. vn. ¶ Huius igitur actionis plura sunt priuilegia. I. Est bonæfidei. d. l. vn. §. sed etsi. & Instit. de act. §. fuerat. II. Adiunctum habet ius tacitæ hypothecæ. d. l. vn. §. 1. III. Mulier hac actione dotem repetens præfertur aliis mariti creditoribus etiam expressam anteriorem hypothecam habentibus. ℣. qui potior. in pign. hab. l. vlt. hanc enim sententiam verissimam puto contra eos, qui non præferunt mulierem habentibus anteriorem hypothecam, nisi ea tacita sit.

XIV. *De pactis conuentis tam super dote, quàm super donatione ante nuptias, & paraphernis.*

1 QVintum est, quòd dotis conditio pactis conuentis melior, non deterior fieri potest. D. de pact. 2 dotal. l. 2. l. de die. 14. cum trib. lll. seqqq. ¶ Nota alia esse pacta super dote, de quib. dixi. D. eod. tit. alia super donatione ante nuptias seu propter nuptias, in quibus æqualitas requiritur; ne mulier marito superstes, ex donatione plus vel minus lucretur, quàm vir mulieri superstes lucretur ex dote. l. ex morte. 9. & l. seq. alia super paraphernis, id est, super rebus ad mulieris, quas præter dotem maritus penes se habet: de quibus rebus nihil disponere potest sine consensu mulieris. l. hac lege. & quamuis valeant pacta de lucranda dote si vxor præmoriatur, vel donatione propter nuptias si prior maritus decesserit, d. l. ex morte. tamen pactum vice testamenti factum, vt bona paraphernalia post mortem mulieris ad maritum pertineant, iure reprobatur. l. 5. 3 ¶ Quæri potest, cur in hac rubrica vocetur donatio ante nuptias, cùm in l. vlt. in princ. ℣. de donat. an nupt. constitutum sit eam non vocari *ante nuptias*, sed *propter nuptias*. Cuiacius respondet hoc ideo factum esse, quia d. l. vlt. est recentior cõstitutionibus huius tituli. quam responsionem vanam esse, tribus argumentis apparet. Primò quia tempus dictæ. l. vlt. non est adscriptum. Secundò quia non est quæstio de legibus, sed de rubrica, quam constat esse posteriorem. d. l. vlt. Tertiò quia Iustinianus in Nouellis sæpius vocat donationem ante nuptias, quàm propter nuptias. Aut igitur dicendum, quia leges potiùs imponuntur rebus quàm verbis. ℣. cõmu. de lega. l. 2. in fi. Iustinianum præceptum suum de nomine huius donationis accuratè non obseruasse: aut in d. l. vlt. in princ. verba illa *non ante nuptias donationem vocari, sed propter nuptias*, sic esse accipienda, quasi diceret non solùm vocari ante nuptias sed etiam propter nuptias, nam hæ particulæ *non, sed*, accipiuntur sæpe pro *, non solùm , sed etiam.* vt in l. 1. §. vlt. D. de rer. permut. & alibi. Sed hæc interpretatio mihi non videtur in præsentia esse accipienda, quia Iustinianus in §. pen. Instit. de donat. inconueniens vocat nomen illud donationis ante nuptias, ideóque ait se constituisse vt non ante nuptias, sed propter nuptias vocentur. Concludo vocari posse vtroque modo. sicut enim sublata vi imaginaria, à qua actio in rem dicebatur *vindicatio*, & sublata denunciatione, à qua actio in personam appellabatur *condictio*; tamen ipsa condictionis & vindicationis nomina remanserunt: ita quamuis hodie hæc donatio tam stantibus nuptiis quàm ante nuptias fieri possit, tamen retento antiquo vocabulo dici potest donatio ante nuptias, rectiùs tamen & congruentiùs nominatur propter nuptias.

XV. *De dote cauta non numerata.*

SExtum est, quòd sine dotis numeratione de dote restituenda maritus cauet vel donationis causâ, vel spe dotis accipiendæ. Primo casu donatio consistit, & in dotem conuertitur, si aut facta sit ante matrimonium. D. de don. int. vir. & vxor. l. 5. in pr. aut sit confirmata per mortem mariti, qui in eadem voluntate perseuerans decesserit. l. 2. Posteriori casu exceptio non numeratæ dotis (quæ est species exceptionis non numeratæ pecuniæ. ℣. de non num. pecun. l. in contractib. 14. in fi.) datur hoc iure intra annum à die soluti matrimonij. l. vlt. Sed nouissimè Iustinianus ita distinguit: Aut matrimonium intra biennium solutum est: aut post biennium, intra decennium: aut post decennium. primo casu datur hæc exceptio intra annum à die soluti matrimonij: secundo casu intra tres menses: tertio casu prorsus denegatur. Nou. 100.

XVI. *De donationib. inter virũ & vxorẽ, & à parẽtib. in liberos factis, & de ratihabitione.*

HVcusque dictum est de primo nuptiarũ effectu, 1 id est, de dotibus, quæ propter nuptias valent. Alter effectus est, quòd donationes inter virũ & vxorem non valent, nisi morte donantis confirmentur, vt notaui ℣. tit. prox. & exposui. D. h. t. ¶ Hoc exemplo 2 Iustinianus constituit vt donatio à parente in filium collata, quem in potestate habet, cùm ab initio non valeat, morte donantis confirmetur. l. donationes quas parentes. 25. ¶ Ibidem dictam donationis confirma- 3 tionem ita limitauit, vt vltra quantitatem, quæ donationis insinuationem requirit, donatio morte donantis non confirmetur, nisi aut insinuata fuerit, aut in donantis testamento sit expressè confirmata. ¶ Et vt 4 hoc casu, quo insinuatione, quæ iure requirebatur, omissâ, donatio in testamento expressè cõfirmata est, à die confirmationis valeat: ceteris casibus valeat à die factæ donationis; quia confirmatio retrò ad diem donationis trahitur. ¶ Denique vt generaliter omnis 5 ratihabitio retròtrahatur ad tempus cõtracti negotij, quod ratum habetur. d. l. donationes quas parentes. 25. & ℣. ad senatusconsul. Maced. l. vlt. in pr.

XVII. *De repudijs, & iudicio de moribus sublato.*

POstquàm dictum est de sponsalibus, & ceteris quæ 1 nuptias antecedunt, necnon de nuptiarum diuisione, & effectibus: superest, vt de dissolutione, & de

dissolu

2 dissolutionis effectibus dicamus. ¶ Sponsalia & nuptiæ soluuntur repudio, cuius species est diuortium,
3 vt exposui ad tit.D.de diuort.& repud. ¶ Diuortij seu soluti matrimonij effectus multi sunt: quorum vnus est sublatus,nempe actio de moribus.Morum nomine accusabatur aut mulier à marito, aut maritus à muliere; & vel grauiorum seu maiorum, vel leuiorum seu minorū morū nomine. Grauiores seu maiores mores sunt adulteria tantùm:leuiores seu minores,omnes reliqui. Mulieris mores ita puniebantur, vt grauiorum nomine vir sextam partem dotis lucraretur; leuiorum nomine octauam partē retineret. Mariti autem mores sic puniebantur; vt si quidem dos pondere,numero, vel mensurâ constaret, adeo vt annua,bima, trima die reddenda esset,propter maiores mores statim redderetur, propter minores redderetur senûm mensum die,ita vt tertia pars singulis semestribus restitueretur. si verò in aliis rebus consisteret, quam præsenti die reddi oportebat, insuper cogebatur maritus fructus quadriennij reddere.Vlp.tit.de dotib.§.morū. & §.seq.

XVIII. *Soluto matrimonio quemadmodum dos petatur.*

ALij effectus,qui sunt in vsu,partim respiciunt ad res, partim ad personas. Qui res spectant, partim generaliter ad dotem,vel ad res amotas,vel ad bona mariti pertinent; partim proprij sunt fundi dotalis. De dotis repetitione tria quæruntur. Primò quæritur, quēadmodū dos petatur:cui quæstioni satisfeci D.h.t.

XIX. *Si dos constante matrimonio soluta fuerit.*

SEcundò quæritur; si dos hac lege data sit,vt mortua in matrimonio muliere, lucro mariti cederet, ac maritus stāte matrimonio dotem mulieri sine causa restituerit, deinde mulier in matrimonio mortua sit;an maritus dotem cum fructibus ab heredibus mulieris repetere possit. Respōdetur posse,quia illa intempestiua dotis restitutio donationē in se continet. l.vn.

XX. *Ne fideiussores, vel mandatores dotium dentur.*

TErtiò quæritur,an mulieri dotem repetenti actio detur contra fideiussorem,quem à marito vel socero vel prosocero accepit, vel cōtra eum,cuius mandatu dotem dedit. Respōdetur actionem mulieri contra fideiussorem vel mandatorem nō competere. Cod. Theod. de fideiuss. dot. l. 1. quia cui persona mulieris creditur, ei multò magis dos credi debet: vnde fideiussorem vel mandatorem dotis restituendæ nomine accipi constitutiones prohibent. l. 1. & 2. Hactenus de repetitione dotis.

XXI. *Rerum amotarum.*

DE rebus autem amotis est actio rerum amotarum,de qua dixi D.h.t.

XXII. *Ne pro dote mulieri bona quondam mariti addicantur.*

DE bonis mariti constitutum est, vt eo mortuo sine herede bona mulieri pro dote non addicantur: sed legitimus ordo seruetur, quo mulier & alij creditores in possessionem mittuntur, & dato curatore bona distrahuntur. Expositi sunt generales effectus matrimonij soluti.

XXIII. *De fundo dotali.*

SPecialiter autem de fundo dotali cautum est, vt mulier soluto matrimonio eum repetere possit, licèt à marito alienatus fuerit, quoniam alienatio non valet,siue inæstimatus in dotem datus fuerit,siue æstimatus,adiecto pacto, vt electio sit mulieris vtrū æstimationem an prædium petere velit. Lege notata ad hunc titulum D.

XXIV. *Diuortio facto,apud quem liberi morari vel educari debeant.*

HVcusque dictum est de effectibus soluti matrimonij, qui ad res spectant: sequuntur effectus, qui ad personas,id est,ad liberos respiciunt. Hîc duæ quæstiones occurrunt. Primò quæritur, diuortio facto vtrùm apud matrem,an apud patrem liberi morari & educari debeant. Respondetur, hoc arbitrio iudicis committi.l.vn.& ĵ.tit.prox.l.3.Nouissimè Iustinianus constituit, vt si patris culpâ diuortium factum sit,& mater ad secundas nuptias non transierit, liberi apud eam alantur impensis patris. si verò culpâ matris solutum sit matrimonium, & pater non sit inops apud patrem nutriantur impensis matris locupletis. Nou.117.c.7.

XXV. *De alendis liberis, ac parentibus.*

SEcundò quæritur, à patre, an à matre,an ab vtroque parente liberi sint alendi. Respondetur, alendos esse à patre.l.pen.& vlt.videlicēt pro modo facultatum.D.de adgnosc. & alend. lib.l.5. §.alimenta. nec tantùm filios, sed etiam nepotes ex filiis. Sed si pater non sit superstes,vel inops sit, hoc onus matri incumbit.D.eod.l.penult. ¶ Vice versa si parentes egeant, à liberis locupletib. ali debent. l. 1. & 2. ¶ Similiter liberti patronos, & eorum liberos alere, vel, si egeant, ab eis ali debent, vt notaui ad d. tit.D.de adgnosc. vel alend. libe.

XXVI. *De concubinis.*

EXpositi sunt duo personales contractus,sponsalia, & nuptiæ: tertius est concubinatus, de quo dixi D. hoc tit.

XXVII. *De naturalibus liberis, & matribus eorum,& ex quib.causis iusti efficiantur.*

QVemadmodum suprà nuptiarum effectus enarrauimus, ita nunc effectus concubinatus explicantur: qui partim ad liberos, partim ad concubinas pertinent. I. Liberi non sunt legitimi, sed naturales tantùm:certis tamen modis legitimi & iusti efficiuntur, vt in postrema huius rubricæ parte declarandum proponitur, & à nobis expositum fuit ad tit. D. de his qui sui vel alie.iu.sunt. Nota hoc verbum,*liberi naturales*, modo significare susceptos ex iustis nuptiis, qui opponuntur liberis adoptiuis,vt Instit. de adopt.in pr. modò susceptos ex concubinatu, vt hîc, & Instit. de nupt. §.vlt. II. Liberi naturales possunt à matre instituti heredes etiam ex asse, & ab ea sine iusta causa præteriti habent querelam inofficiosi.D.de inoffic.testam. l. si suspecta.29.§.1. III. Qui legitimos liberos vel parentes habet, liberis naturalibus & concubinæ non potest vltra vnciam inter viuos largiri, aut in vltima voluntate relinquere. Si verò sola concubina sit, non potest ei vltra semunciam tam inter viuos quàm in vltima voluntate tribuere.l.2.& l.vlt.& No.89.cap.12. §. ne igitur. IV. Qui legitimis liberis caret,ac parentes tātùm habet, his debita portione relicta, residuum in liberos naturales & eorum matrem hodie conferre potest. d. l.vlt.& Nouel. 89.c.12. §. si verò habuerint. V.Qui neque legitimos liberos,neque parentes habet olim quadrantem, sed ex l.humanitatis.§.semissem.&

ex d.

BIU Cujas

ex d.No.89.cap.12.§.si verò filios,assem liberis naturalib.& matri eorum tribuere potest. VI. Liberi naturales intestatæ matri,vel auiæ succedunt etiam vnà cum iustis liberis. ff.ad senatusconf.Orfic.l.penult.& D.vn. cogna.l.Modestinus.8. VII. Patri naturales liberi non succedunt, si aut iusti liberi extent, aut iusta vxor, sed tantùm ali debent boni viri arbitratu: his verò non extantibus, succedunt in sextantem, cum matre, si extet,diuidendum in capita.Nou.18.cap.5.& d.No.89.c. 12.§.si quis autem. VIII. Nepotes,ceteríque liberi naturales auo vel proauo non succedunt ab intestato, l. vlt. IX. Ex concubina suscepti, auo vel proauo paterno,ceteríque cognatis vel adgnatis patris ab intestato non succedunt.l.vlt.in fi.

XXVIII. *De testamentaria tutela.*

1 POstquàm conditor Codicis tres contractus personales exposuit, sponsalia, nuptias, & concubinatum: postremo loco agit de tutela, quæ est personalis quasi contractus, & de curatione,quæ maximam cum
2 tutela affinitatem habet. ¶ Hæc iuris pars tres tractatus continet: primum de iis qui ratione ætatis tutorem vel curatorem accipiunt:secundum de iis, qui ob animi vitium accipiunt curatorem, quales sunt dementes, furiosi, & prodigi: postremum de iis, quæ omnibus tutelis & curationibus communia sunt.
3 ¶ Primus tractatus diuiditur in quinque capita: primum de tutelæ & curationis speciebus, secundum de administratione tutorum vel curatorum, tertium de actionibus ad tutores vel curatores pertinentibus, quartum de auctoritate tutorum & curatorum, quin-
4 tum de modis, quibus tutela finitur. ¶ Species tres sunt: testamentaria, legitima, & datiua. Testamentaria tutela vel per se consistit,de qua dixi D.h.t.

XXIX. *De confirmando tutore.*

VEl eget confirmatione magistratus, vt & omnis curatio testamento data,sicut exposui D.h.t.

XXX. *De legitima tutela.*

LEgitima per se consistit, siue sit tutela, siue curatio.nam etsi in rubrica tantùm tutela proponitur, tamen in l.vlt.agitur etiam de curatione legitima. Hic titulus respondet titulo D.de legitimis heredibus.

XXXI. *Qui petant tutores vel curatores.*

DAtiua quoque tam tutela quàm curatio esse potest. De qua considerantur quatuor. Primò considerantur personæ petentes tutorem vel curatorem, de quibus dixi D.h.t.

XXXII. *Vbi petantur tutores vel curatores.*

SEcundò consideratur locus, vbi petitur, de quo dixi D.eod.tit.

XXXIII. *De tutoribus vel curatoribus illustrium vel clarissimarum personarum.*

TErtiò considerantur personæ quæ dant, vel dantur tutores seu curatores. Hîc distinguuntur duo casus. Primus casus est, cùm tutor vel curator datur personæ illustri, aut spectabili, aut clarissimæ. Tres sunt senatoriæ dignitates: illustratus, spectabilitas,& clarissimatus. sed interdum clarissimatus vocabulum latè sumitur vt etiam spectabilitatem & illustratum complectatur, vt exposui.D.de senator.in fi. Itaque in hoc tit. agitur de tutoribus vel curatoribus personarum senatoria dignitate præditarum, siue sint clarissimæ, siue spectabiles, siue illustres. Qui dent his personis tutores,constituitur in l.1. Qui verò tutores dari possint, traditur in l.2. Nam in l.1, constituitur, vt in vrbe illustribus vel clarissimis tutores vel curatores dentur à præfecto vrbi adhibitis decẽ senatoribus, & prætore: in prouinciis autem nominentur præsidi à curialibus. In l. 2. prohibetur, ne curialis his personis tutor detur. Hæc specialiter ita traduntur de personis senatoriis.

XXXIV. *Qui dari tutores vel curatores possint,& qui dari non possint.*

SEcundus casus est, cùm personæ infra dignitatem Senatoriam constitutæ tutor aut curator datur: qua de re dixi ad tit.D.de tutor.& curat.dan.

XXXV. *Quando mulier tutelæ officio fungi potest.*

VTrique casui communis quæstio est, an mulier possit esse tutrix. Regulariter non potest,l.1.Excipiuntur mater & auia, quæ præferuntur aliis tutoribus legitimis, non tamen testamentariis. l. 2. & 3. & Nou.118.cap.5. Sed ita demum admittuntur, si ad secundas nuptias non transierint, immo apud acta tam secundis nuptiis quàm beneficio senatusconsulti Velleiani renunciare tenentur: &,si post susceptam tutelam secundo nupserint,à tutela remouentur. Nou.94. c.2.& No.118.cap.5.

XXXVI. *In quibus causis tutorem habenti tutor vel curator dari potest.*

QVartò consideratur persona tutelæ vel curationi subiicienda. Hîc quæritur, vtrum tutorem habenti tutor vel curator dari debeat. Regulariter tutorem habenti, tutor dari non potest. ff. qui pet. tuto.l. cùm iure.9.& qui dare tutores. l. 4. & l. si sororis.9. & D.de testam.tut.l.idem fiet.27.in pr. & Instit.de curat. §.pen.quamquam curatorem habenti curator dari potest.D.de tutor.& curat.da.l.ventri.20.Quibusdam tamen casibus tutor vel curator adiungitur: vel quia is qui tutor manet,gerere non potest; (putà propter furorem.D.de tutel.l.pen. & de excus. l. idem Vlpianus. 12.in pr. aut absentiam reipublicæ causâ. l. 1. & D. de tutelis.l.quæsitum.12.& de tutor.& curat. da.l.in omnem 15.) vel quia ex parte gerere potest, sed toti administrationi non sufficit: (vt quia patrimonium pupilli est latè diffusum,& in diuersis prouinciis.l.3. & l. vlt. & D.de excus. l. propter litem. 21. in fi.) vel quia desinit aliquis esse tutor, aliis tutoribus manentibus. D.de testa.tut.l.si quis sub conditione.11.§.vlt.Quamuis autem eodem casu vel tutor vel curator dari possit,vt in iuribus suprà adductis: tamen plerumque faciliùs adiungitur curator, quàm tutor. Instit. de curat. §.pen.nisi dandus sit ad actum, qui tutorem requirat, non sufficiente ad eum expediendum curatore, vt adirio hereditatis.D.de tutor.& curat. da.l.impuberi 9. & de acquir. hered.l.per curatorem.90. in prin. & de appellat.l.cùm in vna 17.in pr.

XXXVII. *De administratione tutorum vel curatorum, & de pecunia pupillari fœneranda,vel deponenda.*

ABsolutus est primus tractatus, qui est de specie- 1
bus tutelæ & curationis: sequitur secundus de administratione tutorum vel curatorum, de qua dixi D. hoc titul. ¶ Huius administrationis pars est, vt 2
pecunia pupillaris deponatur, prædiorum comparandorum causâ, deinde prædia comparentur, aut, si prædia comparari nequeant, fœnori detur. l. 4. & l. tutores. 24. alioquin tutores vel curatores in vsu-

BIU Cujas

ras eius pecuniæ tenentur. D. eod. l. 7. §. si post. & §. si deponi. aut si soluendo non sunt, extra ordinem castigantur. D. eod. l. ob fœnus. 49. Insuper pro suspectis habentur, &, si in hoc contumaciter se gerant, & humiliores sint, publicis vinculis continentur. D. de suspect. tut. l. 3. §. qui pecuniam. Sed No. 72. hanc fœnerandi vel prædia emendi necessitatem remittit, adeo vt tutor vel curator officio suo satisfaciat, si pecuniam diligenter custodiat, nisi fœneratione opus sit, vt pupillus ex vsuris alatur.

XXXVIII. *De periculo tutorũ, & curatorum.*

ADministrationis neglectæ, aut perperam gestæ primus effectus est, vt periculum ad tutorem seu curatorem pertineat, vt exposui D. h. t.

XXXIX. *Quando ex facto tutoris vel curatoris minores agere vel conueniri possint.*

ALter effectus est, vt quibusdam casibus ex facto tutoris vel curatoris pupillus vel adolescens agere aut conueniri possit. qua de re dictum est. D. h. t.

XL. *Si ex pluribus tutoribus vel curatoribus omnes vel vnus agere pro minore, vel conueniri possunt.*

1 TVtorum & curatorum administratio partim est iudicialis, partim extraiudicialis. Ad iudicialem pertinet quæstio, vtrùm, si plures sint, omnes, an vnus, agant vel conueniantur: cui satisfactum est ad tit. D. 2 de administr. tut. ¶ Nota primò minorem in hac & superiori rubrica, & diuersis aliis locis accipi tam pro 3 pupillo, quàm pro adolescente. ¶ Nota secundò, in hac rubric. partic. *si*, accipi pro *an*: in qua significatione sæpe occurrit in Codice.

XLI. *Ne tutor vel curator vectigalia cõducat.*

DIctum est de administratione tutorum vel curatorum, & de eius effectibus, ac diuisione: nunc dicendũ de iis quæ administrationi contraria sunt, & vel eã impediunt. vel ab ea impediũtur. Horũ primum est cõductio vectigalium. Nã tutor vel curator, durãte officio. vel eo finito, antequàm rationes reddat, prædia Cæsaris aut vectigalia conducere, vel alio modo cum fisco contrahere prohibetur sub pœna falsi, cuius veniam à principe impetrare poterit, si vtrique satisfecerit, id est, tam minori, quàm fisco, quia prohibitionis causa est, ne fortè fiscus damno afficiatur pupillari obligatione omnia tutoris vel curatoris bona absorbente. l. vn. & D. de excusat. l. tutores. 49. & de le. Cornel. de falsi. l. 1. §. ex illa. Sed si publicano tutela deferatur, excusari poterit. d. l. vn. in fi. & d. l. 1. §. sed ad illos. Ergo tutela vel cura impedimento est vectigalium conductioni: hæc verò illam non omninò impedit, sed excusationem tribuit.

XLII. *De tutore vel curatore, qui satis non dedit.*

SEcundum est omissio satisdationis rem pupilli saluam fore. nam qui non satisdedit, administrare nequit. l. 3. & l. vlt. Hanc satisdationem exposui ad tit. D. rem pupil. vel adol. salu. fore.

XLIII. *De suspectis tutoribus, vel curatoribus.*

TErtium est suspicio, de qua dixi D. h. t.

XLIV. *De in litem dando tutore, vel curatore.*

QVartum est lis, quam tutor vel curator habet cum minore: quia in rem suam auctor fieri non potest. D. de auctor. tut. l. 1. in princ. & Instit. eod. §. vltim. Vnde alius tutor vel curator in eam litem datur, id est, si alius tutor vel curator sit, eo auctore litigabitur, si alius nullus sit, curator dabitur. l. 1. & D. de testam. tut. l. si plures. 24. Nota, quamuis regulariter nec tutorem habenti tutor dari possit, vt notaui. s. in quib. caus. tuto. haben. & tutor certæ rei vel causæ non detur. Instit. qui testam. tut. da. poss. §. pen. tamen inter casus exceptos hunc fuisse, vt si vnus esset tutor, qui litem cum pupillo haberet, alius tutor ad eum litem à prætore daretur. Instit. de auctor. tut. §. vltim. quod ius moribus receptum fuisse testatur vlpianus tit. de tutelis, §. moribus. sed hac consuetudine sublata, cœpit curator dari: quod iure Institutionum obtinet. d. §. vlt. & iure Codicis. l. 1. & 2. Nec obstat, quòd interdum dicitur tutor in litem dari. l. 3. & 4. hoc enim sic debet accipi, vt is, qui iam in numero tutorum est, ad litem detur, id est, lis cum altero tutore agitanda, ei committatur. Quid ergo, si iudicium sit solemne & ordinarium? nam ad solemnia non sufficit curator, sed opus est tutore. D. de auctor. tut. l. curatorem. 19. Constitutum est, vt tutor cum suo pupillo per procuratorem litiget, vt ipse respectu solemnitatũ auctor fieri possit, curatore litem defendente pro pupillo. l. vlt. Nouissimè Iustinianus constituit, vt detur tutor, vel curator. No. 72. c. 2. vbi videtur ius antiquũ in vsum reuocasse.

XLV. *De eo, qui pro tutore negotia gessit.*

QVintum est, si quis nec tutor sit, nec curator. Hic ex duabus causis tenetur. Prima est, si gerat: quia nisi gerat, non tenetur si gerat, locum facit actioni pro tutelæ vel negotiorum gestorum. s. de testa. tut. l. 1. & 4. etiam ob ea quæ non attigit, si alius gesturus erat, qui eius contemplatione, gessit, quòd si postea intelligens se non esse tutorem, abstineat ab administratione necessarios pupilli certiorare tenetur, vt ei tutorem petere possint. D. h. t. l. 1. §. vlt. Cetera huc spectantia notauit. D. eod.

XLVI. *Si mater indemnitatem promiserit.*

SEcunda causa est, si indemnitatem pupillo vel tutori promiserit. Quid si mulier sit, quæ promittat? Si promittendo intercedat, exceptionem habet senatusconsulti Velleiani si nõ intercedat, efficaciter obligatur. Intelligas eam intercedere, si pupillo se obliget pro tutore. l. 1. aut tutori pro pupillo. s. ad senatusconsul. Velleian. l. 6. §. 1. non intercedere, si alienam obligationem non suscipiat, veluti si tutori indemnitatem promittat eorum nomine quæ ipsa gessit, vel gestura est. l. 2. & s. ad senatusconsul. Velleian. d. l. 6. in princ. vide Cent. 4. q. 72.

XLVII. *Si contra voluntatem matris tutor datus sit.*

SExtum est, si contra vltimam matris voluntatem tutor pupillo datus sit. quemadmodum enim prætor tutorem à matre datum confirmare solet. s. de test. tut. l. 4. & de confirm. tut. l. 1. & D. de testam. tut. l. 4. & de legat. ij. l. pero. 69. §. mater. ita quem mater tutorem dari vetuit, à tutela remouet, sine infamia tamen, nisi dolum admiserit. l. vn.

XLVIII. *Vt causæ post pubertatem tutor adsit.*

POstquàm generaliter de administratione tutorum & curatorum dictum est, tria specialia declarantur: quorum primum ad causas pupillares, reliqua duo ad personam pupilli pertinent. Primò igitur constituitur,

vt li

vt licèt pupillus ad pubertatem peruenerit, tamen tutor causis pupillaribus adsistat, donec administrationem ad curatorem transtulerit. l. vn. quia pubertate finitur tutela. Instit. quib. mod. tut. fin. in pr. tutelæ autem, id est administrationis translatione finitur periculum tutelæ. §. de peric. tut. l. vlt.

XLIX. *Vbi pupilli educari debeant.*

SEcundò constituitur, vt prætor vel præses decernat vbi pupillus educari seu morari debeat: qua de re dixi D. hoc tit.

L. *De alimentis pupillo præstandis.*

TErtiò constituitur, vt alimenta pupillo præstentur: qua de re dixi D. eod. tit.

LI. *Arbitrium tutelæ.*

1 CVm dictum sit de tutelæ & curationis speciebus, & de tutorum vel curatorum administratione: ordo, quem §. de testam. tute. proposui, requirit, vt de actionibus ob administrationem competentibus agatur. ¶ Actio tutelæ diuiditur in directam, qua tutor
2 vel curator administrationis suæ rationem reddere cogitur: & contrariam, quæ datur tutori vel curatori aduersus eum cuius tutelam vel curationem gessit. Hic
3 titulus est de actione directa, de qua dixi D. h. t. ¶ Nota primò iudicium tutelæ vocari arbitrium, non quia sit actio arbitraria, est enim bonæfidei. Inst. de action. §. actionum. sed quia non minùs in iudiciis bonæfidei, quàm in arbitrariis res arbitrio iudicis committitur, idcirco arbiter appellatur etiã is, qui bonæ fidei actione aditus est. D. fam. erciscun. l. fundus. 30. cum simil.

LII. *De diuidenda tutela & pro qua parte quisque tutorum conueniatur.*

NOta secundò, turelam, id est tutelæ administrationem (sic enim tutela hoc loco accipitur, vt & in l. vlt. §. de peric. tutor) modò esse inter tutores diuisam, modò indiuisam: proinde singulos teneri modò pro partibus, modò in solidum. Quod dicimus de tutoribus, idem intellige de curatoribus. Sic ergo distinguitur: Aut tutela est diuisa à testatore, aut à iudice, aut ex conuentione tutorum, aut est indiuisa. Primo & secundo casu singuli pro partibus sibi adsignatis tenentur, nec alter pro altero tenetur, nisi propter dolum vel culpam admissam in eo non remouendo, aut seriùs remouendo. l. 2. §. in diuisionem. Secundo & tertio casu datur minori optio, vtrùm vnum in solidum, an omnes simul conuenire velit. Si omnes conueniantur & condemnentur, periculum tutelæ diuisum erit, nec vnus pro altero conuenietur. ¶. si plur. vna sentent. l. 2. Si vnus conueniatur in solidum, videtur quidem condemnendus. l. 2. in princ. & §. sin verò, & §. tit. prox. l. 6. Sed pluribus beneficiis ei succurritur. Primum est beneficium cedendarú actionum: quoniã actor actiones, quæ sibi contra alios tutores competunt, ei cedere tenetur, vt ab illis partem eius, quòd præstiterit, recuperare possit. l. 2. in princ. & §. vltim. Secundum est beneficium actionum vtilium, quas ex constitutionibus contutores habet, si actiones directæ sibi cessæ non sint. D. de tut. & rat. distrah. l. 1. §. & si fortè. Hæc beneficia denegantur ei tutori, qui propter suum dolum vel culpam sit condemnandus. d. l. 1. §. planè. & ¶. de contra. iud. tut. l. 2. & D. de administr. tut. l. si plures tutelam. 38. §. vlt. Tertium est beneficium diuisionis: quo fit, vt diuidenda sit actio in eos, qui tempore litis contestatæ sunt soluendo, atque ita pro partibus teneantur. D. de administr. tut. d. l. si plures tutelam. in princ. & §. 1. & de tut. & ration. distrah. l. 1. §. & si quidé & §. seq. Quartum est beneficium ordinis: quia excutiendus est is, qui administrauit, vel eius heredes & fideiussores ab eo dati, & qui satisdationem exegit, vel exigere debuit, priusquàm alter tutor, qui non gessit. conueniatur. l. 3. & §. tit. prox. l. 6. & §. de administr. tut. l. etsi. 8. & ¶. de hered. tut. l. 2. & ¶. si tut. vel curat. reip. cau. abe. l. 1. & D. de tut. & rat. distrah. l. 1. §. vsque adeo. Coniunge, quæ notaui ad tit. D. de administr. tut. nume. 4. memb. 3.

LIII. *De in litem iurando.*

NOta tertiò, in iudicio tutelæ iurari in litem ob dolum vel latam culpam. l. 2. quæ pro dolo habetur. D. depos. l. quod Nerua. 32. quia est iudicium bonæ fidei. Instit. de action. §. actionum. & ita in omnibus bonæfidei iudiciis obseruatur. D. h. t. l. 5. in princ. & §. pen. in quo §. vt multis aliis locis, doli appellatione, tam lata culpa quàm fraus continetur: & culpæ appellatione, culpa leuis, non culpa lata significatur. Hic titulus *de in litem iurando* extat tam in D. quàm in C. sed ibi est tractatus generalis ad omnia iudicia pertinens; hîc est specialis, & ad arbitrium tutelæ coãgustatus. Similis est ratio tituli de verbor. signif. qui in D. est generalis. in C. coarctatur ad vltimas voluntates.

LIV. *De heredibus tutorum, vel curatorum.*

NOta quartò, actionem competere non solùm in tutores & curatores, sed etiam in eorum heredes, vt exposui ad tit. D. de fideiuss. tutor. num. 4.

LV. *Si tutor vel curator non gesserit.*

NOta quintò, tutorem vel curatorẽ teneri, etiamsi non gesserit, sub distinctione tamen. aut enim aliqui gesserunt, aut nullus gessit. Priori casu is qui non gessit, non tenetur, nisi duo concurrunt, quæ traduntur in l. etsi scisses. 8. §. de administr. tut. Vnum est, vt is, qui gessit, non sit soluendo: alterum est, vt hic, qui non gessit, se tutorem vel curatorem datum non ignorauerit. Nam si id ignorauerit, nullo modo tenetur. si sciuit, beneficium habet ordinis, quem exposui. §. de diuid. tut. vers. quartum est beneficium. Posteriori casu omnes æquè tenentur latæ culpæ. l. 2. vers. si qua. seu contumaciæ nomine. D. de administr. tut. l. si plures tutelam. 38. §. vlt. videlicèt si sciuerint se tutores aut curatores datos. d. l. etsi scisses. Habet autem locum beneficium diuisionis inter eos qui sunt soluendo: nam si qui eorum soluendo non sint, hoc ceteros onerat. d. l. si plures tutelam. in princ. & §. 1. Beneficium ordinis inter eos spectari non potest, cùm omnes æquè non gesserint: hoc enim beneficium facit, vt priùs conueniatur, qui administrauit, quàm is qui non gessit. Beneficium cedendarum actionum eis denegatur; quia quilibet ob suam contumaciam damnatur. d. l. si plures tutelam. §. vltim. eadem igitur rationem denegandæ eis sunt actiones vtiles: quoniam absurdum eum ab altero repetere, quod ob suam culpam vel dolum præstitit. D. de tut. & rat. distrah. l. 1. §. planè.

LVI. *De vsuris pupillaribus.*

NOta sextò, in actionem tutelæ venire etiam vsuras. D. de vsur. l. 1. §. vlt. ¶ Quæ regulariter præ- 1 stantur secundum morem prouinciæ. D. de administr. 2 tut. l. 7. §. quæ autem. sic tamen, ne sint maiores semissibus. §. de vsur. l. eos. 26. §. 1. Sed quinque casibus debentur vsuræ legitimæ, id est, centesimæ. I. Si tutor vel curator pecuniam minoris in vsus suos conuerterit. l. 1. & §. arbit. tut. l. 3. & D. de administr. tut. d. l. 7. §. quæ autem. II. Si falsò negauit penes se esse pecuniam.

BIU Cujas

III. Si ob moram depositioni pecuniarum pupillarium factam prætor ei legitimas vsuras irrogauit. IV. Si quantitatem aliquam penes se esse falsò negans, necessitatem minori imposuit mutuam pecuniam legitimis vsuris accipiendi. V. Si à debitoribus pupillaribus legitimas vsuras exegit. d.l.7.§.quæ autem. ¶ Sed vsurarum cursus inhibetur, I. Denunciationibus frequenter interpositis, quibus minor ad iudicium prouocetur, vnà cum protestatione apud acta. l. vltim. II. Oblatione consignatione ac depositione pecuniæ debitæ. D. de vsur. l.1. §.vlt. & de administ. tut. l.tutor pro pupillo.28.§.1.

LVII. *De fideiussoribus tutorum vel curatorum.*

NOta septimò, non solùm tutores & curatores, sed etiam fideiussores ab eis datos, minoribus teneri, vt dictum fuit. D. lib.27.tit.7.

LVIII. *De contrario iudicio tutelæ.*

HVcusque tractatum est de iudicio tutelæ directo: hîc agitur de iudicio contrario, de quo dixi D. lib.27.tit.4.

LIX. *De auctoritate præstanda.*

EX quinque capitibus, quæ de tutelis & curationibus explicanda proposuimus s. de testam. tut. tria iam absoluimus; primum de speciebus, alterum de administratione, tertium de actionibus: sequitur quartum caput de auctoritate, de qua dixi lib.26.tit.8.

LX. *Quando tutores vel curatores esse desinant.*

SVpereſt vltimum caput de modis, quibus tutela vel curatio finitur, vel non finitur. Tunc finitur, cùm tutores vel curatores esse desinunt: vt quia pupillus peruenit ad pubertatem. l.1. & Instit. quib. mod. tut. finit. in princ. aut adolescens ad legitimam & perfectam ætatem. Instit. de curat. in princ.

LXI. *De actore à tutore seu curatore dando.*

NOn finitur, si tutor vel curator aduersa valetudine, vel alia necessitate impediatur tutelam gerere, sed eo auctore minor procuratorem constituet: aut si pupillus vel absit, vel infans sit, actor siue adiutor à tutore vel curatore, id est, tutoris vel curatoris voluntate & periculo datur à prætore. D. de tute. l. solet. 13. & de administr. tut. l. decreto. 24. in princ. & Instit. de curat. §. vlt. Actor dicitur, qui datur ad lites; adiutor, qui datur ad negotia extraiudicialia. Cuiac. hîc.

LXII. *De excusationibus tutorum & curatorum & de temporibus earum.*

VT autem propter excusationem tutela vel cura finiatur, ac tutor vel curator esse desinat, quatuor requiruntur. I. Vt excusetur in perpetuum, non ad tempus. Instit. de curat. §. pen. Nam excusationum aliæ sunt perpetuæ, aliæ temporales. D. h. t. l. idem. 12. in pr. II. Vt intra statutum tempus excusatio proponatur: quod tempus proponitur in §. qui autem. Insti. cod. tit.

LXIII. *Si tutor vel curator falsis allegationibus excusatus sit.*

TErtiò, vt veris allegationibus sit excusatus. l. 1. & Inst. de excusat. §. vlt.

LXIV. *Si tutor vel curator reipublicæ causâ aberit.*

QVartò, vt sit causa idonea, quæ excusationem mereatur. Quid enim, si ob duos liberos sit excusatus? certè tutelam recipere cogitur auctoritate principis. D. de minor. l. verum. 11. §. ex facto. Examinandæ igitur sunt variæ causæ, ac videndum, an sint idoneæ ad excusandum, necne. Prima causa est absentia reipublicæ causâ. Hæc excusatio est ad tempus, id est, quamdiu abest. nam reuersus tutelam recipit, vel statim, si sit tutela vetus, id est, vetustior absentiâ; vel post annum, si sit noua tutela, id est, absentiæ tempore delata: interim autem datur curator. Instit. de excusat. §. item qui reipublicæ, vel alius tutor. D. de tutel. l. quæsitum. 12. & de suspect. tut. l. si quis absfuturus. & tut. & rat. distrah. l. si tutor reipublicæ. 9. in princ.

LXV. *De excusationibus veteranorum.*

SEcunda causa est militia peracta. nam veterani, qui confectis legitimis viginti annorum stipẽdiis à militia dimissi sunt, in perpetuum à tutela & cura excusantur, præterquam à tutela vel cura filiorum conueterani, à qua anni excusationem habent. Ceteri, qui non confectis legitimis stipendiis honestam, vel causariam, non ignominiosam missionem meruerunt, si ante quinquennium dimissi sunt, nullam habent immunitatem. si post quinquennium, anni immunitate fruuntur. si post octo annos, ad biennium excusantur. si post duodecim annos, triennium eis conceditur. si post sedecim, quadriennium. D. de excusat. l. 8.

LXVI. *Qui numero liberorum se excusant.*

TErtia causa ob numerum liberorum excusat in perpetuum. Sed hîc quatuor requiruntur. I. Vt saltem sint Romæ tres liberi, vel in Italia quatuor, vel in prouincia quinque. l. 1. & Insti. de excusat. in pr. Vbi notandum, nepotes ex filia non prodesse; nepotes ex filio ita prodesse, vt filio mortuo spectentur, & quot-quot sunt ex vno filio, pro vna persona computentur. II. Vt sint procreati ex iustis nuptiis. D. eod. l. 2. §. legitimos. & Instit. eod. in prin. III. Vt nati sint ante tutelam vel curam delatam. d.l.2. §. qui autem. & §. numerum. IV. Vt eo tempore, quo tutela vel curatio defertur, sint superstites, aut in acie pro patria obierint. Instit. eod. in pr.

LXVII. *Qui morbo.*

QVarta causa est morbus: de qua nota primò, morbum afferre iustam excusationem, si talis sit, vt rerum administratione impediat. Instit. de excusat. §. item propter. vt cæcitas, surditas, si quis mutus sit, furor, perpetua valetudo aduersa. l. vn. ¶ Nota secundò, morbum excusare tam à susceptа tutela, quàm à susciпienda. D. de excus. l. & non tantùm. 11. l. post susceptam. 40. ¶ Nota tertiò, prout valetudo est, ita aliquem excusari vel ad tempus, vel in perpetuum. D. eo. l. idem. 12. in princ. 1 2 3

LXVIII. *Qui ætate.*

QVinta causa ætas. Nam maior septuaginta annis excusatur in perpetuum. Minor autem annis xxv. nequidem volens ad tutelam vel curam susciпiendam admittitur. Instit. de excusat. §. item maior.

LXIX. *Qui numero tutelarum.*

SExta causa est onus tutelæ vel curæ: quod vt à noua tutela vel cura excuset, tria requiruntur. I. Ne sit onus affectatum. Nam qui aliquam tutelam affectauit, vt ab alia excusetur, excusationem non meretur. Instit. de excusat. §. item tria. II. Vt sint quomodocumque tria onera. Siue enim quis tres tutelas, siue tres curationes, siue duas tutelas & vnã curationem, siue vnam tutelam & duas curationes gerat, à quarta tutela vel cura excusatur, dummodò tria onera sustineat.

ueat, D.eod.l.2.§.vlt.quia interdum plures tutelæ, pro vno onere habentur, vt duorum vel trium fratrum, qui indiuisum patrimonium habent. D.eod.l.3. interdum vna tutela computatur pro pluribus oneribus, propterea quòd amplum est & latè diffusum pupilli patrimonium. D.eod.l.si is qui.31.§.vlt.adeo vt potiùs patrimonium spectetur, quàm numerus pupillorum. d.l.3. & l.non tantùm.17. in pr. III. Vt tutelæ vel curæ, propter quas excusari quis vult, adhuc maneant, & administrentur, non sint finitæ. d.§.item tria. & d.l.2. §.vlt. nec mox finiendæ, putà quia pupillus sit proximus pubertati, vt tantummodò semestre tempus reliquum sit. d.l.non tantùm in princ.

LXX. *De curatore furiosi, vel prodigi.*

HActenus dictum est de tutoribus pupillorum, & de curatoribus adolescentium; nunc agitur de curatoribus furiosorum, & prodigorum: quia sicut aduenientе pubertate tutela finitur, & succedit curatio adolescentis; ita aduenientе perfecta ætate, cessat curatio illa adolescentium, & succedit curatio furiosi, & alius similis personæ. nam quamdiu furiosus est minor xxv. annis, curatorem habet potiùs ratione ætatis, quàm furoris. D.de tute.l.3.§.1.vt notaui D.h.t.vbi alia quoque pro ratione nostri instituti adiecimus, quæ ad hunc titulum spectare videntur.

LXXI. *De prædijs & alijs rebus minorum sine decreto non alienandis, vel obligandis.*

SEquuntur duæ regulæ communes omnibus tutoribus & curatoribus. Prima regula est, Res minorum non debent à tutore vel curatore alienari vel obligari sine decreto prætoris, vt expositum est D. h. tit. Nota alienationem propriè sumptam, id est, pro translatione dominij, distingui ab obligatione, id est, ab hypotheca, vt hîc: sed latè sumpto vocabulo etiam obligationem complectitur. §. de reb.alie.non alien.l.vlt.

LXXII. *Quando decreto opus non sit.*

SVperior regula patitur tres exceptiones. Prima exceptio est, nisi sit casus, quo decretum non requiritur. Sunt enim quatuor casus, quibus decretum non est necessarium. I. Si res seruando seruari non possit, sed tractu temporis corrumpetur, aut sit vestis detrita, aut animal superuacuum. l.vlt. & §. de administ. tut. l. lex quæ.22.in fi. II. Si pater vel alius, cui minor successit alienationem permiserat. l.1.& 3. III. Si princeps alienationem permiserit. l.2. IV. Si res obligandæ sint pro cautione iudicatum solui à minore præstanda. §. de admini.tut.l.vlt.§.defensionem.

LXXIII. *Si quis ignorans rem minoris esse, sine decreto comparauerit.*

SEcunda exceptio est, nisi is, qui bona fide rem minoris accepit, statuto tempore præscripserit. quod tempus currere incipit, ex quo minor ad perfectam ætatem peruenit. Præscribit autem emptor quinquennio: donatarius longo tempore, id est, decennio inter præsentes, viginti annis inter absentes. l. vlt. & §. tit. prox.l.vlt.

LXXIV. *Si maior factus alienationem factam sine decreto ratam habuerit.*

TErtia exceptio est, nisi dominus, cuius in minori ætate constituti res sine decreto alienata fuit, postea maior factus eam alienationem ratam habuerit. l. 2.& §.arbitr.tut.l.6.

LXXV. *De magistratibus conueniendis.*

SEcunda regula est, In magistratibus, qui satisdationem à tutoribus vel curatoribus exigere neglexerunt, aut non idoneos fideiussores acceperunt, actio subsidiaria competit, vt exposui D.h.t.

LIBER VI.

TITVLVS I.

De seruis fugitiuis, & libertis, mancipijsq; ciuitatum artificibus, & ad diuersa opera deputatis, & ad rem priuatam vel dominicam pertinentibus.

POSTQVAM libro quarto reales, & libro quinto personales contractus exposuit: hoc sexto libro agit conditor Codicis de successionibus, tam in bonis libertorũ, quàm ingenuorum; & tam ex testamento, quàm ab intestato. Incipit autem à successione libertorum: & quia ex lege xij. tabularum hęc successio est pars iuris patronatus, totum hoc ius vult exponere. ¶ Cuius iuris partes tres sunt. 2 Prima pars spectat ad operas: de quibus nota primò, operas definiri diurnum officium. D.de oper.libert.l.1. ¶ Nota secundò, operas non deberi ab ingenuis. D.de 3 fideiuss. l. si quis.56. sed à seruis. D. de oper.seru. aut à libertis. D. de oper. libert. ¶ Nota tertiò, interdum 4 seruos fugere, ne debitas operas & seruitia dominis præstent: qua ratione hîc agitur de seruis fugitiuis, de quibus dixi D.hoc tit. ¶ Nota quartò, operas deberi 5 etiam à seruis aut à libertis reipublicæ, præsertim artificibus, qui ad diuersa opera deputari solent, prout ratione artificij, aut ingenij, aut corporis virium, apti & idonei sunt; quò spectat secunda pars huius rubricæ. ¶ Nota quintò, similiter operas præstari à seruis aut 6 libertis dominicis, qui ad priuatũ principis patrimonium pertinent; quò spectat tertia pars huius rubricæ.

II. *De furtis, & seruo corrupto.*

NOta sextò, interdum non posse dominum à seruo debitas operas consequi, eò quòd sibi surreptus, vel corruptus fuit. qua de causa hîc agitur de furtis, & seruo corrupto. Nos de furtis egimus D. lib.47.tit. 2.de seruo autem corrupto D.lib.11.tit.3.

III. *De operis libertorum.*

NOta septimò, operas patronis deberi à libertis iure naturali, etiamsi promissæ non sint. D. de condict.indeb. l. si non sortem.26.§. libertus. iure autem ciuili non deberi, nisi ex stipulatione, aut iureiurando. Caius lib. 2. Instit. tit. de oblig. §. item & alio. Reliqua de operis libertorum notaui D.h.t.

IV. *De bonis libertorum, & iure patronatus.*

SEcunda & præcipua pars iuris patronatus ad bona liberti pertinet, ad quæ post obitum liberti persequenda triplex remedium patrono datur. Primum est bonorum possessio contra tabulas, de qua est tit. 13, huius libri. Secundum est bonorum possessio secundum tabulas. Has bonorum possessiones exposui D. hoc tit.

V. *Si in fraudem patroni à libertis alienatio facta sit.*

TErtium est actio Fabiana vel Caluisiana, quod exposui D.h.t.

BIU Cujas.

VI. *De obsequijs patrono præstandis.*

TErtia pars iuris patronatus respicit obsequia, de quibus dixi D.h.t.

VII. *De libertis & eorum liberis.*

SI contra debita obsequia liberti aut eorum liberi sint erga patronos ingrati, iudicio extraordinario in seruitutem retrahuntur l.1.2.& vlt.

VIII. *De iure aureorum annulorum, & de natalibus restituendis.*

EXposito iure patronatus, iam docet, quomodo ius illud amittatur. Sciendum est, libertinos ad ingenuitatem beneficio principis peruenire duobus modis. Primus modus est, si à principe ius aureorum annulorum consequantur, de quo est in D.tit.10.libri 40. Alter est, si natalibus restituantur, de quo est D.tit. 11. libri 40. Priori modo ius patronatus non tollitur, sed permanet. D. de iu. aur. annul.l.pen. & vlt. Posteriori modo tollitur. ſ. de nupt.l.imperialis.23.§.1.& D. de natalib.restit.l.2.l.pen.& vlt.

IX. *Qui admitti ad bonorum possessionem possunt, & intra quod tempus.*

1 DIctum est de successione in bonis libertorum, & iure patronatus iam dicamus de successione in bonis ingenuarũ personarum. Ingenuis succeditur vel iure prætorio per bonorũ possessionem, vel iure ciuili per hereditatẽ. de vtraque igitur dicẽdum: ac primùm de bonorũ possessione: in qua enarranda cõstituuntur quatuor capita: primum de bonorũ possessione acquiranda secũdum de eius speciebus, tertium de ea repudiãda, quartũ de eius effectu. In primo capite tres quæ-
2 stiones occurrunt. ¶ Prima quæstio est, quinã ad bonorum possessionẽ admittantur. Hæc quæstio generaliter tractanda est in hoc tit. Nam qui ex testamẽto vel ab intestato admittãtur, sequentib. titulis explicabitur. Generaliter itaque hæc notẽtur: I. Filiusfamiliâs ignorante patre bonorum possessionem petere potest, quæ ita demum patri proderit, si ratam petitionem habuerit. l.1. II. Bonorum possessionem pupillo delatam vel tutor pupilli nomine, vel pupillus tutore auctore adgnoscere potest. pupillus autem sine tutore eam amplecti non potest. si tamen iudex sciens prudens pupillo sine tutoris auctoritate postulanti bonorum possessionem dederit, emolumentum prætoriæ successionis pupillo acquiretur. l.7. III. Infantis nomine non solùm tutor, sed etiam pater, & quilibet alius bonorum possessionem petere potest. l.3.& D. de bon.poss.
3 l.pen. ¶ Secunda quæstio est, intra quod tempus bonorum possessio peti possit. Liberis & parentibus præfinitum est tempus anni vtilis, ceteris dantur centum dies vtiles. D. de success. ed.l.1. §. quod dicimus. §. largius. §. non solùm. & §§. seqq. & Insti. de bonor. possess. §. cùm igitur. & §. pen.

X. *Quando non petentium partes petentibus accrescant.*

TErtia quæstio est, si ex pluribus simul ad bonorum possessionem vocatis, alij eam petant, alij omittant, ad quos portiones non petentium pertineant. Respondetur, eas tacito iure iis accrescere, qui bonorum possessionem admiserunt. nam qui suam partem omisit, in alterius omittentis portione nihil iuris habet. l. vn. Absolutum est primum caput de bonorum possessione acquirenda.

XI. *De bonorum possessione secundum tabulas.*

SEquitur secundum caput de speciebus bonorum possessionis. Harum aliæ sunt ex testamento, aliæ ab intestato. Ex testamento sunt duæ: altera secundum tabulas, de qua dixi D.h.t.

XII. *De bonorum possessione contra tabulas, quam prætor liberis pollicetur.*

ALtera contra tabulas, quæ datur potissimum liberis, vt docui D.h.t.

XIII. *De bonorum possessione contra tabulas liberti, quæ patronis, liberisque eorum datur.*

SEd & parentibus datur, vt exposui ad tit. D. si à pa- 1
rent. quis man. sit. & patronis, liberisque eorum aduersus testamentum liberti, vt hoc tit. declaratur, & nos attigimus ad tit. D. de bon. libert. ¶ Nota primò, 2
hanc bonorum possessionem dari non solùm patronis, sed etiam eorum liberis, vt hæc rubr. ostendit. ¶ No- 3
ta secundò, dari etiam iis, qui ex causa fideicommissi manumiserunt. l.1.& D. de bonis libert. l. qui ex causa. 29. in princ. ¶ Nota tertiò, certis casibus hanc bono- 4
rum possessionem denegari, quia certis de causis ius patronatus amittitur: veluti si capitali crimine libertum accusauerit. D. de iu. patron. l. eum patronum. 10. Si munus, donum operas liberto impositas elegit. l.2. & D. de iu. patron. l. sicut. 20. Si conniuente patrono libertus cum ancillis vel colonis principis confortium habuerit. ſ. eod. l.2. Si patronus remiserit ius patronatus, ac liberam testamenti factionem liberto concesserit. ſ. eod. l.3. Cessat etiam hæc bonorum possessio, si libertus minus centum aureis in bonis habeat. ſ. eod. l.4. §. τέτων τοίνυν. & §. ταῦτα περὶ τῶν τελευτώντων. & Instit. de bon. libert. §. sed nostra. Item liberi ipsius liberti patrono præferuntur. d. l.4. §. τέτων τοίνυν. & Instit. de bon. libert. d. §. sed nostra. ¶ Nota quartò, per hanc 5
bonorum possessionem patronum scripto heredi olim abstulisse semissem, hodie ex Iustiniani constitutione trientem. ſ. de iu patron. d. l.4. §. εἰ δὲ παντελῶς. & Instit. de bon. libert. d. §. sed nostra. Sed si scriptus heres nec adeat nec bonorum possessionem petat, patronus assem obtinebit. D. de bon. possess. l.6. in princ. & de bon. libert. l. si libertus præterito. 23. in princ.

XIV. *Vnde liberi.*

HActenus bonorum possessiones ex testamento: sequuntur bonorum possessiones ab intestato quarũ prima est. Vnde liberi, de qua dixi D. lib. 38. tit. 6

XV. *Vnde legitimi, & vnde cognati.*

SEcunda est vnde legitimi de qua dixi D. eo. libro, tit. 7. Tertia est vnde cognati, de qua dixi tit. 8. eiusdem libri.

XVI. *De successorio edicto.*

EXpositis bonorum possessionibus communia edicta duo subiiciũtur: Primò successorium edictum, quod exposui D.h.t.

XVII. *De Carboniano edicto.*

SEcũdò Carbonianũ edictum, quod enarraui. D.h.t.

XVIII. *Vnde vir & vxor.*

TErtia bonorum possessio ab intestato est. Vnde vir & vxor, de qua dixi D. h. t. Expositæ sunt species bonorum possessionis.

XIX. *De repudianda bonorum possessione.*

SVccedit tertium caput de repudianda bonorum 1
possessione. ¶ Nota primò, eum posse repudiare, 2

cui

BIU Cujas

cui delata est. D. de succeſſ. ed. l. 1. §. 2. vnde pupillo delatam, non tutor, ſed pupillus tutore auctore poteſt repudiare. d. l. 1. §. tutor. & de bon. poſſ. l. tutor. 8. & filiofamilias delatam pater in fraudem filij repudiare nequit. l. 2. Seruo tamen delatam dominus repudiare poteſt; quia per ſeruum defertur domino. d. l. 1. §. per ſeruum, & ſeruus pro nullo habetur. D. de iu. delib. l. 1. in princ. ¶ Nota ſecundò, eum, qui repudiauit, ſtatim à bonorum poſſeſſione repudiata excludi, licèt tempora ad petendum præſtituta nondum præterierint, ac ceteros admitti. D. de ſucceſſ. ed. l. 1. §. qui ſemel. inter quos ipſe quoque admittetur, qui repudiauit. verbi gratiâ filius repudiauit bonorum poſſeſſionem. Vnde liberi: hanc igitur amplius petere non poteſt. ſed ſi alij liberi non ſint, adgnatis defertur bonorum poſſeſſio Vnde legitimi: ergo idem filius, qui ob repudiationem non poteſt petere vnde liberi, recte petet vnde legitimi: vel ſi emancipatus fuerit, & nulli ſint adgnati, recte petet Vnde cognati. d. l. 1. §. ſed videndum.

XX. *De collationibus.*

SVpereſt vltimum caput tractatus de bonorum poſſeſſionibus, quod eſt de effectu. Nam liberi emancipati & deſcendentes ex feminis, ſi bonorum poſſeſſionem petant, ſuis heredibus conferre propria bona coguntur, vt & filia dotem ſicut expoſui D. lib. 37. tit. 6. & 7. Et rectè hic titulus inſcribitur in plurali numero *de collationibus*: quia complectitur duos illos Digeſtorum titulos, *de collatione bonorum*, & *de collatione dotis*. Hucuſque de bonorum poſſeſſionibus.

XXI. *De teſtamento militis.*

POſt ſucceſſiones prætorias, id eſt bonorum poſſeſſiones, agitur de ſucceſſionibus ciuilibus, id eſt, hereditatibus, quæ cùm vel ex teſtamento deferantur, vel ab inteſtato. D. de hered. petit. l. 1. 2. & 3. & fam. erciſc. l. 2. in pr. & Inſtit. per quas perſon. nob. acquir. §. vlt. meritò præponitur ſucceſſio ex teſtamento; quia quamdiu hæc ſperatur, tamdiu ceſſat ſucceſſio ab inteſtato. D. ſi tab. teſt. nul. extab. l. 1. in princ. Agendum igitur eſt hac in parte de teſtamentis: quorum expoſitio tribus capitibus conſumitur. primum eſt de teſtamentis condendis, ſecundum de eorum effectu, tertium de eorundem accidentibus. In primo capite diſtinguitur inter teſtamenta militaria, & paganica. De militaribus dixi D. hoc tit.

XXII. *Qui teſtamenta facere poſſint, vel non.*

IN teſtamentis paganicis quatuor ſpectantur. Primum eſt ipſe teſtator: quia in primis videndum eſt, an is, qui teſtamentum fecit, teſtamenti factionem habuerit. D. h. t. l. 4.

XXIII. *De teſtamentis, & quemadmodum teſtamenta ordinantur.*

SEcundum eſt forma teſtandi, ſeu modus teſtamenti ordinandi. Hæc duo expoſita fuerunt ſub tit. D. qui teſt. fac. poſſ.

XXIV. *De heredibus inſtituendis, & quæ perſonæ heredes inſtitui non poſſunt.*

1 TErtium eſt heredis inſtitutio: quartum exheredatio: quia nec ſine heredis inſtitutione teſtamentum valet. Inſtit. de leg. §. ante heredis: nec præteritis
2 ſuis heredibus. Inſtit. de exhered. liber. in pr. ¶ Heredum duplex diuiſio traditur. Prima diuiſio eſt in heredes inſtitutos, & ſubſtitutos. D. de vulga. & pupill. l. 1. in pr. Inſtituuntur vel purè, vel ſub conditione: ſubſtituuntur autem ſimiliter vel purè, vel ſub conditione: & vel directò, vel precariò ſeu per fideicõmiſſum. Itaq; primò agitur de inſtitutione pura, vt & D. h. t.

XXV. *De inſtitutionibus, & ſubſtitutionib. ſeu reſtitutionibus ſub conditione factis.*

SEcundò de conditionalibus inſtitutionibus & ſub- 1
ſtitutionibus tam directis quàm precariis. Nam omnes vltimas voluntates conditionales ſub hoc titulo coniunxit. in Digeſtis verò de conditionibus inſtitutionum & directarum ſubſtitutionum agitur lib. 28. tit. 4. de conditionibus autem legatorum & fideicommiſſorũ lib. 35. tit. 1. ¶ Nota, ſubſtitutiones pro- 2
priè dici eas, quæ ſunt directæ: precarias verò appellari reſtitutiones. & ita debent accipi verba huius rubricæ.

XXVI. *De impuberum, & alijs ſubſtitutionibus.*

TErtiò agitur de ſubſtitutione directa & pura, id eſt, quæ nullam habet aduentitiam & accidentariam conditionem. Nam conditio, in quàm ſubſtitutio ex ſua natura confertur, veluti *ſi Primus heres non erit*, non facit ſubſtitutionem conditionalem: ſed nihilominùs dicitur pura ſubſtitutio. D. de vulg. & pupill. l. qui liberis. 8. numquàm enim conditio, quæ eſt actui eſſentialis, facit actum conditionalem. D. de lega. j. l. 3. & de condit. & demonſtr. l. aliquando. 107. Subſtitutio directa eſt multiplex, vt hæc rubrica oſtẽdit, & nos expoſuimus d. tit. de vulg. & pupill. Abſoluta eſt prima heredum diuiſio.

XXVII. *De neceſſarijs heredibus inſtituendis, vel ſubſtituendis.*

ALtera heredum diuiſio eſt tripertita. aut enim 1
ſunt heredes neceſſarij, aut ſui, aut extranei. Inſtit. de hered. qual. & differ. in princ. ¶ Neceſſarij he- 2
redes ſunt ſerui à domino ſuo heredes inſtituti. Inſtit. eod. in princ. qui ex eodem teſtamento libertatem & hereditatem accipiunt. Inſtit. de hered. inſtit. §. ſeruus autem à domino. (nihil autem refert vtrùm in eodem gradu hereditatem & libertatem accipiant, an in diuerſis gradibus, veluti ſi quis ex tabulis paternis libertatem accipiat, ex pupillaribus fiat pupillo heres neceſſarius. l. 4. Item nihil refert, vtrùm in eo teſtamento libertas expreſsè, an tacitè data ſit: quia niſi expreſsè inſtitutioni adiungatur libertatis datio, ipſius inſtitutionis vi tacitè libertas data cenſetur. l. pen. & Inſtit. qui & ex quib. cauſ. manum. non poſſ. §. idémque iuris) nec inſtituti ſunt ſub conditione. *Si vôlem.* D. de condit. inſtit. l. verba. 12. nec ſubſtitutum quempiam habent, arg. l. ſi filius heres. 16. D. de lib. & poſtum. & l. ſi is qui ſoluendo. 57. de hered. inſtit. ¶ Neceſſarij ideo 3
dicuntur; quia, velint nolint, heredes eſſe coguntur. D. de hered. inſtit. l. neceſſariis. 47. §. vlt. & Inſtitut. de hered. qual. d. §. 1. Hæc dicta ſint de heredibus neceſſariis.

XXVIII. *De liberis præteritis vel exheredatis.*

SVi heredes partim ſunt iam nati, qui inſtituendi ſunt, vel nominatim exheredandi, quia præteriti faciunt teſtamentum ipſo iure nullum. D. de iniuſ. rup. l. 1. & Inſtit. de exhered. lib. in princ. & ſunt quidem iure ciuili etiam neceſſarij, ſed iure prætorio beneficium habent abſtinendi. Inſtitut. de hered. qual. §. ſui autem.

XXIX.

BIU Cujas

XXIX. *De postumis heredibus instituendis, vel exheredandis.*

PArtim sunt postumi, qui debent instituì, vel exheredari ne præteriti testamentum adgnascendo rumpant. Instit. de exhered. lib. §. 1. De vtrisque, id est, de suis heredib. iam natis, & de suis postumis dictum fuit in ti. D. de lib. & postum. Dictũ est de necessariis, & de suis heredibus: superest, vt dicamus de extraneis.

XXX. *De iure deliberandi, & de adeunda vel acquirenda hereditate.*

1 EXtranei heredes dicuntur qui extra testatoris po-
testatem sunt constituti. Inst. de hered. qual. §. ce-
teri. quorum proprium est ius deliberandi, de quo di-
2 ctum fuit. D. h. t. ¶ Quia verò deliberatur de adeunda
vel repudianda siue omittenda hereditate; hæc autem
ad effectum testamentorum pertinent: simul de his ac
3 de testamentorum effectibus agere incipit. ¶ Primus
igitur testamentorum effectus est hereditatis acquisi-
tio vel amissio. Extranei heredes dicuntur adire here-
ditatem, sui vel necessarij se immiscere vel acquirere
Lege notata ad tit. D. de acquir. vel omitt. heredit.

XXXI. *De repudianda, vel abstinenda hereditate.*

RVrsus extranei dicuntur repudiare, sui vel neces-
sarij abstinere vel omittere. Lege notata ad d. tit.
D. de acquir. vel omitt. hered.

XXXII. *Quemadmodum testamenta aperiantur, inspiciantur & describantur.*

SEcundus effectus est, vt mortuo testatore tabulæ
testamẽti aperiantur, & inspiciendi ac describendi
testamenti potestas fiat, sicut exposui D. h. t.

XXXIII. *De edicto Diui Adriani tollendo, & quemadmodum scriptus heres in possessionem mittatur.*

1 TErtius effectus post apertas tabulas testamenti
locum habet, vt scilicet heres scriptus, in bono-
2 rum possessionem mittatur. ¶ Nota primò, ad hoc vt
heres in possessionem mittatur, opus esse vt testamen-
tum rectè formatum proferatur, vt in forma externa
nullum vitium appareat. l. 3. Non obstat autem,
si dicatur laborare alio vitio, putà si falsum, vel
inofficiosum, vel ob filium præteritum nullius mo-
menti dicatur. l. 2. ¶ Nota secundò, in posses-
3 sionem mitti heredem scriptum siue ex asse, siue ex
4 parte. d. l. 3. ¶ Nota tertiò, si controuersia sit inter in-
stitutum & substitutum, præferri institutũ ei qui sub-
stitutus est siue iure directo. l. 1. siue per fideicommis-
5 sum. D. ad senatusconsul. Trebell. l. filiam. 56. ¶ Nota
quartò, heredem ibi mitti in possessionem, vbi sunt
6 res hereditariæ. ẽ. vbi de hered. aga. l. vn. ¶ Nota quin-
tò, hanc missionem in possessionem perpetuò peti
posse: tantùm ei posse opponi vsucapionem, vel lon-
7 gissimi temporis præscriptionem. d. l. 3. ¶ Nota sextò,
hanc missionem in possessionem non posse per appel-
lationem impediri; quoniam appellatio non recipitur.
8 ẽ. quor. appell. non recip. l. 6. ¶ Nota septimò, in eo-
rum bonorum possessionem mitti, quæ testatoris fue-
9 runt mortis tempore. d. l. 3. ¶ Nota octauò, per hanc
missionem non fieri præiudicium iis, qui controuer-
siam faciunt heredi scripto; quia nihilominùs ea con-
trouersia legitimè terminabitur. ead. l. 3.

XXXIV. *Si quis aliquem testari prohibuerit, vel coëgerit.*

QVartus effectus est, quòd hereditas manet penes 1
heredem, cui acquisita est, nisi ei auferatur tam-
quàm indigno. Causæ autem, propter quas aufertur,
plures sunt. ¶ Prima causa est, si heres testatorem vo- 2
lentem testamentum mutare prohibuerit. ¶ Secunda 3
causa est, si eum coëgerit, vt se heredem scriberet, quæ
duæ causæ expositæ sunt D. h. t.

XXXV. *De his quibus vt indignus hereditas aufertur, & ad senatusconsultum Silanianum.*

TErtia causa est, si heres contra senatusconsultum 1
Silanianum priùs hereditatem adierit, vel bono-
rum possessionẽ petierit, vel se bonis miscuerit, quàm
de seruis quæstio habita sit de testatoris nece. Hanc
causam exposui D. de senatusconsul. Silan. ¶ Explican- 2
tur hoc titulo etiam aliæ causæ, quæ proponuntur ge-
neralib. huius rubricæ verbis, *De his quibus vt indignis hereditas aufertur.* ¶ Quarta igitur causa est, si heres 3
inultam necem defuncti reliquerit. l. 1. l. 7. l. sororẽ. 10.
¶ Quinta causa est, si heres ex parte scriptus, testamen- 4
tum falsum dixit per calumniam. l. 2. l. alia 8. ¶ Sexta 5
causa est, si testator in Codicillis, vel per epistolã, eum
declarauerit indignum, quem in testamento heredem
scripserat. l. 4. Expositi sunt testamentorum effectus.

XXXVI. *De codicillis.*

SEquuntur accidentia testamentorum. Primum ac-
cidens sunt codicilli, de quibus dixi D. h. t.

XXXVII. *De legatis.*

SEcundum accidens est legatum, quod exposui D. de
leg. j. quædam tamen hìc specialiter notabuntur.

XXXVIII. *De verborum significatione.*

NOta primò, verba legatorum & omnino testa-
mentorum interdum obscuram significationem
habere. Quocirca de his interpretandis tenendæ sunt
regulæ, quas tradidi D. de legat. iij.

XXXIX. *Si omissa sit causa testamenti.*

NOta secundò, heredem institutum, qui in fraudem
legatariorum omisit hereditatem ex testamento,
& eam adiit ab intestato, nihilominùs ad legata solu-
enda compelli edicto prætoris, quod enarraui D. h. t.

XL. *De indicta viduitate, & lege Iulia Miscella tollenda.*

NOta tertiò, sæpe contingere, vt coniux coniugi le-
get sub conditione *si in viduitate permanserit*, seu,
si ad secundas nuptias non transierit. quo casu lex Iulia
Miscella (sic dicta secundum quosdam ab auctore Iu-
lio Miscella, secundum alios probabiliùs ex eo quòd
multa varia & miscellanea simul complectebatur)
conditionem remittebat, ita vt simul liceret intra an-
num legatum capere, & ad secundas transire nuptias
iuramento præstito, quòd liberorum procreandorum
causâ id faceret: post annum verò legatum concede-
bat præstanti cautionem Mucianam de nuptiis non
contrahendis. vt enim aliis casibus, ita & hoc casu
conditio in non faciendo consistens, impleta videtur,
si præstita sit cautio Muciana, de qua dixi de condit.
instit. num. 7. reg. 23. Iustinianus autem hanc legem su-
stulit, & omnino conditionem viduitatis remittit. l. 2.
& 3. Sed nouissimè constituit, vt legatum sub dicta
conditione relictum coniugi, intra annum capi non
possit:

BIU Cujas

possit: post annum ita demum capiatur, si cautio Muciana præstita fuerit. Vide No. 22. cap. 43. & 44.

XLI. *De his, quæ pœnæ nomine in testamento vel codicillis relinquuntur.*

NOta quartò, legatum pœnæ nomine relictum, olim non valuisse, hodie ex Iustiniani constitutione valere. l. vn. & Instit. de leg. §. vlt. Lege, quæ notaui D.h.t.

XLII. *De fideicommissis.*

TErtium testamẽtorum accidens est fideicommissum: de quo dixi ad tit. D. de legat. j.

XLIII. *Communia de legatis & fideicommissis, & de in rem missione tollenda.*

1 POstquàm seorsum egit de legatis, & de fideicommissis, deinceps quædam vtrisque communia de-
2 clarat. ¶ Primò tam ex fideicommisso, quàm ex legato dantur tres actiones, rei vindicatio, actio in personam ex testamento, & actio hypothecaria, sublato discrimine, quod olim erat inter varia legandi genera, (id est, per vindicationem, per damnationem, sinendi modo, & per præceptionem, de quibus Vlp. & Caius tit. de legatis) sublata etiam solemni in rem missione, quæ fideicommissi nomine fiebat, cùm heres nõ esset soluendo. No. 39. in pr. Hoc autem nouum ius consti-
3 tuitur prima lege huius tituli. ¶ Secundò legata & fideicommissa in omnibus & per omnia sunt inter se exæquata. l. 2. quam exæquationẽ exposui D. de leg. j.
4 num. 7. ¶ Tertiò, si hi, quibus testator optionem reliquit, in eligendo dissentiant, sorti res committitur.
5 l. 3. in princ. ¶ Quartò si testator electionem extraneo commiserit, isque noluerit, vel non potuerit eligere, electio legatario vel fideicommissario competit: sic tamen, vt optimum ex eo genere eligere nequeat. d.
6 l. 3. §. 1. ¶ Quintò rem legatam vel per fideicommissum relictam heres in damnum legatarij vel fideicommissarij alienare nequit. d. l. 3. §. penult. & vlt. exceptâ causâ dotis, vel donationis propter nuptias, si fortè liberorũ legitima doti vel donationi constituendæ non sufficiat. No. 39. cap. 1.

XLIV. *De falsa causa adiecta legato, vel fideicommisso.*

SExtò tam legato quàm fideicommisso accidit causa: quæ si falsa sit, non vitiat legatum vel fideicommissum, sed pro non scripta habetur. l. 2. & D. de cond. & demonstr. l. cùm tale. 72. §. falsam. & Instit. de legat. §. longè magis. Lege notata ad tit. D. de condit. & demonstr. num. 4.

XLV. *De his, quæ sub modo legata vel fideicommissa relinquuntur.*

SEptimò legatis & fideicommissis accidit modus, de quo dixi D. de condit. & demonstr. num. 5.

XLVI. *De conditionibus insertis tam legatis, & fideicommissis & libertatibus.*

OCtauò legatis & fideicommissis accidunt variæ conditiones, vt notaui D.h.t. num. 1.

XLVII. *De vsuris & fructibus legatorum, seu fideicommissorum.*

NOnò legatis & fideicommissis propter moram debitoris accedunt vsuræ & fructus, quamuis enim bonæfidei non sint, tamen, quod ad vsuras & fructus præstandos, comparantur causis bonæ fidei. ſ. in quib. caus. in integr. restit. necess. non est. l. 3. & D. de vsur. l. 3. in princ. & l. vsuræ. 34. Cur ergo dicitur hæc deberi post litem contestatam; l. 1. l. 2. in fin. & l. vlt. Quia si mora ante iudicium facta non sit saltem per litis contestationem plerumque fit, id est, nisi heres, à quo legatum vel fideicommissum petitur, iustam habeat litigandi causam. D. de vsur. l. si quis solutioni. 24. in princ. est autem iusta litigandi causa, veluti quia Falcidiam deducere volebat. D. eod. d. l. 3. & de legat. ij. l. qui in solidum. 78. in princ.

XLVIII. *De incertis personis.*

DEcimò olim legatum, aut fideicommissum incertis personis relictum, olim peti non poterat, (nisi sub certa demonstratione relictum esset, veluti, *Qui ex meis adgnatis, qui nunc sunt, primus in Capitolium adscenderit, ei centum do lego*) sed solutum non repetebatur per condictionem indebiti, tamquàm naturaliter deberetur: hodie verò ex Iustiniani constitutione quæ sub hoc titulo posita periit, indistinctè peti potest, quamuis tutor incertus inutiliter detur. Instit. de leg. §. incertis. & §. sed nec huiusmodi.

XLIX. *Ad senatusconsultum Trebellianum.*

VNdecimò legata & fideicommissa minuũtur per detractionem quartæ Falcidiæ, si excedant dodrantem bonorum Hæc quarta deducitur de fideicommissis ex senatusconsulto Pegasiano, quod Iustinianus transtulit in Trebellianum, vt notaui. D. h.t.

L. *Ad legem Falcidiam.*

DE legatis autem deducitur ex ipsa lege Falcidia, quam exposui. D.h.t.

LI. *De caducis tollendis.*

DVodecimò legata & fideicommissa, aut sunt vti- 1
lia, aut inutilia quæ verò sunt inutilia, partim pro non scriptis habentur, partim sunt in causa caduci, partim sunt caduca. ¶ Pro non scriptis habentur, quæ 2
ab ipso initio non valent, vt quia relicta sunt homini mortuo, vel incapaci; perinde enim habentur, ac si scripta non fuissent. In causa caduci dicuntur, quæ post factum testamentum, viuo adhuc testatore deficiunt: quoniam idem ius in his obseruatur, quod in caducis. Caduca diçũtur, quæ post mortem testatoris deficiunt, id est, incipiunt non posse capi: ac dicuntur caduca, quia in fiscum cadunt, id est, confiscantur. Hæc non solùm in legatis & fideicõmissis, sed etiã in hereditatibus obtinent. l. vn. §. & cùm triplici. ¶ Quæ pro 3
non scriptis habentur, substitutis debentur, si qui sint substituti. sin minùs, debẽtur coniunctis. si verò neque substituti vlli sint, neque cõiuncti, aut sint quidem sed hæc accipere aut nolint, aut nõ possint: tunc apud eos manent, à quibus sunt relicta vt putà heres damnatus dare fundũ Titio incapaci, eũ fundũ retinet, & quidem sine onere exempli causâ si Titius cõtemplatione eius fundi legati rogatus erat dare decẽ Mæuio, heres hoc fideicõmissum non præstabit. d. l. vn. §. in primo. Quæ verò aut in causa caduci, aut caduca sunt, ex lege Papia confiscantur, ex Iustiniani autem constitutione primò debentur substitutis: deinde his deficientibus, debẽtur cõiunctis: postremò, si neq; substituti sint, neque coniuncti, qui hæc accipiant, apud eos manent cum suo onere, à quibus relicta fuerunt. d. l. vn. §. in secundo. & §. in sequenti. In totum igitur sublata est lex Papia, sublata sunt caduca, & ea quæ erant in causa caduci.

LII. *De his qui ante apertas tabulas hereditatem transmittunt.*

BIU Cujas

HEreditas alicui non ex asse sed ex parte relicta, item legata & fideicommissa, herede, vel legatario, vel fideicommissario ante apertas tabulas moriente, cadebat in fiscum. Sed constitutio huius tituli excipit relicta liberis testatoris, quæ hi indistinctè ad liberos suos transmittunt. Iustinianus in l. vn. §. in nouissimo. ſ. tit. prox. idem statuit in extraneis, hoc excepto, quòd hereditas non adita seu non acquisita non transmittitur. Erant igitur olim quatuor regulæ. I. Heres ex asse institutus, potest adire hereditatem etiam ante apertas tabulas. II. Heres ex parte institutus non potest clausis tabulis hereditatem adire. III. Heres nondum aditam seu acquisitam hereditatem non transmittit ad heredes. IV. Legatario vel fideicommissario clausis tabulis moriente, legatum vel fideicommissum fit caducum. Prima regula vsu retenta est. A ceteris regulis hæc Theodosij constitutio excipit relicta liberis testatoris. Iustinianus secundam regulam in totum abrogauit: tertiâ retinuit cum exceptione Theodosij: quartam abrogauit.

LIII. *Quando dies legati vel fideicommissi cedit.*

DEcimò tertiò legatis & fideicommissis communis est diei cessio, de qua dixi D. h. t.

LIIII. *Vt in possessionem legatorum vel fideicommissorum causâ mittatur, & quando satisdari debeat.*

DEcimò quartò de legatis vel fideicommissis præstandis heres certis casibus satisdare debet, vt exposui. D. lib. 36. tit. 3. & nisi satisdet, in possessionem rerum hereditariarum legatarius seu fideicommissarius mittitur, vt docui. d. lib. 36. tit. 4. De testamentis & vltimis voluntatibus hactenus.

LV. *De suis & legitimus liberis, & ex filia nepotibus ab intestato venientibus.*

1 POst successionem testamentariam, recto ordine agitur de successione legitima: cuius duo sunt ordines. In primo ordine vocantur sui & legitimi heredes. Instit. de hered. quæ ab intest. §. 1. nec non qui pro suis habentur, vt nepotes ex filia, & ceteri descendentes ex feminis. l. si defunctus. 9. & Instit. de hered. quæ
2 ab intest. defer. §. item vetustas. ¶ Suos & legitimos coniunctim accipimus in hac rubrica, non disiunctim vt D. eo. tit. Nam ibi sub titulo de suis & legitimis heredibus, exponũtur duo gradus heredum ab intestato: hîc verò primus tãtùm. Legitimus heres & suus heres differunt, vt genus & species. Etenim legitimus heres attribuitur suo heredi. D. de Carbon. edi. l. 6. §. huic autem. & de success. ed. l. 1. §. sed videndum. & patrono. D. si tab. testam. nul. extab. l. 2. & parenti. Instit. de leg. adgn. success. §. vlt. & adgnato. Instit. eo. in rub. & in pr.
3 ¶ Nota primò, suos heredes, & quasi suos succedere in stirpes. Inst. de hered. quæ ab intest. def. §. cum filius.
4 ¶ Nota secundò, descendentibus ex feminis, si concurrant cum suis heredibus, tertiam partem hoc iure adimi, & ipsis suis heredibus attribui. d. l. si defunctus. Sed nouissimo iure constitutum est, vt sublata tertiæ partis detractione æquè descendentes ex feminis succedant ac descendentes ex masculis. No. 18. cap. 4.

LVI. *Ad senatusconsultum Tertullianum.*

IN secundo ordine vocantur, qui sunt tantùm legitimi, non etiam sui. Horum alij sunt legitimi ex senatusconsulto: vt mater ex senatusconsulto Tertulliano est legitima heres filij.

LVII. *Ad senatusconsultum Orficianum.*

ET filij ex senatusconsulto Orficiano sunt legitimi heredes matris. Hæc duo senatusconsulta seorsum tractantur in C. vt & in Instit. sed in D. coniunguntur lib. 38. tit. 17.

LVIII. *De legitimis heredibus.*

ALij sunt legitimi ex lege xij. tabularum, vt adgnati proximiores. Instit. de legit. adgn. succeſſ. in pr. Ex hac parte succeditur in capita. Instit. eod. §. hoc etiam. in fi.

LIX. *Communia de successionibus.*

IVris ciuilis conditori familiare est specialibus tractatibus seu titulis subiicere quædam communia, vt ostendunt varij tituli, veluti, *Communia prædiorum, Communia vtriusque iudicij, Communia de legatis, Communia de manumissionibus, Communia de vsucapionibus.* quod & veteres legumlatores factitasse videntur. D. ad leg. Aquil. l. si seruus seruum. 27. §. & non negat. Postquàm igitur separatim egit de successionibus prætoriis, & de successionibus ciuilibus, tam ex testamento, quàm ab intestato: more suo subiicit hunc titulum *Communia de successionibus.* Sunt autem communia hæc: Primum est, non posse eidem succedi ex testamento & ab intestato. D. de diuers. reg. iur. l. 7. nisi sit miles. Insti. de hered. instit. §. hereditas. vers. nisi. Secundum est, quamdiu spes est successionis testamentariæ, tamdiu cessare successionem ab intestato. l. ante quàm. 8. & D. de diu. reg. iur. l. quamdiu. 8. Tertium est, in successione ab intestato maiorem rationem haberi ordinis heredum, quàm gradus. vt putà nepos, qui est in tertio gradu, præfertur fratri, qui est in secundo gradu: quia nepos vocatur in primo ordine, frater in secundo. Instit. de gradib. §. repetitis. Quartum est, ab intestato successionem non deferri affini. l. 3. & 7. educatori. l. nutritoribus. 10. hospiti. auth. omnes. Quintum est, seruum successores habere non posse. l. 4.

LIX. *De bonis maternis, & materni generis.*

SExtum est, filiumfamilias in peculio castrensi vel quasi castrensi posse, quasi patremfamilias, habere heredem ex testamento, non ab intestato, quia pater id occupat iure peculij. D. de castr. pecul. l. 1. & 2. In peculio profectitio heredem nullo modo habere posse, cùm patris sit pleno iure. Immo nec in peculio aduentitio, cuius eadem omnino fuit olim ratio, quæ peculij profectitij. Instit. per quas person. nob. acquir. §. 1. Et sanè hodie quoque est eadem ratio, quod ad hoc, vt morte filij occupetur à patre iure potestatis & peculij. Sed in eo est differentia, quòd profectitium (vt dixi) pleno iure est patris: in aduentitio pater habet nudum vsumfructũ, proprietas filiis reseruatur: quod primò fuit constitutum de bonis maternis, id est, quæ mater filiis reliquit. l. 1. Secundò in bonis materni generis, id est, quæ ab auo, vel ab auia, vel ab aliis adscendentibus per lineam maternam profecta sunt. l. 2.

LX. *De bonis quæ liberis in potestate patris constitutis ex matrimonio vel aliàs acquiruntur, & eorum administratione.*

TErtiò in lucris nuptialibus, vt in dote, quam ma- 1
ritus soluto matrimonio lucratur, & in donatione propter nuptias, quam similiter lucratur mulier. l. 1. 3. 4. ¶ Quartò in lucris spõsalitiis, vt in muneribus 2
sponsalitiis. l. 5. ¶ Quintò in omnibus aduentitiis ge- 3
nerali

neraliter. l. 6. & Instit. per quas pers. nob. acquir. §. 1.
4 ¶ Eorúmque administratio ad patrem pertinet. d. l. 6.
5 §. non autem. & l. vlt. ¶ Quibusdam tamẽ casibus ne vsusfructus quidem acquiritur patri, sed plenũ ius ipse filiusfamilias habet. I. Si quid filiofamiliâs donatum sit à principe, vel Augustâ. l. 7. II. Si filiusfamiliâs ab extraneo heres institutus nolente patre adeat hereditatem. d. l. vlt. III. Si quid ei ita relictum sit, vt patri nihil acquiri testator velit. Nou. 117. c. 1. Non tamen propterea filiusfamiliâs de iis testari potest: sed eo mortuo, pater omnia occupat iure peculij. s. de inoff. testam. l. pen. Lege, quæ scripsi in Analysi Instit. ad pr. tit. quib. non est permiss. fac. testam.

LXI. *De hereditatibus decurionum, nauicu-lariorum, cohortalium, militum, & fabricensium.*

SEptimum est, deficientibus omnibus heredum ordinibus, id est, si neque ex testamento sit successor aliquis, neque ab intestato, quia neque suus heres sit, neque legitimus, neque cognatus, neque coniux. D. quis ordo in poss. seru. l. 1. in pr. bona, tamquàm vacantia, fisco deferri. j. de bon. vacant. l. 1. pen. & vlt. Sed excipiuntur hoc titulo quædam personæ: quæ quòd in aliquo corpore siue vniuersitate sunt. placuit, fisco illud corpus præferri. Cessantibus enim testamentariis & legitimis successoribus, decurioni succedit curia. l. pen. nauicu lario corpus nauiculariorum. l. 1. cohortali (id est, præsidis apparitori) cohortales. l. 3. militi legio, aut vexillatio, seu cuneus in quo militabat. l. 2. fabricensi fabricenses. hi sunt, qui in publicis fabricis armorum faciendorum munere funguntur.

LIBER VII.

TITVLVS I.

De vindicta, & apud consilium manumissione.

POSTQVAM libro quarto egit de contractibus realibus, & lib. quinto de contractibus personalibus, & libro sexto de successionibus: cõsequenter hoc septimo libro, secundum ea quæ initio libri quarti proposui, tractat de præiudicio libertatis, seu liberali causa, de dominio, & de possessione. Quatuor itaque partes huius libri constitui commodè possunt: Prima de liberali causa: secunda de dominio: tertia de possessione propriè dicta, secundum quam possidere dicimur: quarta de possessione impropriè dicta, id est, secundum quam non dicimur possidere, sed esse in possessione. In prima parte duo sunt tractatus: Prior de manumissione, per quam homines liberi fiunt: posterior de præiudicio. Prioris tractatus membra quatuor sunt. Primum membrum est de modis manumittendi. Manumittitur autem vel inter viuos, vt vindictâ. D. de manum. vind. aut in consilio principis. l. vlt. & s. de libert. & eor. lib. l. 2.

II. *De testamentaria manumissione.*

VEl in vltima voluntate. In qua libertas datur vel iure directo, vel per fideicommissum. Iure directo datur in testamento, ita vt manumissus fiat libertus orcinus, id est, libertus defuncti, non heredis. Instit. de sing. reb. per fidei. rel. §. pen.

III. *De lege Fusia Caninia tollenda.*

INter directam & fideicommissariam manumissionem interiicitur hic titulus de lege Fusia, quæ constituebat seruos intra certum numerum in testamento manumitti nõ posse, nec iure directo, nec per fideicõmissum. Eum numerũ declarant Vlpian. tit. de libert. §. pen. & Caius lib. 1. Instit. tit. 2. Iustinianus autem hanc legem, tãquam inuidam, & libertatibus inimicã, abrogauit, constitutione huius tituli, quam citat. Insti. eod.

IV. *De fideicommissarijs libertatibus.*

CVm per fideicommissum libertas datur: tunc non testatoris, sed manumittentis libertus fit. Instit. de sing. reb. per fideicomm. relict. §. penult. vers. qui autem. Hactenus primum membrum tractatus de manumissionibus, quod est de modis manumittendi.

V. *De dedititia libertate tollenda.*

SEcundum membrum est de effectu manumissionis. Effectus est libertas seu libertinitas: quæ olim triplex erat, dedititia, Latina, & Romana. Vlp. tit. de libertis. Caius lib. 1. Inst. tit. 1. Theoph. in §. vlt. Insti. de liberti. Iustiniano placuit vnum esse libertatis genus: itaque omnes libertos in ciuitatem Romanam retulit. d. §. vlt., hoc igitur titulo libertatem dedititiam tollit.

VI. *De Latina libertate tollenda, & per certos modos in ciuitatem Romanam transfusa.*

LAtinam libertatem hoc titulo tollens constituit, vt quibus modis olim manumissi fiebant Latini, id est, si inter amicos vel per epistolam manumitterentur, his modis hodie fiant ciues Romani. Nouissimè autem constituit, vt omnes manumissi non solùm sint ciues Romani, sed etiam ingenui, saluo tamen iure patronatus. No. const. 78. Absolutum est secundum membrum.

VII. *De communi seruo manumisso.*

TErtium membrum est de personis manumittentibus vel manumissis: nam hæ personæ simul cõsiderantur, quia inter se referuntur. vt putà idem est quærere an non dominus possit manumittere, & an seruus alienus manumitti possit. 1 ¶ Nota primò, si 2 vnus ex duobus dominis, seruum communem manumittat, iure veteri eum partem suam amittere, eámque socio accrescere, videlicèt si vindictâ, vel censu, vel testamento manumittat: nam aliter manumittendo nihil agit. Vlp. tit. de libert. §. communem. sed ex Iustiniani constitutione seruus quocumque modo ab vno ex dominis manumissus, liber fit; sociis autem manumissor pro illorum partibus iustum pretium ipsius Iustiniani constitutione definitum præstare tenetur: quia siue vnus, siue plures socij sint, partem suam manumittenti vendere cogũtur. l. 1. & Inst. de donat. §. vlt.

VIII. *De seruo pignori dato manumisso.*

NOta secundò, dominum, qui seruum suum specialiter pignerauit, non posse eum inuito creditore manumittere. l. 1. siue sit soluendo. D. de manum. l. 3. siue non sit soluendo. s. de necess. seru. hered. instit. l. 1. Qui verò generali rerum suarum hypotheca seruum quoque est complexus, eum nihilominus manumittere potest. D. in quib. caus. pign. tac. contrah. l. est differentia. 9. & qui à quib. manu. l. generaliter. 29. in princ.

IX. *De seruis reipub. manumittendis.*

NOta tertiò, etiam seruos reipublicæ manumitti, & ciues Romanos fieri posse. l. 3.

BIU Cujas

X. *De his qui à non domino manumissi sunt.*

NOta quartò, eum, qui non est serui dominus, non posse eum directò manumittere, nisi domino consentiente. D. qui & à quib. manum. l. si seruo. 20. vel ratum habente. l. 1. per fideicommissum autem posse. ſ. de fideicommiss. libert. l. 6.

XI. *Qui manumittere non possunt, & ne in fraudem creditorum manumittatur.*

NOta quintò, interdū dominum non posse seruum suum ad libertatem producere, veluti si in fraudem creditorum contra legem Æliam Sentiam manumittere velit. D. h. t. & Instit. qui & ex quib. caus. manum. non poss.

XII. *Qui non possunt ad libertatem peruenire.*

NOta sextò, quosdam frustra manumitti, quia non possunt ad libertatem peruenire, sed post manumissionem serui manent, vt damnati in perpetua vincula. l. 1. & quos dominus in testamento prohibuit manumitti. l. 2.

XIII. *Pro quibus causis pro præmio libertatem accipiunt.*

QVod superiori titulo diximus, quosdam non posse manumitti & liberos fieri, patitur exceptionem, nisi ob aliquod factum libertatem pro præmio accipere debeant, veluti si raptorem virginis detexerit. l. pen. aut desertorem militiæ l. vlt.

XIV. *De ingenuis manumissis.*

NOta septimò, ingenuum manumissum non effici libertinum, sed manere ingenuum, quia manumissio natalibus non officit. Instit. de ingenuis. §. vlt. Absoluimus tertium membrum.

XV. *Communia de manumissionibus.*

QVartum & vltimum membrum est de his, quæ omnibus manumissionibus communia sunt. Solet enim Iustinianus specialibus præceptis communia subiicere, vt notaui ad tit. ſ. commun. de manumiss. Noua igitur quædam omnibus manumissionibus communia hoc titulo constituuntur. I. Si tam proprietarius quàm fructuarius seruo libertatem dederint, liber pleno iure fit. Proprietario solo manumittente, fit quidem liber, & manumittentis libertus, sed quamdiu vsusfructus durat, apud fructuarium manet quasi seruus. Fructuario solo libertatem tribuente, manet seruus proprietarij: sed nisi fructuarius ei cesserit vsumfructum, seruus ei seruire, quamdiu fructuarius viuet, non cogetur. l. 1. in princ. II. Parentes per quoscumq; liberos manumittere seruos suos possunt. d. l. 1. §. 1. III. Minor 30. annis quocumque modo manumissus, fit ciuis Romanus. l. 2. licèt olim non posset. Vlp. tit. de libertis. §. eâdem. Theoph. in §. vlt. Instit. de libert. IV. Si quis sine vxore constitutus ancillam in concubinatu habuit, nisi de ea tamquam serua disposuerit, moriens censetur ei tacitè libertatem relinquere; nec non liberis, si quos ex ea procreauit. l. vltim. Hucusque de manumissione.

XVI. *De liberali causa.*

COnsequenter dicendum de iudicio liberali, de quo dixi D. h. t. quædam tamen specialiter notabimus titulis sequentibus.

XVII. *De assertione tollenda.*

DE liberali iudicio multa specialiter notanda occurrunt. Nota primò, cùm quis seruus dicitur, quia seruus nec per se nec per procuratorem in iudicio stare potest, opus fuisse assertore, qui suo periculo causam ageret & satisdaret iudicio sisti, & res saluas fore, quas is tenet qui seruus esse dicitur. Cod. Theod. de lib. cau. l. 1. & 2. Sed Iustinianus hoc titulo assertionem tollit, ei qui ex libertate in seruitutem vindicatur, permittens per se vel per procuratorem litigare: ei verò, qui ex seruitute in libertatem asseritur, per se causam agere.

XVIII. *Quibus ad libertatem proclamare non licet, & de rebus eorum, qui ad libertatem proclamare non prohibentur.*

NOta secundò, non omnes posse proclamare in libertatem vt notaui D. h. t. ¶ Nota tertiò, peculium seu bona eius, qui de statu suo litigat, sequestrò deponi, si ex seruitute proclamet in libertatem. l. vlt. & ſ. tit. prox. l. 1. §. 1. & ĵ. tit. prox. l. vlt. 1 2

XIX. *De ordine cognitionum.*

NOta quartò, iudiciū liberale vocari præiudicium: quia si cum alio quocumque siue ciuili siue criminali concurrat, ante illud agitatur, eique præiudicium facit. l. 1. & ĵ. de euict. l. si status. 18. & ad leg. Iul. de adult. l. quoniam. 26. Lege notata in Anal. ad §. præiudiciales. Instit. de action.

XX. *De collusione detegenda.*

NOta quintò, eum, qui per collusionem liber iudicatus est, seruum fieri detegentis collusionem, vt notaui D. h. t.

XXI. *Ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur.*

NOta sextò, quæstioni de statu defuncti præscribi quinquennio. Lege notata. D. h. t.

XXII. *De longi temporis præscriptione, quæ pro libertate, & non aduersus libertatem opponitur.*

DE statu autem viuentis præscribi longo tempore, id est, decem aut viginti annis, videlicèt si quis in seruitutem vindicetur. Nam in libertatem proclamare quandocumque potest. l. vlt.

XXIII. *De peculio eius qui libertatem meruit.*

NOta septimò, inter viuos manumisso peculium, nisi adimatur, tacitè concessum videri. secus, si manumittatur in vltima voluntate. l. vn. & Instit. de legat. §. peculium. cum sim.

XXIV. *De senatusconsulto Claudiano tollēdo.*

NOta octauò, sublatum esse à Iustiniano senatusconsultum Claudianum, quo cauebatur, vt mulier se alieno seruo iungens post trinam domini denunciationem, eius dominio vnà cum suis bonis subiiceretur. l. vn. & Instit. eod. tit. Absoluta est prima huius libri pars, quæ est de manumissionibus, & liberali causa.

XXV. *De nudo iure Quiritium tollendo.*

SEquitur secunda pars, quæ est de dominio: cuius definitionē & diuisiones proposui. D. de acqui. rer. dom. Erat olim & alia diuisio; quoniā alij erāt domini Quiritium, qui habebant dominium legitimum: alij bonorum domini, qui naturale dominium habebant. (hos Theoph. in §. vlt. Instit. de libertinis *bonitarios* appellat) alij pleno iure domini, qui tam legitimum quàm naturale dominium habebant. Exempli causâ seruum sibi mancipatum pleno iure Titius habebat: hunc Sempronio si venderet & traderet sine mancipatione, nudum

BIU Cujas

nudum ius Quiritium retinebat; quod ideo dicebatur nudum, quia omni effectu carebat. Sempronius autem dicebatur seruum in bonis habere, & omnibus dominij effectibus fruebatur. Sed Iustinianus nudum ius Quiritium sustulit, consequenter ius ei oppositum, id est, eorum qui in bonis habere dicebantur, sustulit; adeo vt, quantum ad hoc, quicumque sunt domini, pleno iure domini sint.

XXVI. *De vsucapione pro emptore, vel pro transactione.*

1 TRia ferè de dominio nosse oportet, definitionem, diuisionem, acquisitionem: ac superior quidem titulus ad diuisionē dominij spectat: deinceps dicēdum 2 est de eo acquirendo. ¶ Inter modos dominij acquirendi est vsucapio, de qua dixi ad tit. D. de vsurpat. & 3 vsucap. ¶ Sunt autem varia vsucapionum genera, prout variæ sunt causæ seu tituli quibus vsucapitur. Primus titulus est emptio, de quo dixi D. ad tit. pro emptore. Secundus est transactio. l. pen. & D. de vsurpat. & vsucap. l. cùm solus. 29.

XXVII. *De vsucapione pro donato.*

TErtius titulus est donatio, de quo dixi D. h. t.

XXVIII. *De vsucapione pro dote.*

QVartus titulus est dos, de quo dixi. D. h. t.

XXIX. *De vsucapione pro herede.*

QVintus titulus est hereditas, de quo dixi D. h. t.

XXX. *Communia de vsucapionibus.*

MOre suo (quem notaui ſ. ad tit. comm. de succeſſ. ſpecialibus titulis generalem subiicit, in quo communia omnibus vsucapionibus proponuntur. Quatuor autem in omnibus vsucapionibus requiruntur. I. Vt res possit vsucapi. II. Continuata possessio per tempus lege definitum. III. Bona fides. IV. Iustus titulus, vt exposui ad tit. D. de vsurpat. & vsucap. num. 4. & 5.

XXXI. *De vsucapione transformanda, & sublata differentia rerum mancipi & nec mancipi.*

1 EX quatuor illis, quæ in vsucapione perficienda requiri diximus, duo posteriora ita nunc obtinent, vt & olim obtinuerunt: duo priora sunt à Iustiniano transformata, iure antiquo correcto & emendato per constitutionem huius tituli. Nam primò, quod ad rem vsucapiendam attinet, prædia prouincialia olim non poterant vsucapi, sed ex Iustiniani constitutione possunt. Secundò, quod ad tempus possidendi spectat, olim res mobiles vsucapiebantur anno, immobiles triennio: hodie res mobiles triennio, immobiles inter præsentes decennio, inter absentes annis viginti vsu-
2 capiuntur. Instit. de vsucap. in pr. ¶ Exposui primam partem rubricæ, iam exponam secundam. Res mancipi dicebantur, qua mancipari poterant, nec mancipi, quæ mancipari non poterant. Mancipatio erat alienatio, quæ certis verbis fiebat, libripende & quinque testibus præsentibus. Res mancipi erant prædia in solo Italico, tam rustica, quàm vrbana: seruitutes prædiorum rusticorum: serui: quadrupedes, quę dorso collóve domantur, vt boues, muli, equi, asini. ceteræ res nec mancipi erant. Elephantiquoque & Cameli, quamuis collo dorsóve domentur, tamen nec mancipi sunt, quia bestiarum numero sunt. Vlp. tit. de domin. & acquis. rer. Quoniam igitur prædia Italica, quæ mancipi erant, vsucapi poterant; prouincialia verò, quæ nec mancipi erant, vsucapi non poterant: apparet, in rerum immobilium vsucapione differentiam fuisse inter res mancipi & nec mancipi tametsi in rebus mobilibus nullam fuisse differentiam constet ex Vlpiano d. tit. §. vsucapione. Cùm autem Iustinianus constituerit prædia prouincialia posse vsucapi, iam, quod ad vsucapiones attinet, nulla est omnino inter res mancipi & res nec mancipi differentia. Verùm eò ampliùs Imperator hāc rerum distinctionem in totum sustulit, cùm enim mancipationes non sint in vsu, absurdè diceretur, alias esse res mancipi, alias nec mancipi. Dictum est de dominio: consequenter dicendum de possessione.

XXXII. *De acquirenda & retinenda possessione.*

ALia est possessio propriè dicta, secundum quam possidere dicimur: alia impropriè, secundum quam non dicimur possidere, sed esse in possessione, vt notaui D. h. t. num. 1. Eodem igitur ordine vtens in Codicis compositione, quo in Pandectis est vsus, primo loco agit de possessione propriè dicta, de qua tria pertractat. Vnum est de possessione acquirenda. Alterum de possessione retinenda. vel amittenda. (Hæc duo, retinere & amittere, sunt inter se contraria. quocirca qui alterum expressè proponit explicādum, alterū quoque tacitè proponit. Eadē igitur est vis huius rubricæ, *De acquirenda & retinenda possessione*, & rubricæ Digestorū. *De acquirēda vel amittenda possessione.*

XXXIII. *De præscriptione longi temporis [decem vel viginti annorum.]*

TErtium est de effectu possessionis. Sunt autem 1 possessionis duo effectus præcipui: videlicèt vsucapio, de quo iam dictum est: & præscriptio, de qua deinceps dicemus. ¶ Præscriptio hoc loco est exce- 2 ptio ex certi temporis possessione competens: quæ quidem, tamquam genus plures species sub se complectitur. ¶ Prima est præscriptio longi temporis. Nota 3 primò, longum tempus dici decennium inter præsentes, viginti annos inter absentes. l. pen. & vlt. & ĩ. quib. non obiic. longi temp. præscrip. l. pen. ¶ Nota secun- 4 dò, aliam esse præscriptionem longi temporis cum titulo, quæ est species vsucapionis, id est, vsucapio rerum immobilium. D. de vsurpat. & vsucap. l. ei à quo. 21. aliam præscriptionem sine titulo. D. si seruit. vindic. l. si quis diuturno. 10. in princ. quæ est exceptionis species, de qua hîc agitur. Sunt, qui putant nullam esse præscriptionem sine titulo, propter l. 4 h. t. malè intellectam. Nam ea lex non negat possessionem ei prodesse, qui sine titulo possidet, sed negat alienam possessionem alteri prodesse, qui sine titulo in solam possessionem successit, etenim tempus, quo tu possedisti, mihi prodest, si à te tem emam, vel tibi heres existam: sed, si possessionem à te relictam occupem, mihi non prodest. ¶ Nota tertiò, in hac præscriptione non mi- 5 nùs quàm in vsucapione requiri possessionem continuatam, & bonam fidem ab initio. l. 1. 2. 6. & pen. Iure autem canonico omnis præscriptio bonam fidem toto tempore nequirit. extrà de præscrip. c. 5. & c. vlt.

XXXIV. *In quibus causis cessat longi temporis præscriptio.*

NOta quartò, præscriptionem longi temporis in- 1 terdum cessare: idque contingere vel ratione causæ, de qua est quæstio, vel ratione personæ. ¶ Cau- 2 sæ sunt in duplici differentia. Nam longi temporis

BIU Cujas

præscriptio contra aliquem cessat; vel quia breuiori tempore ab agendo excluditur; (veluti si rem mobilem vindicare velit ab eo qui bona fide possidet cum iusto titulo: quia cùm triennium excludat volentem agere, superflua est præscriptio decem aut viginti annorum.l.2.) vel quia etiam post longum tempus actor admittitur vt in sequentibus casibus. I. Si quis in personam agat, vt ex mutuo, commodato, deposito. ff. tit.prox.l.5. II. Si actionem mixtam mouere velit, vt petitionem hereditatis.l.4. & ff. de petit. hered.l.7.vel actionem communi diuidundo, vel familiæ erciscundæ.l.3. III. Si rem à non possidente vindicet. l.vltim. IV. Si dominus rem vindicet à conductore. l. 1. V. Si socius partẽ suam petat à socio totum possidente.d.l.3.

XXXV. *Quibus non obiicitur longi temporis præscriptio.*

1 QVod ad personas attinet, præscriptio cum effectu non obtinet, vel ratione personæ præscribere volentis (nam qui conueniri non potest, vt quia in expeditione occupatus est, non præscribit.l.1.) vel ratione personæ cõtra quam aliquis vult præscribere. Nam ei qui in integrum restitui potest præscriptio non nocet.l.6. & 7. vt minori. l.3. militi in expeditione occupato.l.vlt.& omnino absenti reipub.causa.l.2. & 4. ca-
2 ptiuo. l.6. ¶ Nota de præscriptione subduci tantùm tempus minoris ætatis, vel expeditionis, vel captiuitatis, vel absentiæ, residuum verò ad præscribendum computari.l.6.& ll.seqq.

XXXVI. *Si aduersus creditorem præscriptio opponatur.*

IN creditore autem agente hypothecariâ, specialis adhibetur distinctio. Aut enim agit contra extraneum bonæ fidei possessorem, aut contra extraneum malæ fidei possessorem, aut contra debitorem, siue heredem debitoris, aut contra posteriorem creditorem. Primo casu longi temporis præscriptione summouetur.l.1.& 2.& ff. de oblig. & act.l.7. & l.vlt. & ff. de euiction. l. si obligata. 19. reliquis casibus est locus præscriptioni longissimi temporis, id est, 30. vel 40. annorum, vt docebo tit.39.num.4.

XXXVII. *De quadriennij præscriptione.*

SEcunda est præscriptio quadriennij, quæ datur I. Contra fiscum bona quasi vacantia petentem. l. 1.& D.si quis omis.causa rest.l.6.§.certè. currit autem quadriennium à die, quo bona vacare cœperunt. D.de diuers.temp.præscript.l.intra.10.§.1.& de iu. fisc.l.1.§. Diuus. II. Fisco, qui rem alienam vendidit, si rei vindicatione à domino, vel actione hypothecaria à creditore pigneratitio conueniatur. nam is qui à fisco emit. statim securus est.l.2. III. Domui principis vel Augustæ in casu simili. Nam quod Zeno in d.l 2 statuit de venditione fiscali, idem statuit Iustinianus de venditione facta quasi ex priuatis rebus principis, vel Augustæ.l.3.& Instit.de vsucap.§.vlt.

XXXVIII. *Ne rei dominicæ vel templorum vindicatio temporis præscriptione summoueatur.*

COntra domum autem principis, neque annalis, neque alia temporalis præscriptio datur ad summouendam vindicationem rei dominicæ, id est, ad priuatum principis patrimonium pertinentis. Quod de templis additur in rubrica, non tractatur in vlla lege huius tituli. A veteribus interpretibus ita accipitur, quasi dicatur vindicari res dominica, & res templorum, & rei vindicatio quocumque tempore detur ecclesiæ, vt domui principis. Sed rectiùs Cuiacius intelligit vindicationem templorum, quæ ad paganos pertinuerant, & iuris publici vel rei priuatæ esse cœperunt. Cod. Theod. de iu. fis. l. 8. & de loc. fun. in emph. l. 5. quomodo templa accipiuntur etiam ff. tit. de pagan. & sacrif. & templ. & ff. de omni agro deser. l. 6. & de fund. patrim. l. vlt. & de diuers. præd. vrb. & rustic. templor. in rubr. & C. Theod. de fi. cathol. l. 1.

XXXIX. *De præscriptione triginta vel quadraginta annorum.*

TErtia est præscriptio longissimi temporis, id est, 1
triginta vel quadraginta annorũ. ¶ Nota primò, 2
omnes actiones, quę breuiori tempore non terminantur, finiri triginta annis l.3. id est, actiones, quæ olim erant perpetuæ & immortales. Insti. de perpet. & tempor. act. in pr. ¶ Excipiuntur, quæ omnino perpetuæ 3
manserunt, & quæ quadraginta annis finiuntur. Perpetuæ manserunt I. Quæstio de cõditione curiali. l. 5. II. Quæstio de conditione adscriptitia. ff. de agric. cens. & colo. l. pen. III. Exactio publicarum functionum & tributorũ. l. 6. ¶ Quadraginta annis finiuntur. I. Quæ 4
contestatæ sunt. ff. tit. prox. l. 1. §. 1. II. Actio hypothecaria. d. §. 1. subdistinctione tamen. Aut enim creditor agit hypothecariâ contra extraneum possessorem, aut contra debitorem eiúsve heredem, aut cõtra posteriorem creditorẽ. Primo casu actio hypothecaria finitur triginta annis. l. 3. & l. 7. in pr. nisi propter bonã fidem possessoris summoueatur præscriptione longi tẽporis, vt exposui ff. tit. 36. Secundo casu finitur quadraginta annis. d. l. 7. §. 1. Tertio casu, viuo debitore præscribitur quadraginta annis, post mortem debitoris triginta annis. & si possessio iungatur tẽporis quo debitor vixit, & temporis post eius mortem currentis, præscribitur quadraginta annis. d. l. 7. §. sed cùm illud. Eadem distinctione vtimur, si posterior creditor priori pecuniam offerre velit, vt ab eo pignus accipiat. nam quãto tempore posterior creditor præscribit cõtra priorem vindicantem pignus, tanto tempore prior præscribit contra posteriorem qui debito oblato pignus vindicare vult. d. l. 7. §. eodem. Alia ratio est, si debitor debitum creditori offerat vt pignus luat: nulla enim temporis præscriptione summoueri potest. Cur hac tam variè? Quia secundus creditor habet ius offerẽdi primo creditori & hoc ius actioni accedit, quæ ipsi secũdo creditori competit: in debitore autem nõ est ius, sed mera facultas offerẽdi, quæ est facti iis verò quæ sunt facti, non præscribitur. D. de via publ. & itin. publ. refic. l. 2. sed tantùm iis quæ sunt iuris, vt actionibus. l. 3. in pr. vide Gail. lib. 2. obseru. 18. ¶ Nota secundò, hanc præ- 5
scriptionem contra omnes currere, etiam absentes, & minores 25. annis, sine spe restitutionis in integrum, exceptis solis pupillis contra quos non currit. l. 3. l. 7. in pr. & §. 1. quamuis præscriptio longi temporis contra minores non currat. ff. in quib. caus. in integ. restitut. non est necess. l. vlt. & contra eam alij restituantur. ff. quib. non obiic. longi temp. præscript. l. 6. & 7. ¶ Nota 6
tertiò, hanc præscriptionem non currere contra possidentem. l. 7. §. immo. ¶ Nota quartò, hãc præscriptio- 7
nem iis denegari, qui ita rem tenent, vt pro ea certam mercedem præstent, vt colonis. l. 2. & emphyteutis. l. 7. §. vlt. ¶ Nota quintò, præscriptionem contra quam- 8
libet actionem ex ea die currere, qua cœpit agi posse. l. 3. l. 7. §. 1. & §. illud. & ff. tit. prox. l. 1. §. 1. Idcirco si pen-

siones

siones vel reditus annui vel menstrui debeantur, singulis seorsum præscribitur ex quo peti possunt. vt cõtra petitionem pensionis quæ superiori anno soluenda erat, præscriptio hoc anno currere incipiet: & eius quæ hoc anno solui debet, sequenti anno currere incipiet: & ita de ceteris iudicandum. l. 7. §. pen. ¶ Nota sextò, debitorẽ soluentem vsuras, non præscribere, nisi ex quo vsuras soluere desierit. l. pen. §. vlt. ¶ Nota decimò, præscriptionis cursum desinere, si præscriptio interrumpatur. quibus autẽ modis interrumpatur, docebo cõmodiùs tit. seq. ¶ Nota vndecimò, licet præscriptio longi temporis bonam fidem requirat. s̃. de præscript. lon. temp. l. 1. 2. 6. & pen. & iure Canonico in omni præscriptione bona fides omni tempore sit necessaria, vt eo. tit. notaui num. 5. tamen hãc longissimi temporis præscriptionẽ iure ciuili non requirere bonam fidem, nequidem ab initio. in effectu tamen differẽtia est inter bonæ & malæ fidei possessorẽ. is enim, qui possessionem rei à se præscriptæ amisit, si bonam fidem habuit, eam rem omnimodo à quocumque possessore vindicare potest. si malam fidem, non potest rem vindicare. l. pen. §. 1. nisi aduersus violentum possessorem. d. l. pe. §. sed hæc. Sed etsi absente eo qui præscripsit, ideóque ad litem vocato non respondente, aduersarius per sententiam iudicis rem obtinuerit: ille intra annum se exhibens, & de lite suscipienda cauẽs, rem recipiet. d. l. pen. §. pen. nisi post litem contestatam lite deserta abesse cœperit. s̃. de iudic. l. properandum. 13. §. sin autẽ reus. ¶ Huius igitur præscriptionis longissimi temporis duo sunt effectus. I. Exceptio, quæ ei qui præscribit, possidẽti datur indistinctè. II. Actio seu vindicatio. in qua distinctionem expositam adhibemus. d. l. pen. §. 1.

XL. *De annali præscriptione Italici contractus tollenda, & de diuersis temporibus, & exceptionibus & præscriptionibus, & interruptionibus.*

QVarta est annalis præscriptio, quæ olim in contractibus Italicis locum habebat: nam quibus actionibus in prouinciis præscribebatur triginta annis continuis, in Italia præscribebatur anno vtili. Sed hanc annalem præscriptionem Iustinianus abrogauit. l. 1. constituens, vt æquè ex Italicis atque ex prouincialibus cõtractibus actiones durent 30. annos. ¶ Expositis specialiter variis præscriptionibus subiiciuntur, methodo Iustiniano familiari, quædam omnibus præscriptionibus cõmunia. ¶ Notandum igitur primò, præscriptiones sumi ex diuersis temporibus. Vnde in secunda parte huius rubricæ proponitur dicendum de diuersis temporibus, de quibus actum est in Digestis, lib. 2. tit. 12. ¶ Notandum secundò, præscriptionem sub se complecti multas species suprà expositas, & esse speciem exceptionis. vnde tertia pars huius rubricæ est de exceptionibus & præscriptionibus. Lege notata ad tit. D. de exceptionibus. ¶ Nota tertiò, præscriptioni contrariam esse interruptionem, de qua est quarta rubricæ pars. omnis enim præscriptio continuatam non interruptam possessionem requirit. Lege, quæ scripsi ad tit. D. de diuers. tempor. præscript. num. 2.

XLI. *De alluuionibus, & paludibus, & pascuis ad alium statum translatis.*

NOta quartò, ad eum, qui fundum præscripsit, pertinere etiam quod per alluuionẽ fundo quandocumque accessit: quia quod per alluuionem fundo accedit, fundum sequitur, & fundi possessori acquiritur. D. de Public. in rem act. l. si ego. 11. §. quod tamen. & neque ad fiscum, neque ad alium pertinet vllo modo, neque separatim censetur l. 3. vbi idem constituitur de paludibus, & pascuis, quæ sumptibus possessorum ad frugum fertilitatẽ sunt translata.

XLII. *De sententijs præfectorum prætorio.*

POstquàm dictum est de his qui possident: nunc dicendum de his qui sunt in possessione: nam aliud est possidere, aliud in possessione esse. D. de acquir. poss. l. 3. §. vltim. l. si quis ante. 10. §. 1. Ergo in sequenti huius libri parte declarantur causæ & effectus missionis in possessionem. ¶ Causæ præcipuæ sunt duæ, sententia & cessio bonorum. ¶ Quod ad sententiam attinet, proprium est sententiæ præfecti prætorio, vt ab ea non appellari, sed tantùm supplicari principi possit. l. vn. & D. de offic. præf. prætor. l. vn. §. his cunabulis.

XLIII. *Quomodo & quando iudex sententiam proferre debeat præsentibus partibus, vel vna absente.*

GEneraliter autem de sententiis iudicum tria occurrunt enarranda. I. Videndum, quæ requirantur vt sententia valeat. II. Exponendi sunt eius effectus. III. Dicendum de translatione litis ad maius auditorium. ¶ Quod ad primam inspectionem attinet, vt sententia valeat, primò regulariter requiritur vt coram vtraque parte dicatur, quia tantùm inter præsentes valet. D. de re iudic. l. de vno quoque. 47. in prin. nisi quis post litem contestatam absit: tunc enim eo absente sententia ferri poterit. l. vlt. & s̃. de lib. cau. l. 4. l. iuxta. 40. dummodò sex obseruentur. I. Ne iudicetur die feriata. l. 4. II. Ne alio loco sententia pronuncietur, quàm eo, quem iudex præscripsit. l. 5. III. Ne absens sit pupillus indefensus, vel adultus sine curatore. l. 6. & D. de re iudic. l. acta. 45. §. vlt. l. contra. 54. in pr. IV. Ne ob necessariam & ineuitabilem causam absit. l. pen. & s̃. quib ex caus. maior. l. 1. & D. de minorib. l. 7. §. vlt. & de re iudic. d. l. contra. in prin. V. Vt primum ternis literis vel edictis, aut vno pro omnibus vocetur, deinde cognitionis die citetur voce præconis. l. consentaneum. 8. & D. de iudic. l. si prætor. 75. l. ad peremptorium. 68. cum 5. legib. sequẽtib. VI. Ne absens damnetur quasi contumax, cùm non sit contumax. l. 4. & D. quæ sen. si. appell. l. 1. §. pen. Contumax est, qui tribus edictis propositis, vel vno pro tribus quod peremptorium appellatur literísve euocatus, præsentiam sui facere contemnit. D. de re indic. l. contumacia. 53. §. 1. ¶ Porrò cùm vnà tantùm parte præsente iudicatur, non est omnimodò iudicandum secundum præsentem, sed secũdum eum qui bonã causam habet, proinde etiam absens interdum vincet. l. 1. & D. de iudic. l. & post. 73. in pr. Exposui quando & quomodo iudex μονομερῶς, id est, vna parte præsente iudicet. ¶ Hæc dicta sint de iudiciis ciuilibus. nã de criminalib. hîc non agitur. vtrùm autem in criminalibus absens defendi vel damnari possit, exposui cent. 2. quæst. 40.

XLIV. *De sententijs ex periculo recitandis.*

SEcundò requiritur vt sententia ex libello seu scripto recitetur à iudice. l. 2. & 3. ¶ Hic libellus sententiam

BIU Cujas

tentiam iudicis continens appellatur in hac rubrica *periculum*. sic habent vetusta exemplaria: & hanc lectionem probat Cuiac. hîc in Parat. & Obs. lib. 20. cap. 25. alij legunt *breuiculo*. ¶ Ergo sententia ipso iure non valet: nec opus est vt appellatione rescindatur, sequentibus casibus. I. Si sit dicta, non lecta. d. l. 3. nisi leuis causa sit, præsertim vitium personarum. No. 83. in princ. II. Si libellus sit editus litigatoribus non lectus à iudice. l. 1. III. Si recitata sit ab alio, quàm à iudice, nisi sit iudex illustris, qui per officiales vel ministros suos eam recitare possunt. d. l. 2. IV. Si non publicè, sed in secreto loco, non præsentibus officialibus à iudice recitata sit. ℈. tit. prox. l. 6. Hæc in sententiis definitiuis obtinent, quæ propriè vocantur sententiæ; non etiam in interlocutionibus iudicum, quæ à sententiis propriè dictis differunt, vt sequens titulus ostendit.

XLV. *De sententiis & interlocutionibus omnium iudicum.*

TErtiò requiritur vt absolutione vel condemnatione finem liti imponat, videlicèt si sit sententia definitiua, quæ propriè & simpliciter vocatur sententia. nam interlocutio iudicis finem controuersiæ non imponit. Lege notata ad tit. D. de re iudic.

XLVI *De sententia quæ sine certa quantitate prolata est.*

1 QVartò requiritur vt sit de certa quantitate, sup-
2 ple, *vel re*, ex §. curare. Instit. de action. ¶ Ex quo §. nota iudicem curare debere, vt, quatenus potest, sententiam certam ferat, licèt petitio incerta sit: si quidem per acta sequentia ad certitudinem redacta est. verbi gratiâ qui petit id quod sua interest, rem incertam petit. D. si quis in ius vocat. non. l. vlt. & verb. oblig. l. si pœnam. 68. sed quia pendente iudicio probatur quanti interfit, idcirco in summam proba-
3 tam, quæ certa est, condemnare iudex debet. ¶ Cùm igitur iudex sententiam certam ferre potest, incerta sententia non valet: veluti, *debitam quantitatem solue*. l. 3. aut, *Bona quæ accepisti, solue*. l. vlt. oportet enim in iudicio probari, & (vt pragmatici loquuntur) liquidari, quantum reus debeat, vel quid acceperit, & illi probationi seu liquidationi sententiam confirmare. Hæc verò sententia valet, qua reus iubetur vsuras soluere donec sortem soluat; quamuis in certum sit quamdiu vsuræ current. l. 1. Item valet sententia incerta, cùm quis hereditatis. D. si pars hered. petet. l. 1. §. vltim. vel rei partem petit. D. de rei vindic. l. quæ de
4 tota. 76. §. 1. ¶ Nota non esse necessarium, vt certitudo sententiæ ex ipsius verbis colligatur. potest enim aliunde colligi, vt ex actis. l. 3. vel ex iure. Quapropter hæ sententiæ valent, *Solue quod pretium est*. D. de re iudic. l. in sententiis. 59. §. 1. *Solue quod Titio relictum est in testamento Mæuij*. D. eod. l. 5. §. 1. *Solue vsuras, donec sortem solueris*. l. 1. quia vsurarum quantitas iure definita ac certa est. ℈. de vsur. l. eos. 26. *Indemnitatem reipub. præsta*. l. 2. *Indemnitatem fisco præsta*. ℈. tit. prox. l. 5. quia rationes reipubl. & fisci certæ sunt, vt ex Asconio Cuiacius notat.

XLVII. *De sententijs, quæ pro eo quod interest, proferuntur.*

1 CVm igitur id quod interest petitur, probatione actoris & sententiâ iudicis certum & liquidum fieri debet. ℈. de inutil. stipul. l. 3. in fin. licèt eius probatio sit difficilis. D. de stipul. prætor. l. vlt. ¶ Eius 2
quod interest appellatione significatur vtilitas, quæ aduersarij culpâ nobis abest, eo quod damnum passi sumus, aut lucrum non fecimus. ¶ Itaque interesse 3
spectatur vel in damno emergente, vel in lucro cessante. l. vn. vers. & hoc. ¶ Rursus alicuius interest vel 4
ex causa honesta, vt quia non accepit rem cuius pretium soluit. D. de act. empti. l. 1. Vel ex causa inhonesta, ex qua actio non datur, quia nemo ex sua improbitate debet actionem lucrari: veluti si malæ fidei possessor rem furto amisit, non habet furti actionem, licèt eius periculo res sit. D. de furt. l. itaque. 12. §. 1. l. eum qui. 14. §. is autem. ¶ Præterea interesse spectatur vel ex negotio certo, vt venditione fundi, quia certum est pretium, & certa res vendita: vel ex negotio incerto, vt ex stipulatione facti. D. de verbor. obligat. l. vbi 75. §. qui id quod. ex qua, nisi id fiat quod promissum est, debetur id quod interest. D. de re iudic. l. si quis ab alio. 13. in fin. Priori casu Iustinianus d. l. vn. vetat interesse æstimari vltra duplum. verbi gratiâ si quis fundum vendidit centum aureis, interesse ob pretium tardiùs solutum æstimari poterit intra, non vltra summam ducentorum aureorum. Posteriori casu suo arbitrio iudex æstimabit quanti reuera interfit, & in dubio inclinabit in minoris summæ condemnationem. D. de stipul. prætor. d. l. vltim. ¶ Iam verò id quod interest cùm vsura & pœna (nam 6
hæc tria quandam inter se affinitatem habent) contuli ad tit. D. de vsur. num. 5. & 6. ¶ Hæc autem om- 7
nia sunt accipienda de interesse pecuniario, quod passim in iure consideratur, aliud est interesse affectionis quod ad pecuniam non respicit, vt mea interest hominem beneficio affici. D. de seru. export. l. 7. & mea interest legere tuos libros vt doctior euadam. D. ad exhib. l. penult. nostra interest animum liberorum nostrorum non corrumpi. D. de seru. corrupt. l. vt tantum. 14. §. 1.

XLVIII. *Si à non competente iudice, iudicatum esse dicatur.*

QVintò requiritur, vt sit iudex competens. nam 1
sententia ab incompetente iudice lata, ipso iure non valet. l. vltim. ¶ Iudex competens est, ad quem 2
causæ cognitio & definitio spectat; incompetens, ad quem non pertinet. ¶ Nihil autem refert, vtrùm di- 3
cas iudicem competentem, vt hîc; an forum competens, vt ℈. lib. 3. tit. 13. ¶ Vt igitur sententia valeat, 4
non sufficit eam latam esse à iudice, sed oportet vt lata sit à iudice competente. ¶ Vbi notandum, litigan- 5
tium consensu non posse ex non iudice fieri iudicem. ℈. de iurisd. omn. iudic. l. 3. tantùm posse fieri arbitrum. ℈. de episc. audien. l. 7. & D. de recept. qui arbit. l. 1. l. 3. §. 1. item posse iudicem ex non competente fieri competentem. D. de iudic. l. 1. & hoc est quod dicitur, iurisdictionem iudicis prorogari. Sed hæc iurisdictionis prorogatio in Gallia non admittitur. ¶ Vt autem 6
hæc prorogatio valeat, tam error quàm dolus, & vis abesse debet. D. de iurisd. l. si per errorem. 22. & de iudic. l. 2. in princ. ¶ Obiter nota, in arbitrio consti- 7
tuendo requiri consensum, non solùm eligentium, sed etiam ipsius arbitri. D. de recept. qui arbit. d. l. 3. §. 1. in iurisdictione autem proroganda sufficere consensum prorogantium, nec requiri consensum eius, cuius iurisdictio prorogatur D. de iudic. d. l. 2. §. 1. ¶ Ergo iu- 8
dex competens est vel ex se, quia reus eius iurisdictioni vel notioni subiectus est, vt exposui D. de iudic. num. 7. vel ex consensu litigantium, vt modò docui.

Qui

BIU Cujas

Qui neutro modo competens est frustra de causa cognoscit frustra pronunciat.

XLIX. *De pœna iudicis qui malè iudicauit, vel eius qui iudicem vel aduersarium corrumpere curauit.*

1 SExtò requiritur, vt iudex rectè iudicet, id est, ne aliter iudicet, quàm legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est. Instit. de offic. iudic. in pr.
2 ¶ Porrò cùm iudex malè iudicauit: triplex quæstio occurrit. I. Vtrùm sententia ipso iure nulla sit, an per appellationem sit rescindenda. II. Quæ sit pœna iudicis. III. Quæ sit pœna litigantis, qui iudicem vel aduersarium corrupit. Prima quæstio tractatur. ſ. quan. prou. non est necess. & D. quæ senten. si appell. rescin. Secundæ satisfeci sub tit. D. de extraordin. cognit. num. 2.
3 ¶ Quod ad tertiam quæstionem attinet: is qui iudicem vel aduersarium datâ pecuniâ corrupit, causâ cadit. l. 1. & D. de calumn. l. 1. §. pen. sed fatenti & probanti se pecuniam dedisse aut promisisse Iustinianus ignoscit: eum verò, qui iudicandi aut suffragij apud iudicem præbendi causâ pecuniam vel promissionem suscepisse conuincitur, ita punit, vt si in causa pecuniaria id commiserit, triplum eius quod datum, aut duplum eius quod promissum fuit, Comiti rerum priuatarum præstet, & dignitatem, quam habet, amittat. si verò in causâ criminali sic deliquerit, in exilium bonis con-
4 fiscatis mittatur. ¶ Quid ergo, si is, qui se pecuniam alicui dedisse vel promisisse dicit, probare id non potuerit? Alteri, qui suscepisse dicitur, iusiurandum defertur, & si quidem iurauerit sibi neque datum neque promissum quicquam fuisse, ipse nullam pœnam patitur, & lis suo ordine procedit: is autem qui detulit nec probauit, in causa ciuili æstimationem litis soluit comiti rerum priuatarum, in criminali bonorum confiscatione punitur. quòd si ille iurare noluerit, dictis
5 pœnis subiicitur. ¶ At si quis litigantium iurauerit se non dedisse, vel non promisisse, deinde intra decem menses à die latæ sententiæ probetur eum dedisse vel promisisse, pœnæ suprà dictæ tam danti vel promittenti, quàm suscipienti irrogantur. No. 124. c. 2.

L. *Sententiam rescindi non posse.*

EXposita sunt varia requisita vt sententia valeat: deinceps explicandi sunt sententiarum effectus. Primus effectus est, quòd sententia semel lata retractari seu rescindi à iudice non potest. publicè enim interest non conuelli rerum iudicatarum auctoritatem. D. ad Senatusconsultum Trebellianum. l. seruo. 65. §. cùm prætor. & de bon. libert. l. si patronus testamento. 12. §. si quis cùm esset.

LI. *De fructibus, & litium expensis.*

1 SEcundus effectus est, quòd si iudex tantùm de re principali pronunciauerit, de fructibus autem vel de litis impensis nihil statuerit, fructuum quidem nomine integra manet actio, impensarum autem nomine actio victori datur, non aduersus victum. l. 3. sed aduersus ipsum iudicem. ſ. de iudic. l. properan-
2 dum. 13. §. sin autem alterutra. ¶ Fructuum distinctionem & proprietates exposui ad tit. D. de vsur. à num. 11. vsque ad 16. Quibus autem casibus, & in quos fructus iudex condemnare debeat, docui in
3 Analysi Institut. ad tit. de offic. iudic. ¶ De expensis litis præter suprà dicta, nota primò, priuilegium alicui tributum vt nullas vel minores quàm ceteri impensas in litem faciat, etiam eius aduersario prodesse, vt in iudicio æqualitas seruetur. l. vlt. ¶ Nota 4 secundò, iudicem debere de impensis litis pronunciare, id est, in eas victum condemnare, vel ex iusta causa absoluere. l. penult. & Nou. 82. ¶ Nota tertiò, 5 si iudicio victus appellauerit, eum, qui vicit, non posse ob eam causam appellare quod impensarum nomine aduersarius non fuit condemnatus. aut in minorem summam condemnatus fuit quàm condemnari debuerit; nihilominùs tamen iudicem appellationis debere iustam eorundem sumptuum quantitatem definire. ſ. quan. prouoca. non est necess. l. vlt.

LII. *De re iudicata.*

TErtius sententiæ definitiuæ effectus est res iudicata, id est, lis finita. Lege, quæ notaui D. h. t.

LIII. *De executione rei iudicatæ.*

PRoprium rei iudicatæ est, vt executioni mandari 1 debeat. ¶ Nota primò, rem iudicatam habere 2 executionem paratam (quod enim dicitur, non esse ab executione incipiendum, sed priùs proponendam esse petitionem, & adiungendam probationem. ſ. de prohib. seq. pecu. l. vn. in aliis actionibus locum habet, non in actione iudicati. l. 1. & D. de minoribus. l. minor annis 40. in princ.) nisi opponatur exceptio, vel peremptoria, vt doli. ſ. tit. prox. l. 1. & senatusconsulti Macedoniani, seu Velleiani. D. de senatusconsul. Macedon. l. tamen. 11. vel dilatoria, vt quia damnato actione personali indulgentur humanitatis causâ ad solutionem faciendam quatuor menses. ſ. tit. prox. l. vlt. Quomodo autem executio rei iudicatæ fieri debeat, Vlpianus exponit in l. à Diuo Pio. 15. D. de re iudic.

LIV. *De vsuris rei iudicatæ.*

NOta secundò, eum, qui rem iudicatam persequitur, etiam vsurarum post dictum quatuor mensium tempus rationem habere debere. l. 1. Nisi enim damnatus, inter quatuor menses soluerit, ex eo tempore debet sortis, non vsurarum in condemnationem fortasse deductarum, vsuras centesimas. l. 2. & 3.

LV. *Si plures vna sententia condemnati sint.*

NOta tertiò, quibusdam casibus non esse locum executioni rei iudicatæ. Primus casus est, si pluribus vna sententia damnatis desideretur executio contra vnum in solidum: quia singuli debent exigi pro partibus, non in solidum, nec alter pro altero. ne quidem pro eo qui soluendo non est, nisi in id sententia sit expressum. l. 1. & 2.

LVI. *Quibus res iudicata non nocet.*

SEcundus casus est, si executio desideretur contra eum, qui nec per se, nec per procuratorem litigauit, nec per contumaciam abfuit: quoniam ei res iudicata non nocet: adeo vt contra eum nec iudicati actio, nec exceptio detur. l. 1. & to. tit.

LVII. *Comminationes, epistolas, programmata, subscriptiones, rei iudicatæ auctoritatem non habere.*

TErtius casus est, si iudex non protulit sententiam definitiuam, sed citra formam decreti interlo-

BIU Cujas

quens, aliquid comminatus sit, putà cum soluturum vsuras, qui sua die debitum non soluerit. l. 1. 4. & pen. (secus est, si decernendo comminetur. D. de administr. tut. l. 7. §. qui deponi. Denique comminatio iudicis, si sit sententia, vim habet rei iudicatæ, si interlocutio, eam vim non habet) vel ad aliquem scribens, iusserit eum soluere. l. 2. vel programma, id est, edictum contra absentem proposuerit. d. l. pen. vel libello supplici subscripserit. l. 3. & 5.

LVIII. *Si ex falsis instrumentis vel testimonijs iudicatum sit.*

1 QVartus casus est, si ex falsis instrumentis vel testimoniis iudicatum sit. l. 2. vel quibuscumque falsis allegationibus. D. de iudic. l. si prætor. 75. vers. Marcellus. Cùm instrumenti vocabulum sit πολύσημον, vt docui D. de fi. instrum. num. 2. hîc accipitur pro quacumque scriptura, quæ probationis causâ in iudicio producitur. itaque complectitur & testamentum. l. 1. & testationem. l. 3. Testimonium verò est assertio testis. Si igitur testes falsum dixerunt, vocatur falsum testimonium. D. de re iudic. l. Diuus. 33. sin autem testes id non dixerunt, quod quasi ab eis dictum, scriptura continet, falsum instrumentum dicitur, id est,
2 falsa scriptura. d. l. 3. ¶ Nota duo hîc requiri, vt sententia ipso iure nulla esse dicatur: non enim sufficit aduersarium vsum esse falso instrumento vel testimonio, nisi iudex eo sententiam suam fundauerit. Quid enim, si litigator alia vera, alia falsa protulerit, iudex autem ex veris sententiam tulerit? sine dubio sententia valebit. d. l. 3.

LIX. *De confessis.*

NOta quartò, interdum è contrario dari in eum, qui iudicatus non est, executionem quasi rei iudicatæ, nempe in eum qui in iure confessus est, quia confessus pro damnato habetur. Lege notata D. h. t.

LX. *Inter alios acta, alijs non nocere.*

1 NOta quintò, sicut res inter alios iudicata, aliis non nocet. §. tit. 56. ita aliam quamcumque rem inter alios actam, aliis non nocere. Hæc regula obtinet in solutione. l. 1. transactione. l. 2. pacto, iudicio. l. vlt. &
2 aliis causis. ¶ Satisfactum est duabus de sententia definitiua quæstionibus, id est, an valeat, & quos effectus pariat: superest, vt dicamus de litis translatione ad maius auditorium: sic enim omnia erunt exposita, quæ proposui tit. 43.

LXI. *De relationibus.*

LIs à minori ad maius auditorium transfertur. Primò per relationem, de qua dixi ad tit. D. de appell. num. 4. & 5.

LXII. *De appellationibus & consultationibus.*

SEcundò per appellationem, de qua dixi D. eod. tit. Nota primò, causas à principe decidi vel per rescriptum, vel per consultationem, quo vocabulo in præsentia significatur iudicium principis sedentis in senatu. l. præcipimus. 32. l. in offerendis. 37. & l. seq. & Nou. 62. in princ. & Nou. 82. cap. 4. Alibi consultatio accipitur pro relatione, vt §. tit. prox. l. 1. & l. vlt. de qua dixi ad tit. D. de appell. l. num. 4.

LXIII. *De temporibus & reparationibus appellationum seu consultationum.*

NOta secundò, varia tempora in appellationibus 1
considerari. I. Tempus intra quod appellare licet, de quo dixi ad tit. D. quan. appell. sit. II. Tempus, intra quod appellatio est inchoanda siue introducenda. Nam appellatio à iudice ordinario, vel à principis delegato ad sacrum principis auditorium intra sex vel tres menses, pro locorum diuersitate, ex die quo fuit interposita numerandos, ab aliis verò iudicibus intra duos menses inchoari debet. l. 2. & l. vlti. & Nou. 82. cap. 6. III. Tempus faciendæ appellationis, quod est annus, vel ex iustissima, & ineuitabili causa biennium, quo tempore transacto, nisi lis finita sit, ex solo temporis lapsu inutilis redditur appellatio, & confirmatur sententia, à qua fuit appellatum. l. vltim. §. illud etiam & Nou. 46. cap. 1. ¶ Nota tertiò, post lapsum 2
dictum introducendæ appellationis tempus, reparationem peti posse. Reparatio est lapsi temporis redintegratio, vt perinde ac si definitum tempus lapsum non esset, appellatio introduci possit. ¶ Hæc reparatio ter vel quater conceditur. Nam post pri- 3
mum, secundum, & tertium lapsum omnibus appellatoribus conceditur reparatio, & singulis reparationibus ei conceduntur dies 30. Si omnia prædicta tempora effluxerint, nec appellatio inchoata fuerit: tunc is, qui à iudice ordinario, vel à principis delegato ad principem appellauit, intra tres menses, à die quarti lapsi computandos, reparationem petere poterit: quod beneficium ei denegatur, qui ab aliis delegatis appellauit. l. 2. & l. vlt. ¶ In fine cuiusque tempo- 4
ris siue ab initio concessi, siue reparati, erat vnus dies fatalis. Sed Iustinianus decem dies fatales fecit, id est, quinque ante lapsum, & quinque post lapsum. d. l. vlt. §. & cùm antea. Fatales dies dicuntur, quibus causa agi potest. nam citra vel vltra illos dies agi nequit: & in causis, atque earum disceptatione fatum quoddam inest. §. de aduoc. diuers. iudic. l. aduocati. 14. & C. Th. de appellat. l. rationales. 41. Iidem vocantur dies temporales. d. l. 2. & §. de appellat. l. præcipimus. 32. §. hinc saluberrimæ.

LXIV. *Quando prouocare non est necesse.*

NOta quartò, varia esse aut videri appellationum vitia, siue impedimenta. Primum est superfluitas, cùm appellatur à sententia ipso iure nulla. tunc enim non est opus appellatione: & sententia ipso iure rescindi impropriè dicitur, vt notaui D. quæ sen. si appell. rescind.

LXV. *Quorum appellationes non recipiuntur.*

SEcundum est importunitas; cùm appellatio non recipitur, eò quòd est frustratoria, & importuna. l. 6. vt expositum fuit. D. de appell. reipub.

LXVI. *Si pendente appellatione mors interuenerit.*

TErtium est mors litigantis, vel eius de quo litigatur, de qua dixi D. h. t.

LXVII. *De his, qui propter metum iudicis non appellauerunt.*

QVartum est appellationis omissio. Cuius omissionis duplex causa consideratur. Prima causa est metus. Nota eum, qui prætextu metus non appellat,

BIU Cujas

appellat, quasi metu iudicis prouocare ab eius sententia non sit ausus, non excusari, nec posse causas appellationis persequi. l. 1. nisi vim passus sit, & intra statutum appellationis tempus contestationem vel libellum appellationis publicè proposuerit. l. 2. & D. de appellat. l. 7.

LXVIII. *Si vnus ex pluribus appellauerit.*

SEcunda causa, quam aliquis afferre potest, cur non appellauerit, inde sumitur, quòd consors litis appellauit. Vbi notatur sententiam latam pro eo qui appellauit, ei quoque prodesse qui non appellauit, si vna & eadem sit causa. l. 1. & 2.

LIX. *Si de momentanea possessione fuerit appellatum.*

QVintum est, si de momentanea possessione iudicatum fuerit. Vt enim lites celeriùs expediantur, à sententia de momentanea possessione non licet appellare. Momentanea (vel momentaria vt in l. 8. ℈. vnde vi.) possessio dicitur, quæ ex aliquo interdicto tantisper adiudicatur, dum controuersia de proprietate pendet: quia cùm de proprietate iudicatum erit, proprietas ad se possessionem trahit, & effectus sententiæ de possessione finitur. ext. de cau. poss. & propr. c. 6.

LXX. *Ne liceat in vna eademque causa, vel post duas sententias iudicum, quas definitio præfectorum prætorio roborauerit, eas retractare.*

SExtum est, si tertiò appelletur. Nam qui semel & iterum victus est, semel & iterum potest appellare. sed si tertiò victus fuerit, non potest ampliùs appellare. Quid ergo, si tertia illa sententia sit lata à præfecto prætorio, quæ non per appellationem, sed per supplicationem retractari potest, vt exposui ℈. de sentent. præf. prætor? Certè hoc casu supplicare non licebit; quia hæc supplicatio loc appellationis est l. vn. De appellationibus hactenus.

LXXI. *Qui bonis cedere possunt.*

EXposita est prima causa mittendi in possessionem: Secunda causa est, si quis ære alieno oppressus, bonis cesserit, de qua dixi ad tit. D. de cessione bonorum.

LXXII. *De bonis auctoritate iudicis possidendis, seu venumdandis, & de separationibus bonorum.*

1 ENarratis causis, ex quibus in possessionem mittitur, consequenter declarantur huius missionis
2 effectus. ¶ Primus effectus est, vt quamuis missi in possessionem per primum decretum, non possideant, sed tantùm sint in possessione, tamen secundo decreto possessores constituantur, non vt ea bona retineant iure dominij, sed vt bona fide & legitimè distrahant, & ex eo, quod ex bonorum venditione colli-
3 getur, creditoribus satisfiat, vt docui D. h. t. ¶ Nota primò per separationem bonorum effici, vt separatim ex bonis defuncti satisfiat creditoribus hereditariis, & ex bonis heredis satisfiat creditoribus heredis, vt exposui D. de separat.

LXXIII. *De priuilegio fisci.*

NOta secundò non satisfieri omnibus creditoribus hereditariis æqualiter, sed priùs hypothecariorum, postea priuilegiariorũ, tandem ceterorum creditorum chirographariorum rationem haberi, vt notaui. D. de rebus auctor. iud. possid. num. 4. Inter priuilegiarios præcipui habentur fiscus, & mulier. Fiscus enim priuilegium seu prærogatiuam habet in actione personali, ita vt non solùm præferatur aliis creditoribus chirographariis, sed etiam priuilegiariis. D. de rebus auctor. iud. possid. l. quod quis. 34. adhibita l. qui in nauem. 26. eod. titul. Excipitur mulier dotem repetens, cui fiscus non præfertur; sed pari passu ambulant; ita vt prior tempore, sit potior iure. ℈. de iu. dot. l. dotis. 9. quod etiam in actione hypothecaria obtinet. l. 2. Item excipiuntur pœnæ, in quibus exigendis fiscus cedit omnibus damnati creditoribus. ℈. pœn. fisc. cred. præfer. l. vn. & D. de iu. fis. l. in summa. 17. l. quod placuit. 37. l. Statius. 48. §. vlt.

LXXIV. *De priuilegio dotis.*

MVlier quoque in dote soluto matrimonio re- 1
petenda priuilegium habet. D. de iure dot. l. si sponsa. 74. quia publicè interest dotes mulieribus conseruari, quò faciliùs nubere & ciuitatem liberis replere possint. D. eod. l. 2. & solut. matrimon. l. 1.
¶ Hoc priuilegium mulier transmittit ad filios, non 2
ad heredes extraneos. Nou. 91. cap. 1. vnde secunda vxor dotem soluto matrimonio repetens postponitur liberis prioris matrimonij dotem maternam, quæ tempore prior est, repetentibus. ¶ Quid autem si 3
mulier cum alio priuilegiario creditore concurrat? Puto hîc regulam obtinere, quòd priuilegiarius contra priuilegiarium non vtitur suo priuilegio. ℈. de iu. dot. l. dotis. 9. Ceterùm ratione hypothecæ mulier etiam creditoribus priuilegiariis præfertur: quia (vt superiori titulo notaui) prior habetur ratio creditorum hypothecariorum, quàm personalium priuilegiariorum. Expositus est primus missionis in possessionem effectus.

LXXV. *De reuocandis ijs quæ in fraudem creditorum alienata sunt.*

SEcundus effectus est reuocatio eorum, quæ debitor in fraudem creditorum alienauit: de qua reuocatione sufficit, quæ notaui D. hoc tit.

LIBER VIII.

TITVLVS I.

De interdictis.

DE possessione, de qua superiori libro dictum fuit, disceptatio in iudicium venit vel per interdictum. Institut. de interdi. in princ. vel per actionem hypothecariam. D. de euict. l. si cùm venditor. 66. in princ. vel per exceptionem. D. de except. rei vend. l. 1. §. vlt. quamobrem tria hæc ordine proponentur, sumpto ab interdictis initio, de quibus agitur tam in genere, quàm in specie. Huic generali titulo satisfeci. D. eod. sequentes autem speciales tituli ad duas diuisiones sunt referendi.

II. *Quorum bonorum.*

PRima diuisio est in interdicta restitutoria, prohibitoria, exhibitoria. D. de interd. l. 1. §. 1. & Instit.

BIU Cujas

eod.§.1. Prohibitoria partim sunt adipiscendæ possessionis, vt Quorum bonorum, quod interdictum exposui D.h.t.

III. *Quod legatorum.*

ET quod legatorum, de quo interdicto dixi D.h.t.

IV. *Vnde Vi.*

PArtim recuperandæ possessionis, vt interdictum. Vnde vi, quod declaraui D.de vi & vi arma.

V. *Si per vim vel alio modo absenti possessio turbata sit.*

1 HOc tamen loco specialiter notandum est, si absens possessionem per vim amiserit, expulsis his per quos possidebat, vt seruis, aut libertis, aut colonis, non expectari absentis reditum, aut eius mandatum sed statim reddi interdictum his desiderantib. qui expulsi fuerunt, etiamsi serui sint.l.1.& ꝯ.qui leg.pers.
2 stan. in iudic. l. vlt. ¶ Iam verò & his personis interdictum perpetuò datur, & nihilominùs absenti reuerso patet, si forte dictæ personæ agere neglexerint.
3 d. l. 1. ¶ Quia verò de his agimus, qui, dum abessent, possessionem amiserunt, obiter additur, eis quoque succurri, qui non per vim sed alio modo, vt per rescriptum principis, aut interlocutionem iudicis amiserunt possessionem.l.2.

VI. *Vti possidetis.*

PRohibitorium, retinendæ possessionis, est interdictum. Vti possidetis, quod declaraui D.h.t.

VII. *De tabulis exhibendis.*

EXhibitoria, quæ hîc declarantur, pertinent partim ad tabulas testamenti, vt interdictum de tabulis exhibendis, quod exposui D.h.t.

VIII. *De liberis exhibendis seu deducendis, & de homine libero exhibendo.*

PArtim ad personas: id est, vel ad liberos nostros, vt interdictum de liberis exhibendis (quod est præparatorium interdicti de liberis ducẽdis: idcirco hæc duo interdicta simul proponuntur tã in D. quàm in C. & simul à me fuerũt exposita. D.de lib.exhib.it. ducẽ.) vel ad alios homines liberos, vt interductum de homine libero exhibendo explicatum. D.de hom.lib.exhiben. Absoluta est prima interdictorum diuisio.

IX. *De precario, & Saluiano interdicto.*

SEcunda diuisio est in interdicta de rebus priuatis, & de rebus publicis. De rebus priuatis sunt, primò interdictum de precario expositum. D. de precar. Secundò interdictum Saluianum, quod enarraui D. de Saluia.interd.

X. *De ædificijs priuatis.*

TErtiò interdicta de priuatis ædificiis. Intelligo interdicta quæ ad ipsa ædificia pertinent, & alios proprios titulos non habent, vt ab hoc titulo excludantur interdicta de cloacis, quod vi aut clam, de remissionibus, & alia. Denique puto hunc titulum respicere ad duo interdicta posita in D. sub tit. de oper. noui nunc. quorum primum est restitutorium, quo prætor iubet opus contra nunciationem factum restitui. D. de oper. noui nunc. l. prætor. 20. in princ. alterum prohibitorium, ne vis fiat nouum opus facienti, si de eo restituendo satisfecerit, aut per aduersarium steterit quominùs satisfaret.d.l.prætor.§.deinde. Malè igitur vulgò hîc subiiciunt titulum de operis noui nunciatione, quem nec Placentinus, nec Azo agnoscit, quorum auctoritatem in titulis seu rubricis constituendis videtur mihi Cuiacius quoque secutus esse.

XI. *De operibus publicis.*

INterdicta, quæ sunt de rebus publicis, ab Vlpiano videntur referri ad tria genera: vt sint aut de locis, aut de viis, aut de fluminibus. D. de interd. l. 1. vers. publica. Talia sunt interdicta exposita D.lib.43.à tit.7. vsque ad 16. De operibus publicis non puto fuisse vlla propria interdicta: sed tantùm cognitionem extraordinariam. Cetera de operibus publicis exposui D. hoc tit.

XII. *De ratiociniis operum publicorum, & de patrib. ciuitatum.*

PVblicorum operum rationes redduntur curatoribus reipublicæ, qui etiam patres ciuitatum appellantur, vt notaui D.d.t.de oper.pub.

XIII. *De pignoribus & hypothecis.*

POst interdicta dicendum de actione hypothecaria, vt seruemus ordinem tit. 1. huius libri propositum: & quoniam hæc actio persequitur possessionem pignoris siue hypothecæ, explicandus totus tractatus de pignoribus & hypothecis. Hic tractatus diuiditur in quinque partes. In prima parte simpliciter & generaliter agitur de pignoribus & hypothecis, vt & D. hoc tit.

XIV. *In quibus causis pignus tacitè contrahitur.*

IN secunda parte considerantur pignoris siue hypothecæ genera duo, conuentionale, & prætorium. ĩ. de prætor. pignor. l. 2. quæ quidem exposui D. de pigner.act. num.4. De pignore conuentionali quinque quæstiones dissoluuntur. Prima quæstio est, an pignus tacitè contrahi possit: cui quæstioni satisfactum est. D. hoc tit.

XV. *Si aliena res pignori data sit.*

SEcunda quæstio est, quæ res pignori obligari possint, vel non. Hæc quæstio proponitur primò specialiter de re aliena. quæ si pignori detur, obligatio quidem inter contrahentes oritur, & actio pigneratitia nascitur tam directa quàm contraria. l. 6. & D. de pigner. act. l.9. in princ. & §. penult. l. si pignore. 22. §. 1. & §. si prædo. sed ipsa res non afficitur, id est, creditor non habet ius in re; proinde non habet actionem hypothecariam. d. l. 6. & D. de pigner. act. l.2. & de pignor.l.& quæ nondum.15.§.1. nisi vel dominus ab initio consentiat, vel postea ratum habeat. D. de pigner. act. l.aliena. 20. in princ. l.petenti.27.& de pignor. l. si fundus. 16. §. 1. vel is qui rem alienam pignori dedit, postea dominium acquirat, quo casu pignus directò tenet, si aut res obligata fuit sub condictione, *si debitoris erit.* d. l. si fundus. §. aliena. & D. qui potior. in pigno. l.7. §.1. aut res pigneranti debita erat, aut generaliter pignus contractum fuit omnium bonorum præsentium & futurorum. D.de pign.l.1. in princ. l. & quæ nondum. 15. §. 1. aliàs pignus sustinetur ex bono & æquo. l. 5. & D. de pign.act.l.rem alienam. 41. & de S. C. Maced. l. 7. §. sed etsi filiusfam.& qui potior. in pign. habeant. l. qui balneum. 9. §. vlt. & ad S. C. Trebell. l. filiam. 56. Idem dicendum si è contrario rei dominus pigneranti successerit, si credimus Modestino in l. si Titio. 22. D. de pignor. à quo dissentit Paulus in l.rem alienam. 41. D. de pign. act.

quæ

BIU Cujas

quæ loca non inter ἐναντιοφανῆ, sed inter ἀντινομίας refero.

XVI. *Quæ res pignori obligari possunt, vel non, & qualiter pignus contrahatur.*

1 DEinde generaliter & in vniuersum quæritur, quæ
2 res pignori obligari possint, vel non. cui quæstioni satisfactum est D. hoc tit. ¶ Tertia quæstio proponitur in posteriori huius rubricæ parte, *qualiter pignus contrahatur*, cui satisfeci D. de pignoribus. num. 5.

XVII. *Qui potiores in pignore habeantur.*

QVarta quæstio est de effectu pignoris, vel hypothecæ iam à nobis expositio D. hoc eodem titulo.

XVIII. *De his, qui in priorum creditorum locum succedunt.*

HIc titulus est pars superioris, & cum eo coniungitur in Digestis. quapropter eodem loco etiam huic rubricæ satisfeci.

XIX. *Si antiquior creditor pignus vendiderit.*

QVod superiori titulo didicimus, posteriorem creditorem posse, soluendo quod priori debetur, in eius locum succedere, limitatur hoc titulo, vt tum demum obtinet, cùm res est integra, id est, cùm pignus non est venditum, aut saltem non est venditum ab antiquiori creditore, sed à debitore. Nam post venditionem pignoris à potiori creditore factam, id neque debitor, neque posterior creditor emptori auferre potest, licèt pecuniam, quæ potiori creditori debebatur offerat. l. 1. & 2. & de distract. pign. l. 3. nisi antiquior creditor pignus aut secundo creditori vendiderit. D. eod. l. 5. §. 1. & l. 6. aut extraneo vendiderit hoc pacto, vt, si debitor pretium emptori restitueret, pignus reciperet. D. de pigner. act. l. si cùm venderet. 13. in princ.

XX. *Si communis res pignori data sit.*

QVinta quæstio est, an vnus ex dominis possit pignerare rem communem. Respondetur eum pro sua tantùm parte obligare posse. l. vn. Hactenus de pignore conuentionali.

XXI. *De prætorio pignore, & vt in actionibus etiam debitorum missio prætorij pignoris procedat.*

1 SEquitur pignus prætorium, quod exposui D. de
2 pignor. num. 4. ¶ Nota primò prætorium pignus constitui per missionem in possessionem, non solùm super rebus mobilibus, & immobilibus, sed etiam super actionibus quæ debitori hanc missionem passo
3 competunt. l. 1. ¶ Nota secundò creditorem, amissa possessione, eam posse per actionem hypothecariam recuperare, non solùm si conuentionale, sed etiam si prætorium pignus sit. l. 2.

XXII. *Si in causa iudicati pignus captum sit.*

NOta tertiò prætorij pignoris speciem esse pignus iudiciale, quod capitur sententiæ condemnatoriæ exæquendæ gratiâ, vt docui D. de pign. num. 4. Absoluta est secunda pars tractatus de pignoribus; sequitur tertia, quibus modis pignus soluatur.

XXIII. *Si pignus pignori datum sit.*

MVltis modis pignus soluitur. Primò resoluto iure pignerantis. Nam si tu mihi rem pignori dederis, & ego hoc pignus creditori meo pignerauerim: te mihi satisfaciente, vtrumque pignus soluitur; & sublato meo iure, eius quoque, qui à me causam habet, ius dissoluitur. l. 1. & 2.

XXIV. *De partu pignoris, & omni causa.*

SEcundò, si tantum ex fructibus aliisve accessionibus creditor perceperit, quantum ei debebatur: hæc enim in debitum imputat. l. 2. & s̃. de pigner. act. l. 1. 2. 3. & vlt. & j̃. de distrac. pign. l. 1. Excipitur partus ancillæ, quia non est in fructu. D. de hered. petit. l. ancillarum. 27. & de rei vindic. l. vetus. 68. in princ. & Instit. de rer. diuis. §. in pecudum. Quamquàm in eo fructibus comparatur, vt quemadmodum rei pigneratæ fructus tacitè pignori obligati intelliguntur. s̃. in quib. caus. pign. tac. contrah. l. 3. ita etiam ancillæ pigneratæ partus apud debitorem vel eius heredem editus, tacito pignore teneatur. l. 1. & D. de pignor. l. fideiussor impetrauit. 26. §. vlt. l. Paulus. 29. §. 1. Latiùs igitur patet causæ nomen, quàm fructus, vt docui D. de vsur. num. 16. quia partus ancillæ non est fructus, est tamen causa, quemadmodum & fœtuum fœtus. D. eod. l. equis. 8.

XXV. *De remissione pignoris.*

TErtiò, si pignus à creditore remissum sit. s̃. de pi- 1
gnor. l. maior. 23. ¶ Remissio pignoris est con- 2
uentio. l. 2. & D. de pact. l. si tibi. 17. §. de pignore. & quib. mod. pign. vel hypoth. solu. l. 5. in princ. qua creditor recedit à pignore. D. de pign. act. l. rem alienam. 9. §. omnis. ¶ Et est vel expressa, vel tacita. Expressa 3
fit pacto expresso. d. l. si tibi. §. de pignore. & quib. mod. pign. solu. l. 7. §. sed si conuenerit. l. sicut. 8. §. 1. 2. 3. 4. 5. Tacita fit, I. Si creditor pignus debitori reddat. l. cùm ex causa. 9. & D. de pact. l. 3. & ad Velleian. l. quamuis. 8. in princ. II. Si creditor reddat chirographum rei pigneratæ. l. 7. III. Si creditore sciente, nec expressè contradicente, debitor seruum pigneratum manumittat. l. 1. IV. Si creditore expresse consentiente, vel ratum habente, debitor pignus alteri pigneret, vel alienet, nisi salua pignoris sui causa creditor alienationi consenserit. l. 2. & 4. & D. quib. mod. pign. solu. l. 4. §. 1. l. 7. in princ. l. sicut. 8. §. si voluntate. & §. venditionis. l. Titius. 9. §. 1. l. Paulus respondit. 12. in princ. ¶ Rursus pignus remittitur vel in totum, vel 4
pro parte. d. l. 7. §. penult. & vltim. ¶ Præterea si in 5
multas causas pignus obligatum sit: vel in omnes causas remitti potest, vel in aliquas, siue in aliquam, vt maneat in alias causas obligatum. D. ad S. C. Velleia. l. vir vxori. 17. in princ.

XXVI. *Etiam ob chirographariam pecuniam pignus teneri posse.*

QVartò, si principalis obligatio, cui pignus accessit, solutione vel nouatione, vel alio modo soluta sit l. vn. in princ. & s̃. de pign. act. l. creditores. 10. & l. seq. & de vsur. l. acceptam. 19. & de pignor. l. 4. l. res obligatas. 21. & D. de pign. act. l. si rem alienam. 9. §. omnis. l. solutum. 11. §. si quasi. §. si in fortem. l. si pecuniam. 33. l. debitor. 40. §. vlt. & de pignor. l. si is

BIU Cujas

qui bona. 11. §. 1. l. grege. 13. §. etiamsi. & quib. mod. pign. sol. l. 6. in princ. & de solut. l. in omnibus. 43. Si tamen creditor pignus possideat, & eiusdem debitoris creditor sit ex alia quoque causa, in quam pignus non accepit, illud pignus retinere poterit, donec ex hac quaque causa sibi satisfactum sit. quamuis enim ex hac causa non habeat pignoris persecutionem, tamen, si pignus possideat, ex bono & æquo ei permissa est pignoris retentio. d. l. vn.

XXVII. *De distractione pignorum.*

1 QVintò, si creditor pigneratitius, quo nullus potior est, pignus rectè distraxerit. s. si antiq. cred. 2 pign. vend. l. 1. ¶ Nota primò secus esse, si debitor, aut posterior creditor vendiderit, vt ad eum titulum 3 notaui. ¶ Nota secundò creditorem vendere pignus, modò necessitate iuris coactum, modò sponte sua: & quandoque iure creditoris, interdum iure communi, vt exposui D. h. t.

XXVIII. *Debitorem venditionem pignoris impedire non posse.*

1 NOta tertiò debitorem, nisi debitum soluat, non posse impedire quo minùs creditor pignus di- 2 strahat. l. 1. & 2. ¶ Similiter posterior creditor non potest impedire priorem creditorem, quominùs distrahat, nisi ei debitum offerat. s. si antiq. cred. pign. vend. l. vlt.

XXIX. *Si vendito pignore agatur.*

1 NOta quartò, vendito pignore varias actiones competere. Quod vt plenè intelligatur, distin- 2 guuntur quinque casus. ¶ Primus casus est, cùm venditio nullo vitio laborat: quoniam is, cui vendendi ius fuit, vt antiquior creditor. s. si antiq. cred. l. 1. seruatis iuris solemnitatibus, bona fide vendidit. Hoc casu tria notentur. I. Hæc venditio neque à posteriori creditore, neque à debitore rescindi regulariter potest, vt notaui tit. 19. II. Si inde creditori satisfieri non potuerit, quia pignus non tanti valebat, quantum debebatur, creditor poterit vel actione personali residuum petere. s. de distrac. pign. l. 3. & D. eod. l. quæsitum. 9. §. 1. vel alia pignora persequi. s. eod. l. quæ specialiter. 9. III. Si creditor pluris vendiderit pignus, quàm sibi debebatur: retento debito, cogitur residuum debitori restituere. s. eod. l. vlt. & D. de pign. 3 act. l. 6. §. vlt. & l. pen. ¶ Secundus casus est, cùm creditor per suppositam personam pignus emit: quo casu pignus in eadem causa manet, ac debitor potest, oblato debito, id recuperare. s. de distract. pign. l. & 4 qui. 10. ¶ Tertius casus est, cùm creditor extraneo pignus mala fide vendidit, putà vili pretio in debitoris detrimentum. Hoc casu debitor agit pigneratitiâ contra creditorem: aduersus emptorem verò agere nequit, nisi emptor sit doli particeps, & creditor non sit soluendo. l. 1. & 3. & s. de distr. pignor. l. 4. & l. 7. Ne dicas venditionem esse ipso iure nullam: quia dolus non dedit causam contractui, sed incidit in contractum: nec est alter contrahentium ab altero fraudatus, sed præiudicium factum est tertiæ personæ, id 5 est, rei domino. ¶ Quartus casus est, cùm is, qui ius vendendi pignoris habet, illud vendidit non seruatis iuris solemnitatibus, putà non facta debitori denunciatione. Hoc casu venditio reuocatur, data debitori actione contra creditorem vel emptorem fraudis participem. l. 4. ¶ Quintus casus est, cùm is vendidit, qui ius vendendi non habuit. hoc casu debitor potest rem à possessore vindicare, nisi is iam vsucepe- 6 rit. sed postquàm vsucepit, non habet debitor aliud remedium, quàm vt creditorem conueniat actione pigneratitiâ in id quod interest, quo continetur iustum rei pretium. l. 2.

XXX. *De luitione pignoris.*

NOta quintò distractionem pignoris luitione impediri; quia etiam hoc modo pignus soluitur. Pignus autem luitur, cum totum debitum soluitur, vel aliter satisfit creditori, ita vt principalis obligatio in totum ipso iure tollatur. Nam si obligatio naturalis maneat, licèt ciuilis tollatur, vt præscriptione temporis, tamen pignus durat. l. 2. & D. ad S. C. Trebell. l. debitor. 59. in princ. & de except. rei iud. l. penult. §. 1. Rursus cùm pignoris causa sit indiuidua, si pars debiti soluatur, totius rei pignus manet.

XXXI. *Si vnus ex pluribus heredibus creditoris vel debitoris partem suam debiti soluerit, vel acceperit.*

QVod obtinet etiam in pluribus heredibus creditoris vel debitoris: quoniam obligatio principalis tam actiua quàm passiua inter heredes diuiditur ex lege xij. tabularum pro hereditariis portionibus, sed pignora indiuisa manent, nec possunt lui pro parte. l. 1. & 2. & s. tit. prox. l. 1. & D. famil. erciscun. l. his consequenter. 18. §. Celsus. & §. penult. & l. heredes. 25. §. idem obseruatur. & de euict. l. rem hereditariam. 65.

XXXII. *Si pignoris conuentionem numeratio pecuniæ secuta non fuerit.*

SExtò pignus infirmatur per exceptionem non numeratæ pecuniæ: quoniã hæc exceptio, non solùm principalem obligationem excludit, sed etiam pignoris accessionem. l. 1. & 2. & de pign. act. l. solutum. 11. §. si quasi. hîc enim locum habet regula, Cùm principale non consistit, accessorium consistere nequit. D. de diuers. reg. iur. l. nihil dolo. 129. §. 1.

XXXIII. *De iure dominij impetrando.*

SEptimò pignus tollitur, si seruatis iuris solemnitatibus creditor pignus proscripserit, &, cùm emptorem non inueniret, à principe dominium eius impetrauerit post biennium ex quo debitor condemnatus, vel ei denunciatum fuit. triennium tamen ad pignus creditori addictum recuperandum Iustinianus debitori concedit. l. vlt. Expositum est, quibus modis pignus soluitur sequuntur pignorum accidentia.

XXXIV. *De pactis pignorum, & lege commissoria in pignoribus rescindenda.*

PIgnori varia pacta accidunt, vt dictum est D. lib. 20. tit. 1. Species pacti est lex commissoria, quæ in venditionibus probatur, in pignoribus reprobatur, vt exposui D. de commissor. Absolutus est tractatus de pignoribus.

XXXV. *De exceptionibus seu præscriptionibus.*

HVius octaui libri initio notaui possessionem in iudicium cadere, & de ea in iudicio disceptari vel per interdictum, vel per actionem hypothecariam, vel per exceptionem. Quoniam igitur de interdictis, & de actione hypothecaria dictum est: superest,

BIU Cujas

pereſt, vt de exceptionibus dicatur. Huic titulo ſatisfeci D.lib.44.tit.1.

XXXVI. *De litigioſis.*

NOn eſt ignorandum, aliam eſſe exceptionem iuris, aliam facti, vt expoſui D. de excep.t.num.5. Primo loco agitur de exceptione litigioſi, quæ eſt exceptio iuris. hanc declaraui D.hoc tit.

XXXVII. *De contrahenda & committenda ſtipulatione.*

SEcundo loco agitur de exceptione ſtipulationis inutilis, quæ modò eſt iuris, modò facti: quia ſtipulatio eſt inutilis, vel quia ipſo iure non valet, vel quia aliqua exceptione, vt doli, vel metus, infirmatur. Huius exceptionis occaſione pleniùs hîc agitur de ſtipulatione. Quid ſit ſtipulatio, dictum eſt. D. de verb. oblig.num.2. Hoc loco tres eius diuiſiones conſiderantur. Prima diuiſio eſt in vtilem.

XXXVIII. *De inutilibus ſtipulationibus.*

ET inutilem. Eſt autem (vt dixi) inutilis, vel quia ipſo iure non valet: veluti ſi pupillus ſine tutoris auctoritate promiſerit. l.1. aut inter abſentes facta ſit. l.3. vel quia per exceptionem infirmatur, vt doli, aut metus.l.penult.

XXXIX. *De duobus reis ſtipulandi & promittendi.*

SEcunda diuiſio eſt, quòd ſtipulatio vel fit ab vno reo, vel à duobus. Lege notata D.h.t.

XL. *De fideiuſſoribus & mandatoribus.*

TErtia diuiſio eſt in principalem, & acceſſoriam, vt fideiuſſoris, qui pro alio interccdit per ſtipulationem, ſicut mandator per mandatum. De his dixi D.hoc tit.

XLI. *De nouationibus, & delegationibus.*

TErtio loco agitur de exceptionibus facti, id eſt, quæ arguunt ipſo iure non conſiſtere obligationem, & non dari actionem. Prima eſt exceptio nouationis eſt autem nouationis ſpecies obligatio. Lege notata D.hoc tit.

XLII. *De ſolutionibus, & liberationibus.*

SEcunda eſt exceptio ſolutionis ſeu liberationis, de qua dixi D. hoc tit.

XLIII. *De acceptilatione.*

TErtia eſt exceptio acceptilationis, quam expoſui D.hoc tit.

XLIV. *De euictionibus.*

IN calce tractatus de exceptionibus notandum eſt, interdum eum, cui res euincitur, poſſe vel exceptione, ſi quam habet, ſe tueri, vel exceptione omiſſa pati vt ſibi res euincatur, vt deinde contra auctorem ſuum agat de euictione. D.hoc tit. l.vindicantem.17. & ll. ſeqq.

XLV. *Creditorem euictionem pignoris non debere.*

SEd creditor de euictione non tenetur, niſi aut rem vendiderit quaſi ſuam, non iure creditoris tamquàm ſibi pigneratam, aut euictionem ſponte promiſerit, aut dolum commiſerit. l.1.& 2. aut hoc conueniatur, vt actionem pigneratitiam cedat emptori. D.de euict.l.in creditore.38.

XLVI. *De patria poteſtate.*

INitio libri quarti ſeptem conſideranda propoſuimus, contractus, ſucceſſiones manumiſſiones liberalémque cauſam, dominium, poſſeſſionem, patriam poteſtatem, & donationem. quoniam igitur priora quinque iam declarata ſunt: conſequens eſt, vt de patria poteſtate dicatur: de qua diſſoluendæ ſunt quinque quæſtiones. ¶ Primò quæritur, qui poſſint habere liberos in poteſtate. Reſpondetur quatuor requiri, vt aliquis habeat liberos in poteſtate. I. Vt ſit ciuis Romanus: nam hæc poteſtas eſt ciuium Romanorum propria. Inſtit. h. t. §. ius autem. II. Vt ſit maſculus: nam feminæ non habent liberos in poteſtate. ff. de adopt. l. 5. & Inſtitut. eod. §. feminæ. III. Vt ſit pater, vel adſcendes per lineam paternam. vt enim mater non habet liberos in poteſtate, ita nec auus vel proauus maternus. Inſtit. h. t. §. vlt. IV. Vt ſit ſui iuris: nam qui in aliena poteſtate eſt, alium in poteſtate habere non poteſt. D. ad leg. Iul. de adult. l. ſic euenier. 21. ¶ Secundò quæritur, quæ ſint iura parentum in liberos, quos in poteſtate habent. I. Olim habebant ius vitæ & necis: ſed hoc abolitum eſt, adeo vt hodie patria poteſtas magis in pietate, quàm in atrocitate conſiſtere dicatur. l. vlt. & D. de liber. & poſtum. l. in ſuis. 11. in fi. & de le. Pompeia de parricid. l. 5. II. Pater inops filium ſanguinolentum vendere victûs cauſa poteſt. ff. de patrib. qui fil. diſtr. l. 2. III. Quicquid liberi acquirebant, olim acquirebant parentibus, in quorum poteſtate erant: hodie ex cauſa peculij profectitij, plenum dominium; ex cauſâ aduentitij, tantùm vſumfructum, & interdum ne vſumfructum quidem; ex cauſa peculij caſtrenſis, vel quaſi caſtrenſis, nihil patri acquirunt. ff. de bon. quæ lib.l.6.& Inſtit.per quas perſ.nob.acqu.§.1.

XLVII. *De adoptionibus.*

TErtiò quæritur, quibus modis patria poteſtas conſtituatur. Inter hos eſt adoptio, de qua dixi D. h. t. Alius modus eſt procreatio ex iuſtis nuptiis. D. de his qui ſui vel alie. iur. ſunt. l. 3. & Inſtitut. de patr. poteſt. in princ. Tertius modus eſt legitimatio, quam expoſui D. de his qui ſui vel alien. iur. ſunt. num. 2.

XLVIII. *De emancipationibus liberorum.*

QVartò quæritur, quot modis patria poteſtas ſoluitur. Multi modi enarrantur. Inſtit. quib.mod. ius poteſt.ſolu.hoc loco tres modi conſiderantur. Primus modus eſt emancipatio, de qua dixi ad tit. D. de adopt.num.6.& 7.

XLIX. *De ingratis liberis.*

EMancipatio igitur patriam poteſtatem in perpetuum tollit, nec poſſunt parentes liberos ſuos emancipatos inuitos in ſuam poteſtatem retrahere. D.de his qui ſui vel alie.iur.ſunt. l. vlt. niſi ob ingratitudinem, ſi ab eis atroci iniuriâ ſint affecti.l.vn.

L. *De poſtliminio & redemptis ab hoſtibus.*

SEcundus modus eſt captiuitas patris, vel filij. ſed eo ab hoſtibus reuerſo, ius poſtliminij poteſtatem, vt & alia iura reſtituit ipſo iure: immo fingit reuerſum, fuiſſe ſemper in ciuitate, proinde nihil iuris amiſiſſe. Inſtitut. quibus mod. ius poteſt. ſolu. §. ſi ab hoſtibus.

BIU Cujas

hostibus. Redempti verò ab hostibus, non fiunt quidem illi serui redimentium, sed interim, donec pretium redemptionis soluant, quasi quodam pignoris vinculo detinentur. l. 2. & eo pretio soluto beneficium postliminij plenissimum habent. l. 6. Lege de postliminio & redẽptis ab hostibus notata ad ti. D. de captiu.

LI. *De infantibus expositis liberis & seruis, & de his qui sanguinolentos nutriendos acceperunt.*

TErtius modus est, si pater filium infantem sanguinolentum, id est, recèns natum exposuerit alienæ misericordiæ, quam ipse non habet: hic enim amittit patriam potestatem, vt dominus exponens seruum sanguinolentum, id est, recèns natum, amittit dominium, quod in illo habet. l. 2. (Nisi necessitatis causâ propter nimiam inopiam exponat. s. de nupti. l. patrem. 16. facit. l. 2. s. de patrib. qui fil. distrax.) Non propterea tamen is qui expositum suscepit nutriendum, in locum patris vel domini succedit, vt nutritum habeat in sua potestate: sed lex iubet expositum, liberum & sui iuris esse. l. 3.

LII. *Quæ sit longa consuetudo.*

QVintò quæritur, quo iure patria potestas sit introducta. Respondetur eam esse consuetudine receptam. D. de his qui sui vel alie. iur. sunt. l. patre. 8. Hinc occasione sumpta, agitur de consuetudine, de qua dixi ad tit. D. de legib. num. 5. & 6. Hucusque de patria potestate.

LIII. *De donationibus.*

1 EX his, quæ initio libri quarti proposuimus enarranda, tantùm donationes declarandæ supersunt.
2 ¶ De donationibus in genere dixi D. h. t. & ibidem donationis diuisiones attulit: inter quas hæc fuit, quòd omnis donatio vel fit inter viuos, vel mortis causâ. Instit. eod. in princ.

LIV. *De donationibus, quæ sub modo, vel sub conditione, vel certo tempore conficiuntur.*

DOnationi inter viuos tria accidunt. I. Modus, veluti, dono tibi fundum vt certa alimenta præstes. l. 1. II. Conditio, veluti cùm mater filiæ donat sub conditione, si à patre emancipetur. l. vlt. III. Tempus; quia donari potest vel ex certo tempore, vel vsque ad certum tempus. possunt etiam hæc duo coniungi, vt in specie. l. 3. vbi eadem res vni donatur vsque ad certum tempus, & alteri donatur post illud tempus. Potest etiam adiici donationi tempus incertum. l. 2. sed hoc non exprimitur in rubrica, quia conditionem facit. D. de condit. & demonstr. l. dies. 75. proinde sub conditionis vocabulo continetur.

LV. *De reuocandis donationibus.*

DOnatio inter viuos perfecta reuocari temere non potest. Sed donatio sub modo, reuocatur, si modus secutus non sit: & hoc nomine donatori datur tam vindicatio, quàm condictio ob causam. l. 1. & s. de condict. ob caus. l. 2. 3. 8. Donatio conditionalis deficiente conditione corruit, existente conditione purificatur: ergo hoc casu idem de ea est dicendum, quod de donationibus puris mox dicam. Idem dico de donatione ex tempore. Donatio verò ad tempus facta, lapsu temporis finitur. At pura donatio non reuocatur, nisi ob ingratitudinem donatarij. l. 1. & to. tit. & Instit. de donat. §. aliæ.

LVI. *De mortis causa donationibus.*

POstquàm actum est de donationibus inter viuos, rectè agitur de donationibus mortis causâ, de quibus dixi D. hoc tit.

LVII. *De infirmandis pœnis cœlibatus, & orbitatis, & de decimarijs sublatis.*

HIc quoque titulus ad mortis causa donationes pertinet. cùm enim lex Papia cœlibem ex testamento extranei quicquam capere, nisi intra centum dies à morte testatoris matrimonium contraheret, orbum vltra semissem, coniugem ex testamento coniugis vltra decimam vel decimas quas Vlpianus explicat titulo de decimis, capere prohiberet, adeo vt quod suprà dictæ personæ non caperent, confiscaretur: Senatusconsulto effectum est, vt idem obseruaretur in donatione mortis causâ; si fortè cœlibi, aut orbo, aut coniugi, mortis causâ donatum esset. D. de mort. cau. donat. l. fenatus. 35. in princ. propterea quòd huiusmodi donationes legatis rectè comparantur. s. tit. prox. l. vlt. & Instit. de donat. §. 1. Sed cœlibatus & orbitatis pœnæ tolluntur. l. 1. decimarum limitatio. l. 2. adeo vt suprà scriptæ personæ solidum capere tam mortis causâ, quàm ex testamento possint.

LVIII. *De iure liberorum.*

QVod superiori titulo dictum est, virum & vxorem non posse inter se solidum capere, sed tantum decimam vel decimas, non erat perpetuum, sed excipiebantur aliquot casus, quos Vlpianus recenset tit. de solidi capacitate inter virum & vxorem. Inter eos casus ponitur, si coniux à principe ius liberorum impetrauerit. sed Imperatores solidi capacitatem omnibus coniugibus concesserunt. s. tit. prox. l. vn. dato omnibus iure liberorum, vt hoc omnibus competet ipso iure, nec opus sit vt à principe impetretur. l. 1. quam cum d. l. vlt. coniungendam esse inscriptiones & subscriptiones ostendunt. Exposita sunt iudicia ciuilia: deinceps enarranda sunt criminalia, vt initio quarti libri proposuimus.

LIBER IX.

TITVLVS I.

De his qui accusare non possunt.

EXPOSITIO iudiciorum criminalium, 1
quæ hoc libro nono continetur, est quadripertita. Prima pars est de accusatione, qua hæc iudicia instituuntur: secunda de criminum & iudiciorum criminalium variis generibus: tertia de eorum viriis & impedimentis seu remoris: quarta de eorum effectu, id est, de pœnis. ¶ In prima parte de accusatione dis- 2
soluuntur quatuor quæstiones. Prima quæstio est, qui accusare possint, vel non possint. Accusare possunt quicumque non prohibentur. Prohibitionis causæ multæ & variæ sunt. I. Sexus muliebris. II. Ætas pupillaris. III. Militia. IV. Magistratus seu potestas eius, quem in ius vocare non licet. V. Delictum & infamia. VI. Turpis quæstus eius, qui duo iudicia aduersus duos

reos

reos subscripta habet, nummósve ob accusandum vel non accusandum accepit. VII. Status: vt quia libertus non potest patronum suum accusare. D. de accusat. l. qui accusare. 8. VIII. Suspicio calumniæ, vt in eo qui falsum testimoniū dixit. D. eo. l. alij. 9. IX. Paupertas eius qui minus quàm 50. aureos in bonis habet. D. eod. l. nonnulli. 10.

II. *De accusationibus & inscriptionibus.*

SEcunda quæstio est, quomodo accusandum sit. Necessarius est libellus, & accusatoris inscriptio in pœnam talionis, sicut exposui D. h. t. num. 5.

III. *De exhibendis & transmittendis reis.*

1 TErtia quæstio est, qui sint accusationis effectus. Primus effectus est rei accusati exhibitio, de qua dixi ad tit. D. de custod. & exhib. reor. num. 7. & 8.

2 ¶ Secundus effectus est rei transmissio: quæ vel est necessaria, vel voluntaria. Necessariam appello, cùm quis reum, quem ipse punire non potest, ad alium transmittit, qui punire poterit, vt militem ad magistrum militum remittit præses. l. 1. vel præfectus. §. de offic. mag. mil. l. 1. & grauiùs puniendos ad præfectum vrbi remittit præfectus vigilum. D. de offic. præf. vigil. l. vlt. & prætor. D. de suspect. tutor. l. 3. §. sed si non latitet. & Institut. eod. §. sed si præsens. & §. seq. Voluntaria transmissio est, cùm is transmittit, qui potest transmittere, sed ipse punire. vt putà præses eum, qui in alia prouincia deliquit, comprehensum punire potest. §. vbi de crim. ag. opor. l. 1. & D. de custod. & exhib. reor. l. non est dubium. 11. in prin. & nihilominùs etiam potest eum ad præsidem eius prouinciæ, in qua delictum est admissum, remittere siue sponte sua. D. de accusat. l. 7. §. vlt. & de custod. & exhib. reor. l. non est dubium. 11. §. 1. siue ab illo rogatus per literas. D. eod. l. 7. & per ministrum missum vt reum reducat & exhibeat. l. 2.

IV. *De custodia reorum.*

TErtius effectus est rei custodia, de qua dixi D. hoc tit. vbi inter cetera notaui custodiæ appellatione significari publicam custodiam, non priuatam.

V. *De priuatis carceribus inhibendis.*

QVia priuata custodia prohibetur.

VI. *Si reus vel accusator mortuus fuerit.*

QVarta quæstio est, an morte rei vel accusatoris accusatio finiatur. Respondetur finiri. l. 1. 3. & vlt. Nam heres accusatoris crimen persequi non cogitur. D. de accusat. l. Diui. 19. alius tamen eundem reum accusare potest. D. eod. l. 3. §. vltim. & de pub. iudic. l. penult. in princ. Item reus in pœnam non succedit. D. de pœn. l. si pœna. 20. Excipitur I. Crimen perduellionis. §. de hæret. l. 4. §. in mortem. & §. ad leg. Iul. Maiest. l. vlt. & D. eod. l. vlt. & de accusat. l. ex iudiciorum. 20. II. Crimen hæreseos, aut saltem Manichaismi & Donatismi. §. de hæret. d. l. 4. §. in mortem. III. Crimen apostasias. §. de apostat. l. 4. vers. in tantum. IV. Crimen repetundarum. D. de accusat. d. l. ex iudiciorum. V. Si reus conscientiâ criminis mortem sibi conscíuerit. l. 5. & D. de iniu. rup. l. 6. §. eius qui. Quid si reus condemnatus appellauerit, & pendente appellatione mortuus sit? Iudicium extinguitur, nisi specialiter & expressè per sententiam, à qua appellatum fuit, bona accusati vel pars bonorum eius confiscata sint. l. vlt. & §. si pend. appell. mors interuen. l. 3. & D. eod. l. 1. in princ. lucrum autem scelere quæsitum, semper & indistinctè heredi aufertur. D. de calumn. l. 5. in princ. & de iu. fis. l. Lucius. 9. Absolutus est tractatus de accusationibus: consequens est, vt criminum & iudiciorum criminalium genera explicemus.

VII. *Si quis Imperatori malè dixerit.*

CRiminum & criminalium iudiciorū alia sunt publica, alia priuata, siue extraordinaria. Primum crimen publicum est læsa maiestas. Porrò cùm maiestas principis aut dicto, aut facto lædatur: hodie ex dicto seu conuicio in principem prolato, non est iudicium publicum, nec vlla legitima pœna irrogatur, sed res ad principem refertur, vt ipse statuat quod fieri velit.

VIII. *Ad legem Iuliam maiestatis.*

FActa verò puniuntur lege Iulia maiestatis, quam exposui. D. h. t.

IX. *Ad legem Iuliam de adulteriis & stupro.*

SEcundum crimen publicum est adulterium vel stuprum; de quo dixi. D. h. t.

X. *Si quis eam, cuius tutor fuerit corruperit.*

POena stupri regulariter est publicatio dimidiæ partis bonorum, vel corporalis coërcitio cum relegatione, pro qualitate personæ delinquentis. Instit. de public. iud. §. item lex Iulia de adulteriis. §. pœnam. Sed duobus casibus exacerbatur. Primus casus est, si quis puellam stuprauerit, cuius tutor fuit: hic enim bonis omnibus confiscatis deportatur.

XI. *De mulieribus, quæ se seruis propriis iunxerunt.*

SEcundus casus est, cùm mulier seruo suo se iunxit. Nam ipsa capite punitur, ac seruus crematur. l. vn.

XII. *Ad legem Iuliam de vi publica, vel priuata.*

TErtium crimen publicum est vis, de qua dixi D. lib. 48. tit. 6. & 7.

XIII. *De raptu virginum, vel viduarum, vel sanctimonialium.*

QVartum crimen est raptus. Raptum dicimus per- 1
sonarum: rapinam rerum. raptus est crimen publicum; rapina priuatum. de raptu est hic titulus, de rapina titulus 33. quandoque tamen hæc verborum proprietas confunditur: vt hic in l. vn. non semel rapina sumitur pro raptu. ¶ Pœna huius criminis est 2
multiplex. I. Raptæ parentes, fratres, tutores, curatores, maritus, sponsus, dominus, patronus potest deprehensum in flagranti crimine impunè interficere. §. 1. II. Raptor, comites, ministri, & consciij criminis, capite plectuntur. III. Bona raptori, & comitibus qui opem tulerunt auferuntur, si ingenua rapta sit; & vel ipsi raptæ cedunt, si ea in mundo degat; vel monasterio, si sit sanctimonialis. neque autem ceteris ministris & consciis bona adimuntur, licèt capitali supplicio afficiantur, nec vlli personæ, si liberta aut

BIU Cujas

ancilla rapta sit, quamuis hoc etiã casu capitali pœnæ locus sit. §. sin autem post. & §. pœnas. III. Condemnatus non potest appellare. d. §. sin autem post. vers. quibus etsi. IV. Inter raptorem & raptam, matrimonium omnimodò prohibetur. §. nec sit facultas. sed iure Canonico conceditur. ext. de rapt. cap. vlt. Est & illa differentia inter hæc iura, quòd etiam propria sponsa. d. §. 1. vers. connumeramus. & consentiens dicuntur iure ciuili rapi, adeo vt irrogetur pœna raptus. d. §. pœnas. quod iure Pontificio non obtinet. ext. de raptor. cap. penult.

XIV. *De emendatione seruorum.*

QVintum crimen est homicidium: quod punitur lege Cornelia, & constitutionibus ad eam legem factis. Ab ea lege, & eius pœnâ olim dominus, qui seruum occiderat, indistinctè excipiebatur; quia ius vitæ & necis in seruum habebat. D. de his qui sui vel alien. iur. sunt. l. 1. §. vlt. & Instit. eod. §. 1. Sed constitutionibus principũ dominica potestas coarctata est; adeo vt qui seruum suum sine causa occiderit, non minùs puniri iubeatur, quàm si alienum seruum occidisset. D. eod. l. 2. Institut. eod. §. sed hoc tempore. videlicèt si animum occidendi habuerit: at si alia mente percusserit, & percussum mori quandocumque contigerit, dominus non punitur obseruatio namque temporis, intra quod seruus à domino percussus moritur, cuius ratio habetur. Exod. cap. 21. iure ciuili locum non habet: quia domino plena coërcitio serui etiam plagis & verberibus conceditur. l. vn. sic tamen, ne durius eum tractet, quàm vt ferri possit: alioquin bonis conditionibus eum vendere cogitur. d. l. 2. d. §. sed hoc tempore.

XV. *De emendatione propinquorum.*

LEuior castigatio senioribus propinquis in iniores conceditur, qui more patrio leuiora tantùm eorum crimina corrigere possunt, enormia verò delicta notioni iudicum reseruantur.

XVI. *Ad legem Corneliam de sicarijs.*

CEteri homicidæ euiuntur lege Cornelia de sicariis, vt exposui. D. h. t.

XVII. *De his, qui parentes, vel liberos occiderunt.*

SExtum crimen est parricidium, de quo lege notata ad tit. D. de le. Pomp. de parricid.

XVIII. *De maleficis, & mathematicis, & ceteris similibus.*

SEptimum crimen generali nomine caret, multa autem delicta inter se affinia & similia continet, quæ omnia subiiciuntur pœnis legis Corneliæ. Hoc igitur titulo continentur. I. Magi, qui & Chaldæi, & malefici vocantur, incantationibus vtentes. l. 3. 5. 6. 7. 9. II. Mathematici, id est, pseudo mathematici, qui mathematicis disciplinis ad suas impostura abutuntur, vt qui ex aspectu syderum futura prædicere profitentur. l. 2. 5. 7. III. Somniorum interpretes. l. 3. IV. Sacerdotes, qui illicita sacra faciunt. l. 2. & D. ad leg. Cornel. de sicar. l. ex senatusconsulto. 13. V. Harioli, id est, vaticiniorum, vt Sibyllinorum Carminum & Delphicorum oraculorum interpretes. l. 5. & 7. VI. Augures, qui ex auium volatu, pastu, cantu futura diuinant. l. 5. & 7. VII. Haruspices, qui harugis inspectis diuinant. l. 2. 5. 7. Haruga est hostia sic dicta ab hara, in qua concluditur & adseruatur, vt Donato in Phorm. placet, actu. 4. scena. 4. Festus, *Haruga inquit dicebatur hostia, cuius adhærentia inspiciebantur exta.*

XIX. *De sepulchro violato.*

OCtauum crimen est sepulchrum violatum, de quo dixi D. h. t.

XX. *Ad legem Fabiam de plagiarijs.*

NOnum crimen est plagium, de quo dixi D. h. t.

XXI. *Ad legem Viselliam.*

DEcimum est crimen falsi, de quo præter notata ad tit. D. de le. Cornel. de fals. pauca hîc sunt dicenda pro titulorum interpretatione. 1

¶ Ergo falsum committitur primò in statu personæ, cùm libertinus se gerit pro ingenuo, vt honores ingenuarum personarum proprios consequatur. 2

¶ Hîc punitur lege Visellia, cuius mentio fit etiam in l. vn. ff. quan. ciu. act. crim. præiud. & in l. 1. ff. si seruus aut liber. ad decur. adspir. & apud Vlpianum ti. de Latinis. §. militia. Anto. Augustinus fatetur se ignorare, quando hæc lex lata sit. Contius scribit latam esse anno. V. C. 776. Varrone & Sex. Cornelio Conss. 3

¶ Pœna huius legis est pecuniaria cum infamia. 4

¶ Sed in hanc legem non incidit, qui natalibus est restitutus, vel ius aureorum annulorum impetrauit. l. vn. & ff. d. l. 1. Ergo hæc lex omnino est abolita à Iustiniano, qui omnibus libertis hæc ipso iure concessit, quæ olim specialiter à principe impetrare opus erat. No. 78. cap. 1. 5

XXII. *Ad legem Corneliam de falsis.*

SEcundò falsum committitur in testamentis, ceterísque instrumentis, hoc punitur lege Cornelia testamentaria, de qua dixi. D. h. t.

XXIII. *De his qui sibi adscribunt in testamento.*

QVi verò in testamento sibi, vel his quos in potestate habet, legatum adscribit voluntate testatoris, etsi falsum non committit, tamen senatusconsulto Liboniano ad legem Corneliã facto pœnæ falsi subiicitur, vt notaui. D. de le. Cornel. de fals. num. 4.

XXIV. *De falsa moneta.*

TErtiò falsum committitur in moneta, de quo lege, quæ notaui ad tit. de leg. Corn. de fals. D.

XXV. *De mutatione nominis.*

QVartò falsum committitur in nomine. nam qui dolo malo falsum nomen, vel pronomen, vel cognomen assumpsit, pœnâ falsi tenetur. D. de le. Cornel. de fals. l. falsi. 13. in princ. Qui verò sine dolo nomen mutat pœnam non meretur. l. vn.

XXVI. *Ad legem Iuliam de ambitu.*

VNdecimum crimen est ambitus, de quo dixi. D. h. t.

XXVII. *Ad legem Iuliam repetundarum.*

DVodecimum est crimen repetundarum, de quo dixi. D. h. t.

XXVIII. *De crimine peculatus.*

DEcimum tertium crimen est peculatus, de quo dixi. D. lib. 48. tit. 13.

XXIX. *De crimine sacrilegij.*

DEcimum quartum crimen est sacrilegium, de quo dixi. eo. tit. 13.

BIU Cujas

XXX. *De seditiosis, & de his qui plebem contra rempublicam audent colligere.*

DEcimum quintum crimen est seditio, & tumultus. Quod ad pœnam huius criminis attinet, is, qui seditionem excitauit, & plebem collegit, I. Multam grauissimam sustinet, id est, pœnam pecuniariam. l. 1. II. Non fruitur iis, quæ per seditionem impetrauit. l. 2. III. Incidit in legem Iuliam maiestatis. l. 1. §. 1.

XXXI. *Quando ciuilis actio criminali præiudicet, & an vtraque ab eodem exerceri possit.*

CVm varia publicorum iudiciorum genera exposita sint, de his communiter & generaliter notandum est, fieri posse vt ciuilis actio cum publico iudicio concurrat. quo casu quæritur, vtrùm liceat vtroque iudicio vti, an altero intentato, alterum consumatur. Sic autem distinguimus: Aut vtrumque iudicium est vindictæ causâ vt iniuriarum: aut alterum vindictam & vltionem persequitur, alterum est de re familiari. Prori casu is, qui altero iudicio vsus est, alterum postea mouere non potest. & si vtrumque simul moueat, solum publicum iudicium procedit, priuatum autem denegatur. D. de iniur. l. 6. & l. 7. §. 1. Posteriori casu alterum iudicium per alterum non consumitur, sed vtroque vti licet, vt interdicto vnde vi, & lege Iulia de vi. l. vn. Lege, quæ scripsi Methodic. in C. de ordine iudiciorum §. 20. & 21.

XXXII. *De crimine expilatæ hereditatis.*

ACrimĩnibus publicis transit ad priuata extraordinaria: quorum primum est hereditas expilata, de quo dixi D. hoc tit.

XXXIII. *De vi bonorum raptorum.*

SEcundum est rapina, quod exposui D. hoc tit.

XXXIV. *De crimine stellionatus.*

TErtium est stellionatus, quod explicaui D. hoc titulo.

XXXV. *De iniurijs.*

QVartum est iniuria, de quo lege notata D. hoc titulo.

XXXVI. *De famosis libellis.*

INiuriæ species est famosus libellus. Idcirco in D. proponitur, & explicatur cum ceteris iniuriis. eodem titulo.

XXXVII. *De abigeis.*

QVintum est abigeatus, de quo dixi D. hoc tit.

XXXVIII. *De Nili aggeribus non rumpendis.*

SExtum est Ægypti proprium, si quis Nili aggeres, id est, qui Niloticam aquam continent & coërcent, ruperit. hic extra ordinem plectitur pro sua conditione, & delicti qualitate. D. de extraord. crim. l. penult. His aggeribus tribuitur latitudo duodecim cubitorum: ex qua si quis aliquid vsurpauerit, flammis punitur, & criminis conscij deportantur sine spe restitutionis, pro qua supplicare non licet. l. vn. Vbi nihil refert vtrùm legas *valla fluentis*, an *vltra fluenta*. Nam aggeres sunt valla fluentis, & constant duodecim cubitibus vltra flumen, ab vtraque Nili parte. Aliæ lectiones, id est, *vlla fluenta*, vel *valla fluenta*, mihi non arrident.

XXXIX. *De his qui latrones, vel alios criminibus reos occultauerint.*

SEptimum est latronum, & aliorum facinorosorum hominum receptatio siue occultatio: de qua dixi ad titu. D. de receptator. Absoluta est expositio criminum tam publicorum, quàm extraordinariorum.

XL. *De requirendis reis.*

DEinceps considerandæ sunt iudiciorum criminalium impedimenta, & vitia quæcumque, vt iis remotis rectè procedant. Ea verò spectatur vel ex parte rei, vel ex parte accusatoris. In rei persona duo impedimenta spectantur. Primò absentia. Absentes autem modò requirendi annotantur, modò damnantur, vt exposui D. lib. 48. tit. 17.

XLI. *De quæstionibus.*

SEcundò inficiatio, propter quam ad quæstionem peruenire solet, vt docui D. h. t.

XLII. *De abolitionibus.*

ACcusatoris autem vitia & peccata duo considerantur. Primum est, si tergiuersetur, & in totum ab accusatione desistat, vel saltem cunctetur & moretur. Hîc sciendum est, tergiuersationis & cunctationis pœnas cessare, si abolitio criminis facta sit, vt docui D. ad senatusconsult. Turpill.

XLIII. *De generali abolitione.*

ABolitio generalis est, quæ publicè fit, exempli causa ob rem prospere gestam. D. ad senatuscons. Turpill. l. abolitio. 8. & l. seq. & l. si interueniente. 12. Specialis autem est, quæ specialiter vni crimini siue accusationi tribuitur vel à principe. D. eod. l. destitisse. 13. §. 1. & s. ad leg. Cornel. de sicar. l. 5. & ad leg. Cornel. de falsi. l. si docueris. 9. vel à lege. D. ad senatuscons. Turpill. l. aut priuatim. 10. in princip.

XLIV. *Vt intra certum tempus criminalis quæstio terminetur.*

CEssante abolitione punitur accusator, qui vel cunctatur, vel tergiuersatur, & in totum desistit. Cùm enim Imperator velit iudicium criminale biennio finiri. l. vlt. vt ciuile triennio. s. de iudic. l. properandum. 13. meritò, si accusator intra hoc tempus accusationem cœptam persequi supersederit, & multo magis si vltima biennij die non adfuerit, quarta bonorum omnium parte multatur, & infamia notatur. l. 1.

XLV. *Ad S. C. Turpillianum.*

QVi verò tergiuersatur, & in totum ab accusatione desistit, S. C. Turpilliano punitur, quod exposui D. h. t.

XLVI. *De calumniatoribus.*

SEcundum accusatoris vitium est calumnia, de qua dixi D. h. t. Tertium vitium additur in l. 1. D. ad

BIU Cujas

S. C. Turpillianum, præuaricatio, de qua dictum est sub titulo. D. de præuaricat. Absoluti sunt tres tractatus de iudiciis criminalibus: nempe de accusatione, de criminum generibus, & de vitiis & impedimentis tam ex parte rei, quàm accusatoris: superest, vt dicamus de horum iudiciorum effectu, id est, de pœnis.

XLVII. *De pœnis.*

DVo de pœnis considerantur, pœnæ irrogatio, & damnati restitutio. Quod ad pœnam irrogandam attinet, primò datur titulus generalis de pœnis, cui satisfeci D. eod.

XLVIII. *Ne sine iussu principis certis iudicibus liceat confiscare.*

DEinde specialiter agitur de confiscatione bonorum: vbi duæ quæstiones dissoluuntur. Prima quæstio est, qui possint confiscare. Bona confiscantur, vel quia iudex confiscari iussit, vel quia reum affecit ea pœnâ, quam confiscatio bonorum sequitur, id est, pœnâ mortis, aut seruitutis. D. de bon. damnat. l. 1. in princ. Magistratus, qui summam potestatem habent, vtroque modo bona damnatorum publicare possunt, etiam inconsulto principe, vt præfectus prætorio, & præfectus vrbi, qui sunt illustres. inferiores, vt clarissimi rectores prouinciarum, licèt eam pœnam infligere possint, cui tacitè cohæret bonorum confiscatio, vt gladio punire, vel in metallum dare. D. de offic. præsid. l. 6. §. penult. tamen expressè bona confiscandi potestatem non habent. l. vn.

XLIX. *De bonis præscriptorum seu damnatorum.*

SEcunda quæstio est, quorum bona confiscentur. Confiscantur bona, Primò proscriptorum, id est, quorum bona iudex confiscanda pronunciauit expressè, dummodò aut sit illustris, aut permissu principis id fecerit. ſ. tit. prox. l. vn. Secundò damnatorum pœna capitali; nam pœnam capitalem etiam tacente iudice sequitur bonorum confiscatio, exceptis duobus casibus, quos notaui D. hoc tit. num. 2.

L. *De bonis eorum qui mortem sibi consciuerunt.*

TErtiò eorum, qui in reatu constituti, criminis conscientiâ sibi manus intulerunt. Lege notata D. hoc tit.

LI. *De sententiam passis & restitutis.*

POstquàm dictum est de pœnis irrogandis, consequenter agitur de earum remissione, cùm damnati restituuntur à principe. Huic rubricæ satisfeci. D. eod. tit. Absolutus est vnà cum libro nono Codicis, tractatus de iudiciis criminalibus.

LIBER X.

TITVLVS I.

De iure fisci.

IVRA omnia & iudicia à tit. 19. primi libri ad hunc vsque locum, sunt de rebus & personis priuatis: hoc autem libro explicabuntur iura fiscalia, & municipalia. Quapropter huius libri duo sunt segmenta: prius de iure fisci; posterius de iure municipiorum. Prioris segmenti tres sunt partes: prima generalis de iure fisci: secunda de variis causis, ex quibus res ad fiscum pertinent: tertia de rationibus fiscalibus. Prima pars continetur hoc primo titulo, cui satisfeci D. eod.

II. *De conueniendis fisci debitoribus.*

IN secunda parte quinque causæ explicantur ex quibus res ad fiscum deuoluuntur. Prima causa est contractus. Hoc loco considerantur tres contractus. Primus contractus est intercessio: de qua nota, iure Codicis speciale esse in fisco, vt priùs excutere debeat debitorem principalem, quàm conueniat fideiussorem, aliúmve intercessorem, aut extraneum hypothecæ possessorem. l. 1. & D. de iu. fis. l. Moschis. 47. in princ. nam priuatis creditoribus datur electio conueniendi quem velint. ſ. de oblig. & act. l. vlt. & de pignor. l. distractis. 14. l. persecutione. 24. & de fideiussor. l. 4. l. 5. l. reos. 23. etiam contra fiscum. ſ. eod. l. 3. sed hodie etiam priuati coguntur vti hoc ordine, vt primò excutiant reum principalem, deinde fideiussorem, postremò extraneum hypothecæ possessorem. Nou. constit. 4.

III. *De fide & iure hastæ fiscalis & de adiectionibus.*

SEcundus contractus est venditio: de qua nota primò, venditionem publicè fieri hastâ positâ. Festus, *Hastæ*, inquit, *subijciebantur, quæ venumdabant: quia signum præcipuum est hasta.* ¶ Nota secundo, rem addici ei, qui licitatione vincit, id est, plus offerenti. ¶ Nota tertiò, post addictionem alicui factam à fisco, posse alium quempiam intra statuta tempora plus adiicere, ita vt noua licitatio fiat, & res iterum plus offerenti addicatur, siue idem qui antea obtinuit, siue alius licitatione vincat; quamuis post rem à repub. addictam adiectio non admittatur. l. 4. & ſ. de vendend. reb. ciui. l. 1. & D. de iu. fis. l. vlt. & ad municip. l. Lucius. 21. §. vlt. in multis enim est melior conditio fisci, quàm reipub. quia respublica vtitur iure priuatorum. D. qui potior. in pign. hab. l. si pignus. 8. & C. eod. l. 4. 1 2 3

IV. *De venditione rerum fiscalium cum priuatis communium.*

NOta quartò, speciale esse in fisco, vt, si rem cum alio communem habeat, totam vendere possit, quò faciliùs emptorem reperiat, vt notaui ad tit. ſ. de commun. rer. alien.

V. *Ne fiscus rem quam vendidit, euincat.*

NOta quintò, fiscum non posse retrahere, quod bona fide addixit. l. 1. & 2. in hoc igitur comparatur priuatis venditoribus, quibus euincere volentibus obstat exceptio rei venditæ & traditæ. D. de except. rei vendi. l. 1. & to. tit.

VI. *De his, qui ex publicis rationibus mutuam pecuniam acceperunt.*

TErtius est contractus mutui. Nota posse quidem aliquem mutuam pecuniam accipere à ciuitate. D. de Senatusconſ. Macedon. l. nihil. 15. vel à reipub. administratore publicam pecuniam fœnori dante. D. de vsur.

BIU Cujas

de vsur. l. Gaius. 11. sed nec ex arca præfectoria, nec ex thesauris principis mutuari licere. Qui inde mutuum acceperit, quadruplũ restituit. l. 1. Qui hinc mutuum sumpserit, in exilium bonis confiscatis mittitur. l. 2. Hactenus de contractibus.

VII. *Pœnis fiscalibus creditores præferri.*

SEcunda causa est crimen, ex quo vel bona confiscantur, vel multa fisco defertur. Nota fiscum, qui regulariter aliis creditoribus præfertur, in pœnis exigendis postponi ceteris; quod iam exposui ad tit. de priuileg. fis.

VIII. *De fiscalibus vsuris.*

COmmuniter de suprà dictis causis, id est, de contractibus & delictis duo notentur. Primò, vsuras fisco ex contractu deberi etiam ob nudum pactum sine stipulatione. D. de vsur. l. Herennius. 43. (nec mirum cùm etiam ciuitati debeantur. D. eod. l. etiam. 30.) videlicèt vsuras semisses. l. vlt. ex crimine & pœna non deberi. l. 1.

IX. *De sententijs aduersus fiscum latis retractandis.*

SEcundò, rem contra fiscum iudicatam retractari ex causa intra triennium, non post triennium, nisi ob præuaricationem, aut manifestam fraudem. l. vn. aut noua instrumenta reperta. D. de re iudica. l. Imperatores. 35. Expositæ sunt duæ causæ, ex quibus res ad fiscum pertinent, videlicèt contractus, & delicta.

X. *De bonis vacantibus, & de incorporatione.*

TErtia causa est, si quis sine herede decesserit, hoc enim casu dicuntur bona vacantia, & ad fiscum pertinent. l. 1. l. 4. & ĩ. de præpos. sacri cubiculi. l. 4. vers. in testatorum. ex lege Iulia. D. de lega. j. l. quidam. 96. §. 1. De his bonis vacantibus tria proponuntur: quorum primum est incorporatio. Incorporare est rebus fiscalibus addere, & quasi in vnum corpus redigere atque coniungere.

XI. *De delatoribus.*

1 SEcundum est delatio, quæ tamen ad alias quoque causas præter bona vacantia producitur. nam delator est, qui rem ad fiscum pertinentem voluntariè. l. 2. non officij necessitate coactus. d. l. 2. & D. de his quæ vt indign. l. 5. §. aduocatum. præmij causâ, non aduersarij vlciscendi gratia. D. de iur. fis. l. 2. in princ. nec reipubl. nomine. l. 4. & d. l. 2. in princ. nec vt causam suam defendat. l. 3. & D. de iu. fis. l. delator. 44. nec in crimine læsæ maiestatis. l. vltim. §. hæc cùm generaliter. fisco nunciat. d. l. 4. Idem vocatur accusator, præsertim si crimen publicum deferat. D. de iu. fis. l. senatus. 15. in princ. l. deferre. 18. §. item eos. vers. iidem decreuerunt. & quadruplator; quia quartam partem eorum, quæ in fiscum rediguntur, plerumque pro præmio accipit. Ascon. in diuinat. &
2 Verr. 3. Festus in verbo *quadruplatores*. ¶ Nota primò alios cogi deferre, vt palatinos l. vlt. §. schola. alios omnino prohiberi, vt mulieres, viros clarissimos, milites, veteranos. D. de iu. fis. l. deferre. 18. alios non omnino à delatione arceri, sed tantùm prohiberi ne quasdam personas deferant; vt filius non potest deferre patrem vel matrem, libertus patronum, seruus dominum. l. vlt. §. 1. alios pro libitu posse deferre, vel non deferre. l. 2. & d. l. vltim. §. schola. & D. de iu. fis. l. res quæ. 22. §. vlt. ¶ Nota secundò aliquem deferre vel 3
per se, vel per alium, nam & mandator perinde tenetur, ac delator. D. de iu. fis. l. 1. in princ. l. 2. §. Diuus Pius. l. senatus. 15. §. 1. l. res quæ. 22. §. vlt. & ll. seqq. ¶ Nota tertiò aliquem deferre vel alios, vel semet- 4
ipsum. D. de iu. fis. l. 1. in princ. l. edicto. 13. l. senatus. 15. §. senatus. ¶ Nota quartò varias esse causas, ex qui- 5
bus fit delatio. Nam Callistratus in l. 1. in princ. D. de iu. fis. tredecim causas enumerat. I. Si fideicommissum incapaci sit tacitè relictum. II. Si heres sit indignus hereditate, vt quia non vindicauit necem defuncti, aut testatorem infirmum neglexit vt moreretur. III. Si princeps sit heres institutus, & in eius fraudem testamentum vel codicilli surrepti dicantur. IV. Si quis dicatur thesaurum inuenisse, qua de re dicam ad tit. ĩ. de thesauris. V. Si rem magni pretij comparauit à fisco vili pretio. VI. Si fiscus præuaricatione victus dicatur. VII. Si quis conscientia criminis & metu pœnæ sibi mortem consciuerit. VIII. Si defunctus dicatur obnoxius crimini perduellionis, vel alij, quod morte non extinguitur. IX. Si domus destructa sit negotiationis causâ, id est, vt tigna seorsum & particulatim distrahantur. X. Si quis accusationem institutam deseruerit, qua de re dictum est ad tit. de Senatusconsulto Turpilliano. XI. Si res litigiosa vænierit: de qua dictum est in tit. D. de litigios. XII. Si pœna fisco debeatur ex priuato contractu, veluti si præses fundum in prouincia cui præest, emerit. D. eod. l. aufertur. 46. §. quod à præside. XIII. Si quis in commissum inciderit, vt ob vectigal non solutum. ¶ Nota quintò delationi bonorum vacan- 6
tium præscribi quadriennio, quod computatur ex die, quo certum esse cœpit nullum esse successorem, ideòque bona esse vacantia. s̃. de quadr. præscript. l. 1. & D. si quis omiss. cau. testam. l. 6. §. certè. & de diuers. tempor. præscript. l. intra. 10. & de iu. fis. l. 1. §. Diuus. delationi autem ex causa commissi præscribi quinquennio. s̃. de vectigal. & commis. l. 2. ceteræ causæ fiscales finiuntur præscriptione viginti annorum. D. de requir. vel absentibus damn. l. 3. & de iu. fis. l. 1. §. præscriptio. ¶ Nota sextò delatorem non admitti, 7
nisi dato fideiussore ad summam quinque librarum auri caueat se dilationem executurum & probaturum. hoc enim cauetur Græca constitutione, quam Contius refert ad tit. s̃. de offic. com. rer. priuat. Cuiacius verò ad tit. de offic. diuers. iudic. & siue in hoc siue in illo titulo, est ordine secunda. ¶ Nota septimò 8
rebus delatis neque sigilla imprimi, neque aliquid innouari ante latam sententiam. d. l. 2. §. vltim. ¶ Nota 9
octauò delatorem puniri, I. Si delatio prohibita sit, vt serui contra dominum. l. 6. & 7. II. Si sine aduocato fisci denunciet. l. 5. nam aduocatus fisci & delator hac in parte iuris ita iunguntur, vt alter sine altero nihil facere possit. d. l. 5. & l. vlt. in princ. III. Si calumnietur, aut tergiuersetur, non probans, aut non persequens institutam denunciationem. d. l. vltim. §. penult. quemadmodum si delationem peregerit & probauerit, præmio afficitur, quartam partem pro præmio plerumque accipiens, vt s̃. notaui. ¶ Nota 10
nonò, delatum, qui dato pretio cum delatore paciscitur, vel eum corrumpit, pro confesso haberi. D. de iur. fis. l. 4. & l. eius. 29. in princ.

BIU Cujas

XII. *De petitionibus bonorum sublatis.*

TErtium est conceſſio, de qua tres quæſtiones diſſoluuntur. Primò quæritur, an bona vacantia, vel commiſſa, vel ſimilia, ſint petentibus concedenda. Horum petitio iure reprobatur, quamuis ſine petitione concedi poſſint. l. 1. & 2. hic enim habet locum, quod dicitur in l. 1. §. proinde. D. de extraordin. cognit. multa honeſtè accipi, quæ non honeſtè petuntur.

XIII. *De ijs qui ſe deferunt.*

SEcundò quæritur, an ſint concedenda iis qui ſe deferunt. Finge fideicommiſſum tacitè relictum eſſe incapaci. Si heres ſe deferat, trientem omnium bonorum habet pro præmio. Si fideicommiſſarius, dimidiam partem aſſis, ſi nondum quicquam reſtitutum ſit? vel dodrantis, ſi dodrans ei fuerit reſtitutus. l. vn. & D. de iu. fiſ. l. edicto. 13. & l. pen.

XIV. *Si imperialis liberalitatis ſocius ſine herede deceſſerit.*

TErtiò quæritur quis ſit conceſſionis effectus. vbi notatur, ſi princeps duobus ſimul & communiter aliquid donauerit, & eorum alter ſine herede deceſſerit, non ei ſuccedere fiſcum, vt aliàs fieri ſolet, ſed donationis conſortem ſeu ſocium. l. vn. Expoſitæ ſunt tres cauſæ, ex quibus res ad fiſcum pertinent.

XV. *De theſauris.*

QVarta cauſa eſt inuentio theſauri, cuius dimidia pars ad fiſcum pertinet. Sed vt hoc obtineat, multa requiruntur. I. Vt ſit theſaurus propriè dictus, qui nihil aliud eſt, quàm pecunia ante omnem memoriam depoſita, cuius dominus ignoratur. vel, Vetus quædam depoſitio pecuniæ, cuius memoria non extat, vt iam dominum non habeat. D. de acquir. rer. dom. l. numquam. 31. §. 1. vbi depoſitio pecuniæ accipitur pro re depoſita, vel, Depoſitiua pecunia, quæ longa vetuſtate dominum amiſit. Caſſiod. lib. 6. Variar. cap. 8. nam theſaurus, qui dominum habet. D. ad exhib. l. theſaurus. 15. & de acquir. poſſeſſ. l. peregre. 44. in princ. non eſt. propriè theſaurus. D. de iu. fiſ. l. 3. §. vlt. nec eius pars ad fiſcum pertinet. II. Vt ſit inuentus in loco fiſcali, vel publico, vel principis, vel religioſo, vel in monumento. d. l. 3. §. penult. nam qui in loco ſuo inuenit, totum ſibi acquirit. d. l. 3. §. vlt. qui in alieno, ſi caſu fortuito inuenit, partitur cum domino fundi; ſin autem data opera inuenit totum domino fundi reſtituit. l. vn. & Inſtit. de rer. diuiſ. §. theſauros. III. Vt ſi in loco religioſo inuenerit, is locus ad ipſum inuentorem non pertineat: alioquin perinde totum theſaurum lucraretur, ac ſi in ſuo fundo inueniſſet. d. §. theſauros.

XVI. *De annonis & tributis.*

1 QVinta cauſa eſt collatio, ex qua ſubditi paſſim vocantur collatores, quia conferunt in publicum annonas, tributa, canonem largitionalium titulorum, operas, coëmpta, de quibus ſingulis ordi-
2 ne dicendum eſt. ¶ Inter annonas & tributa diſcrimen eſt, quòd annonæ conſiſtunt in ſpeciebus, vt frumento, vino, oleo, ſale, pane, carne, tributa (quæ & contributiones dicuntur. ff. de apoch. publ. l. 1. & D. de adminiſt. tut. l. ſine herede. 32. §. penult. & in tributiones. D. de muner. & honor. l. penult. & vlt. & de veteran. l. penult.) incorporibus, vt auro, argento, ære, equis, veſtibus. ſæpe tamen tributi vocabulum latiùs accipitur, vt etiam annonas complectatur. C. Th. lib. 11. tit. 2. ¶ Tributorum duo ſunt 3
genera. nam alia ſunt ſoli, alia capitis. illa imponuntur fundo: hæc, perſonæ. D. de cenſib. l. vlt. §. Diuus Veſpaſianus. ¶ Rurſus tributorum & annonarum 4
alia ſunt conſuetudinaria ſiue ordinaria. ſiue ſolemnia, alia extraordinaria. l. 5. & ff. tit. prox. l. 1. Athalaricus rex apud Caſſiod. lib. 9. var. cap. 16. *Per quartam feliciter indictionem, quicquid à vobis ſupra conſuetudinariam functionem augmenti nomine vel petebatur vel conſtat exactum, liberalitas noſtra concedit.* ¶ Finis anno- 5
narum & tributorum eſt, vt princeps exercitus alere ac rempub. tueri poſſit. ff. de exactor. tribut. l. 2. in fin.

XVII. *De indictionibus.*

ANnonis & tributis duo accidunt, indictio, & 1
exactio, quorum vtrumque fit auctoritate principis. Indictio præcedit: exactio ſequitur. indictio collatoribus onus iniungit, & ab eis dicitur depoſcere: exactio verò ad ſoluendum compellit. ff. tit. prox. l. vn. ¶ Nota primò, *indictionem* eſſe verbum homo- 2
nymum: quia modò ſignificat iniunctionem oneris, modò ipſum onus, quod iniungitur. ff. tit. prox. l. 3. vbi indictio ſumitur pro indicto, vt pactio pro pacto, & id genus cetera. ¶ Nota ſecundò ex hac indictio- 3
ne cœpiſſe annos numerari ſub Conſtantino, vt Onuphrius probat ex Faſtis Græcis, in quibus ad conſulatum Conſtantini II. & Licinij II. adſcriptum eſt, Ινδικτίονων Κωνσταντινιανῶν ἐντεῦθεν ἀρχή. Onuphrij ſententiæ, motus horũ Faſtorum auctoritate, ſubſcribit Cuiacius quamuis Cedrenus ad Theodoſij magni tempora initium huius conſuetudinis referat. ¶ Nota 4
tertiò indictionum dinumerationem ſumere initium à Kal. Septembr. ff. tit. prox. l. vlt. & ff. de milit. teſt. l. 1. & No. 128. in princ. Hodie tamen tabelliones imperiales indictionem inchoant ſub æquinoctium autumnale, id eſt, 8. Kal. Octobris: pontificij verò 8. Kal. Ianuarias, vt cum annis Chriſti magis conueniat. ¶ Nota quartò indictionum numerum non excedere 5
quindecim, ſed recurrere, ita vt pro decima ſexta dicatur iterum indictio prima, & pro decima ſeptima dicatur ſecunda, & ita deinceps. No. 147. cap. 1.

XVIII. *De ſuper indicto.*

SVperindictum eſt ordinariæ indictionis augmentum extraordinarium. Hactenus de indictione: conſequenter dicamus de exactione.

XIX. *De exactoribus tributorum.*

DE exactione tributorum primò quæritur à quibus exigantur. Ad ea exigenda palatini mittuntur ex ſcrinio canonum, qui vocantur exactores, vt in hac rubr. Græcè ἀκολουθητορες. No. 134. cap. 2. & No. 147. cap. 1. vel παρακτορες. Nou. 30. cap. 2. 3. 4. vel ἀπαιτηταί. d. Nou. 30. cap. 3. vel retento Latino vocabulo ἐξάκτορες. Nouuel. 128. cap. 8. Item appellantur canonicarij. l. vltim. & d. Nouuel. 128. cap. 6. & ſcriniarij. d. Nou. 135. cap. 2. in fi. & d. Nouuel. 147. cap. 2. Item διοικηταί. Nou. Leo. 61. Item ſuſceptores. ff. de apochis publ. l. 1. Specialiter autem, qui militares annonas exigunt, opinatores vocantur, quia opinionem, id eſt, agri cenſum exigunt. l. 7. & ff. de erogat. mil. anno. l. opinatoribus. 11. l. his ſcholaribus. 14. à quibus differunt

optiones.

BIU Cujas

optiones. hi namque non exigunt, sed ab opinatoribus exactam annonam militibus distribuunt. ĩ. eod.l. excellentia. 9. & ĩ. de apoch. publ. l. 3. & Nouel. 130. Nouel. Martia. 2. Si collatores exactoribus non soluerint, ex d.l. vltim. mittuntur compulsores, quos mitti prohibet. d. Nouel. 128. cap. 6. Illi autem mittuntur vel à comite domorum, aut præposito sacri cubiculi. Nou. 30. vel à comite priuatarum. Cassiod. lib. 6. cap. 8. Cuiac. in Nou. 128.

XX. *De superexactionibus.*

SEcundò quæritur quantum exigi debeat. Non plus exigi debet, quàm contineatur eâ notitiâ, quæ appellatur delegatio. s̃. de anno. & trib. l. 4. Sudas in verbo διλεγατίων. vel descriptio. ĩ. de apoch. publ. l. 1. & διατύπωσις. Nouel. 128. quæ manat à principe. d. l. 4. & mense Iulio vel Augusto (quoniam sequenti mense indictionis annus incipit, vt s̃. docui (insinuatur apud acta præfectorum prætorio: deinde anni initio à præfectis prætorio mittitur ad præsides prouinciarum: & à præsidibus proponitur in singulis ciuitatibus: vt omnes & singuli sciant, quantum conferre oporteat. d. l. 1. & d. Nou. 128. in princ. Huic descriptioni nec addere, nec detrahere licet. d. l. 4. Quòd si vltra debitam quantitatem exactor aliquid extorserit, in duplum id restituit: &, si in hoc crimine perseueret, capite punitur. l. vn. Ex constitutione autem Leonis. 61. ex primo delicto tenetur in duplum: ex secundo in quadruplum, & ab officio remouetur cum infamia: ex tertio, capite plectitur.

XXI. *De capiendis & distrahendis pignoribus tributorum causâ.*

TErtiò quæritur quomodo tributa exigantur, seu quomodo collatores ea soluere cogantur. Pignora capiuntur. l. 2. & distrahuntur. l. 1. vel curiæ cum onere soluendi tributi addicuntur. ĩ. de exactor. tribut. l. penult. Exactor autem, qui sciens tributum ab aliquo non deberi, pignus cepit & vendidit, furti tenetur. s̃. de furt. l. etiam. 8.

XXII. *De apochis publicis, & de descriptionibus curialibus.*

1 QVartò quæritur quomodo caueatur collatoribus, ne bis eadem tributa soluant. Cauetur apochis publicis, quæ & securitates vocantur. l. 1. 2. 3. quia debitori eiúsque patrimonio securitatem tribuunt. Cassiod. lib. 11. cap. 7. *Meritò testimonium solutionis securitas dicitur, de quo non solum animus, sed substantia communitur.* & recauta. Nouel. 130. cap. 1. Augusti de cura pro mortuis, *Vbi esset recautum, quo illa cautio vacuata fuerat, indicauit.* Sudas, Ῥεκοῦπτον (sic legendum, non, vt in libris editis, ῥεκοῦμον) παρὰ Ῥωμαίοις, ἀποχῆς εἶδος. Posteriores vocarũt euacuatorias vt quandoque Græci ἀκυρωσίας, quia per eas obligatio euacuatur & infirmatur. Cuiac. hîc. Item appellantur ἀποδείξεις. in Nouellis passim: vbi vetus interpres vertit, *de susceptâ.*

2 ¶ Quintò quæritur quomodo collatoribus prospiciatur ne vltra debitum exigantur. Prospicitur descriptionibus, de quibus paulò antè dixi ad tit. de superexactionibus. Hæ vocantur descriptiones curiales: quia cuiusque curialis, id est, collatoris nomen, & modus collationis definitur. l. 1. Hactenus de tributis.

XXIII. *De canone largitionalium titulorum.*

DIctum est tit. 16. conferri in publicum à subditis annonas, tributa, canonem, operas, & coëmpta: quoniam igitur actum est de annonis & tributis, ceteras collationes breuiter pro ratione nostri instituti percurramus. Canon largitionalium titulorum est, qui ex more infertur thesauris, vel priuato ærario, ex quo princeps dona & largitiones publicè priuatimve facit, & necessaria comparat. ĩ. de cupress. l. 2. & ĩ. de metal. l. 1. vel exequitur. ĩ. de pri. dom. Aug. l. vltim. Idcirco idem dicitur comes thesaurorum, sacrarum largitionum, & sacrarum remunerationum seu munerationum. ĩ. de commea. l. 2. & de palat. sacrar. largit. l. palatinos. 10. & C. Th. de appellat. l. rationales. 41. Cuiacius hîc.

XXIV. *Ne operæ à collatoribus exigantur.*

DE operis nota, alias illicitè exigi. l. vn. veluti vt rusticus equos prosequatur. ĩ. ne rustica ad vlt. obseq. deuoc. l. 1. aut alia seruitia præstent. ĩ. eod. l. 2.

XXV. *De immunitate nemini concedenda.*

ALias licitè exigi, & quidem neminem ab his excusari, veluti ad Nili aggeres reparandos. l. 2. & ad portum, aquæductus, murorum instaurationem vel extructionem. s̃. de operib. public. l. 6.

XXVI. *De conditis in publicis horreis.*

DE coëmptis nota primò subditos cogi fisco vendere species annonarias. ĩ. de quibus mun. vel præstat. nem. lic. se excus. l. 1. & 3. & C. Theod. de publ. compar. l. 2. Cuiac. lib. 1. Obseru. cap. 35. frumentum verò ita coëmptum reponi in publicis horreis, vt inde vsui publico vel exercitui seruiat, sed ita vt antea vetus, quàm nouum frumentum insumatur. l. 1.

XXVII. *Vt nemini liceat in coëmptione specierum se excusare, & de munere sitoniæ.*

NOta secundò, hoc onus vendendi frumenti appellari coëmptionem, vt in hac rubrica, & in l. 2. ĩ. de frum. vrb. Constant. seu synoneton. C. Theod. de public. compar. l. 1. à Suda σωωνῶν, à quo onere nemo excusatur l. 1. & ĩ. de quib. muner. vel præstat. nem. lic. se excus. l. 1. & 3. 1

¶ Nota tertiò, munus emendi à prouincialibus frumenti appellari in hac rubr. sitoniam ἀπὸ τοῦ σίτου, id est, à frumento. Inde sitonæ dicuntur, quibus cura frumenti comparandi incumbit, quod quidem munus personale est. D. de muner. & honor. l. 1. §. personalia. l. munerum. 18. §. cura. à quo ætas septuaginta annorum, vel numerus quinque incolumium liberorum excusat. D. eod. l. 3. §. cura. 2

XXVIII. *De collatione donatorum, vel releuatorum, aut translatorum, seu adæratorum.*

POstquàm egimus de iis quæ conferuntur, iam dicamus de fundis, quibus onus collationis impositum est. His accidunt quatuor, quæ in hac rubrica proponuntur, & à principe manant: donatio, releuatio, translatio, & adæratio. Nam princeps interdum

dum donat possessionem dempto canone, quandoque releuat fundum ab onere tributi, aliàs transfert ex vna functione in aliam, nonnunquam adærat, id est, æstimat, & pecuniâ taxat, quod in annonis conferebatur. In his omnibus fundis donatis, releuatis, translatis, adæratis, iubent Imperatores Theodosius & Valentinianus. l. vn. seruari dispositionem Antiochi præfecti prætorio, cuius definitionem extare in l. vltim. Theodos. hoc tit. Cuiacius notat. Hæc igitur seruatur in donatis, releuatis, translatis, & adæratis.

XXIX. *De collatione æris.*

NOn est autem existimandum adærationem hoc efficere vt omnimodo æs præstetur. nam & quæ prouinciæ æs præstant, vt Cyprus, vice æris possunt iustam æstimationem inferre. quod & in argento obtinet. Itaque liberum collatoribus est, æs, vel argentum; aut æstimationem eius soluere. Æstimantur autem 20. æris libræ vno auri solido: & argenti libra quinque solidis. l. vn. & ℈. de argen. pretio. l. vn.

XXX. *De discussoribus.*

IVris fiscalis expositio tripertita est, vt tit. 1. exposui. quoniam igitur absoluta est prima pars de iure fisci in vniuersum; & secunda de causis, ex quibus aliquid ad fiscum pertinet: superest tertia de rationibus fiscalibus, quæ examinandæ sunt à discussoribus. Hi Græcè vocantur λογοθέται. nec aliter quàm ex speciali iussu principis creari possunt. l. vlt. Hîc est finis tractatus de iure fiscali: consequenter dicendum de iure municipali.

XXXI. *De decurionibus, & filiis eorum: & qui decuriones habentur, quibus modis à fortuna curiali liberentur.*

1 TRactatus de iure municipali est bipertitus: prior pars est de personis, posterior de muneribus & honoribus. Personæ municipales aut sunt decurio-
2 nes, aut simpliciter munipies. ¶ De decurionibus nota primo qui sint decuriones, quod exposui. D. hoc t.
3 ¶ Nota secundò varia priuilegia tribui non solùm decurionibus, sed etiam eorum filiis, vt ibid. notaui.
4 ¶ Nota tertiò decuriones à curiali conditione liberari variis modis, qui proponuntur in l. vlt.

XXXII. *Si seruus, aut libertus ad decurionatum adspirauerit.*

NOta quartò nec seruum. l. 2. nec libertum, nisi ius aureorum annulorum sit consecutus, aut natalibus restitutus posse fieri decurionem. l. 1.

XXXIII. *De prædiis curialium sine decreto non alienandis.*

NOta quintò decuriones in hoc comparari minoribus, quòd non possunt prædia sua vendere, nisi decretum præsidis, vel eius qui vices præsidis obtinet, causâ cognitâ alienationem permittat. l. 1. & ℈. de officio eius qui vicem alicuius iudicis obtinet. l. 2. sed eo distingui, quòd possunt ea sine decreto donare, vel permutationis aliáve quauis præter venditionem causa alienare. l. vlt.

XXXIV. *Quando, & quibus quarta pars debetur ex bonis decurionum, & de modo distributionis eorum.*

NOta sextò, si curialis habeat liberos curiæ obnoxios, his omnino iure Codicis deberi quartam partem ex bonis paternis, nec satis esse, si eis relinquatur ea pars, quæ excludit querelam inofficiosi, id est, iure Codicis quadrantem, ex Nouel. 18. trientem vel semissem legitimæ portionis. l. vltim. Quòd si curiali nulli sint liberi, tunc quarta illa bonorum pars ipsi curiæ debetur. l. 1. Hodie pro quarta parte est dodrans ex Nouel. 18. cap. 2. & Nouel. 38. & Nouel. 89. c. 5. Finge exttaneum heredem institutũ esse à curiali. modus distributionis bonorum hic est iure Codicis, vt curia quadrantem accipiat, extraneus heres dodrantem: sed iure Nouellarum è contrario heres habet quadrantem curia dodrantem.

XXXV. *De imponenda lucratius descriptione.*

NOn solùm autem partem bonorum heredi non curiali aufert curia: sed etiam ex sua portione iugationes singulas eidem curiæ hæres non curialis quatuor siliquas præstare cogitur. l. vn. est autem siliqua, vicesima quarta pars solidi; proinde quatuor siliquæ sextam solidi partem conficiunt. Ab hoc onere quatuor siliquarum eximuntur. I. Res mobiles, aut se mouentes. II. Tituli onerosi, tantum enim lucratiuis imponitur. Lucratiui tituli sunt hereditas, legatum, fideicommissum, mortis causa vel inter viuos donatio, onerosi sunt emptio, permutatio, dos, donatio propter nuptias. III. Heredes curiales. IV. Heredes, qui sunt in numero parentum, aut liberorum ipsius defuncti, licèt curiales non sint: tantùm enim extraneis hæc descriptio imponitur. d. l. vn. V. Ecclesiæ & alia loca pia. ℈. de sacros. eccles. l. sancimus res. 22. & Nouel. 131. cap. 5.

XXXVI. *De præbendo salario.*

NOta septimò decuriones nemini posse salarium constituere sine iussu principis. l. vn.

XXXVII. *Si curialis relicta ciuitate rus habitare maluerit.*

NOta octauò non licere decurioni ciuitatem relinquere, & ruri habitare. Pœna secus facientium est ruris confiscatio. l. vn. Hucusque de decurionibus.

XXXVIII. *De municipibus originarijs.*

COnsequenter agitur de municipibus, qui (vt exposui D. ad municipal. num. 2.) partim sunt originarij.

XXXIX. *De incolis, & vbi quis domicilium habere videatur, & de iis qui studiorum causâ in alia ciuitate degunt.*

PArtim voluntarij, vt incolæ. Incolæ autem dicuntur (vt eodem loco notaui) ratione domicilij. l. 5. 6. 7. Hinc quæritur, vbi quis domicilium habeat. Ibi quis

BIU Cujas

quis domicilium habere dicitur, vbi larem, rerúmque ac fortunarum suarum summam constituit: vnde rursus non sit discessurus, si nihil auocet: vnde si profectus est, peregrinari videtur: quò si rediit peregrinari desiit. l. 7. Sed nec is qui studiorum causâ aliquo loco moratur, nisi decem annis transactis eo loci sedes sibi constituerit, nec eius pater frequenter ad eum commeans, domicilium ibi habere creditur. l. 2. Cetera de domicilio vide d. tit. D. ad municipal. Hactenus dictum est de personis municipalibus deinceps videamus de muneribus & honoribus, quos hæ personæ subeunt.

XL. *De honoribus, & muneribus non continuandis inter patrem & filium & de interuallis.*

DIfferentiam honoris & muneris, & quid vtrumque sit, exposui ad tit. D. de muner. & honor. De his in præsentia duplex tractatus instituitur, alter generalis, alter specialis. Constat autem tractatus generalis tribus partibus. Prima pars est de diuisione in personalia & patrimonialia. Omnis honor est personalis munus autem partim est personale, partim patrimoniale, vt docui d. tit. D. de mun. & honor. num. 2. De honore & munere personali nota neminem posse honorem aut munus continuare, immo nec inter patrem & filium continuationem honoris vel muneris admitti, quia pro vna persona habentur. l. 1. si modò alij idonei reperiantur, quibus iniungi possit. D. de muner. & honor. l. honor. 14. §. vlt. Sed post temporis interuallum iure constitutum potest alicui idem vel alius honor deferri, aut munus iniungi. Tempus autem varium est. nam ab honore ad eundem honorem datur quinquennij vacatio, ad diuersum triennij. legatione autem perfunctis, biennij vocatio concessa est. l. 2. Eandem triennij & quinquennij distinctionem in muneribus adhibendam censet Cuiacius arg. l. 5. D. de muner. & honor.

XLI. *De muneribus patrimoniorum.*

DE muneribus autem patrimonialibus nota primò ea esse ab omnibus præstanda. l. 2. etiam ab iis qui immunitatem simpliciter sunt consecuti; quoniam ea immunitas coangustatur ad munera personalia. l. 3. Opus igitur est, vt patrimonialia nominatim à principe remittantur. D. de vacat. & excusat. mun. l. sunt munera. 11. Idem obtinet etiam in munere tutelæ, licèt sit personale. D. de excusat. l. spadonem. 15. §. qui accepit. l. non tantùm. §. eos qui, & §. seq.

XLII. *Quemadmodum ciuilia munera indicuntur.*

1 NOta secundò alia esse munera ordinaria, quæ ex ordine indicuntur, id est, quæ quisque suo ordine subire cogitur. ſ. tit. prox. l. 1. & D. de muner. & honor. l. 3. §. eos. & §. præses. & de legationib. l. 7. l. vicarius. 13. alia extraordinaria, quæ extraordinem omnibus indicuntur, vt angariæ belli tempore. ſ. tit. prox. l. vlt. & ſ. de sacrosanct. eccles. l. neminem. 11. & j. de vacat. public. mun. l. vn. & D. de muner. & honor. l. cui muneris. 12. & de vacat. & excus. mu-
2 ner. l. in honoribus. 8. §. qui muneris. ¶ Omnibus autem commune est, vt pro modo fortunarum, non vltra vires patrimonij singulis indicantur. l. vlt. & ſ.
3 tit. prox. d. l. 1. ¶ Ad hæc nota verbum *ciuilia* in hac rubrica esse epithetum munerum. nam munus, munus ciuile, & munus publicum, vnam & eandem rem significant. D. de muner. & honor. l. vlt. §. hæc omnia. vnde nihil refert, vtrùm in seq. rubr. legas *munera*, an *publica munera*: cùm alij Codices aliam scripturam habeant. Hactenus prima pars tractatus generalis de muneribus & honoribus.

XLIII. *De his qui sponte publica munera subeunt.*

SEcunda pars est de immunitate, id est, vacatione munerum, de qua quatuor quæstiones dissoluuntur. Prima quæstio est, si immunis sponte sua munus subeat, an sibi præiudicium faciat, & immunitatem amittat. Qui decurionem se fieri passus est, immunitatem amittit. D. de iu. immun. l. penult. §. vlt, nisi de immunitate seruanda pactus sit, aut partem tantùm decurionatus adgnouerit, putà ad aliquos honores suscipiendos: nam à ceteris honoribus & muneribus excusabitur. l. 1.

XLIV. *De his qui à principe vacationem acceperunt.*

SEcunda quæstio est, quis possit immunitatem con- 1
cedere. Nota primò posse plenam concedi speciali beneficio principis, vt iam notaui tit. 41. ¶ Nota se- 2
cundò immunitatem rescripto principis concessam, limitari tribus modis. I. Ad tempus concedi rescripto principis potest, non in perpetuum. ſ. de decur. l. nemo. 14. l. vacuatis. 19. II. Non valet, nisi concessa sit ex iustis & approbatis causis, veluti propter morbum, aut inopiam. l. vn.

XLV. *De vacatione publici muneris.*

NOta tertiò per rescriptum ea tantùm videri remissa, quæ ad tempus extra ordinem indicuntur, non ordinaria munera. l. vn. & D. de mun. & honor. l. cui muneris. 12. & de vacat. & excusat. mun. l. in honoribus. 8. §. qui muneris.

XLVI. *De decretis ab ordine faciendis.*

NOta quartò nemini posse immunitatem decreto decurionum tribui, præterquã liberalium artium magistris, & medicis. l. 1.

XLVII. *De excusationib. munerum.*

TErtia quæstio est, quæ sit causa immunitatis procatarctica. nam is, qui immunitatem tribuit, de quo fuit proximè dictum, est causa efficiens. Causa procatarctica est excusatio, de qua dixi ad tit. D. de vacat. & excus. mun. tria tamen in titulis sequentibus notabimus.

XLVIII. *De quibus muneribus vel præstationibus nemini liceat se excusare.*

NOta primò quædam esse, à quibus nemo excusatur, vt munera patrimonialia. ſ. de mun. & hon. l. 2 3. 5. 6. 7. penult. & vlt. & D. de vacat. & excus. muner. l. 2. §. 1. & 2. l. ab his oneribus. 10. in princ. l. sunt munera. 11. Sequentes igitur excusationes pertinent ad munera patrimonialia, quod etiam in multis sequentium titulorum legibus expressum reperitur. j. tit. proxim.

XLIX. *Qui ætate se excusant.*

NOta secundò varias esse excusationem causas, propter quas aliqui sunt à muneribus personali-

BIU Cujas

bus immunes. Prima causa est ætas maior 70. annis. l.vlt.& s. de decur.l.5.& D.eod.l.2.§.vlt.& de muner. & honor.l.3. §. quamuis. & §. cura. & de vacat.mun. l.2.§.1.& de iu.immun.l.3. & de excus. l.2. in princ.& Instit.eod.§.item maior.

L. *Qui morbo se excusant.*

SEcunda causa est morbus sonticus, vt cæcitas.l.1. & morbus articularis. l. 2. grauior & diuturnior, quàm podagra.l.3.

LI. *De his qui numerò liberorum, vel paupertate excusationem meruerunt.*

1 TErtia causa est numerus quinque liberorum. l.5. l. vlt. & j. de sumptibus recuper. l. vn. & D. de mun. & honor. l. 3. §. quamuis. & §. cura. Verumtamen sicut non excusat ab honoribus.l.1. ita nec à muneribus, quæ honoribus cohærent. D. de vacat. & 2 excus. mun.l.2.§.1. ¶ Numerus tamen duodecim,aut tredecim liberorum ab omnibus excusat. s. de decurion. l. si quis decurio. 24. vbi duplex lectio est, altera habet *duodecim*, altera *tredecim*. Cuiacius verò emendat sedecim ex l.5.§. demonstratur. D. de iu.immun. Sed hæc emendatio contra librorum auctoritatem non est necessaria: quia in d.§. demonstratur. non requiritur numerus sedecim liberorum, sed ita in facto contigerat: & qui libellum supplicem obtulerat, ita speciem posuerat, quò facilius immunitatem impetraret. nam hæc immunitas à principe est 3 impetranda. l. vlt. ¶ Interdum numerus trium liberorum excusat, vt à legatione. j. de legationibus.l.1. & à tutela vel cura, si quis tres liberos habeat Romæ. Instit.de excusat.in princ. ¶ Quarta causa est pau- 4 pertas. l.vlt. & D.de excusat.l.7. & Instit. eod. §. sed & propter.

LII. *De professoribus & medicis.*

QVinta causa est, si quis sit medicus, aut philosophus, aut rhetor, aut grammaticus, aut iurisperitus. D. de excus. l.6. §.1. & §. & philosophos. §. est autem imperatoris. & §. legum. & vel in patria sua medicinam exerceat, siue dictas artes doceat. d.l. 6. §. ampliùs. vel Romæ d. l. 6. §. Romæ. vel sit intra numerum statutum. d. l.6. §.est autem & numerus. & §. seq. decreto decurionum probatus. l. 5.7.8. & D.de excus. d. l.6. §. & vtique. vel saltem doctrinâ excellat, vel sit medicus militum.l.1. aut in comitatu principis. l.6. l.vlt. iurisperitus tamen immunitatem non habet, nisi Romæ doceat.d.l.6.§.legum.

LIII. *De athletis.*

SExta causa est, si quis sit athleta. Sed in hoc plura requiruntur, vt immunitate fruatur. I. Vt per totam ætatem in sacris certaminibus se exercuerit. II. Vt rer vicerit, & coronatus fuerit. III. Vt meritò, non æmulis corruptis aut redemptis fuerit coronatus. IV. Vt saltem vna ex dictis vicibus Romæ, aut in antiqua Græcia coronatus fuerit. l.vn. Antiquam Græciam Cuiacius interpretatur Italiam, vt cùm Varro ait antiquam Græciam tauros vocasse ἰταλούς.

LIV. *De his qui non impletis stipendijs sacramento soluti sunt.*

SEptima causa est, si quis missionem non ignominiosam. l. 1. sed honestam (qua appellatione etiam causaria continetur. l. 2.) impetrauerit, vel nondum confectis legitimis stipendiis h. rub. (dummodo ob ætatis senium dimissus sit.l.2.& 3.alioquin vix immunitas aliqua ei conceditur. D.de excusat. l.8. §. qui autem intra.)

LV. *Quibus muneribus excusantur hi, qui post impletam militiam vel aduocationem, per prouincias suis commodis vacantes commorantur, & de priuilegiis eorum.*

VEl impletis legitimis stipendiis, id est, viginti annorum.l.vn.& s.tit.prox.l.vlt.& s.quan.prouoc. non est necess.l.pen.& s.de excusat.veter.l.1.

LVI. *De conductoribus vectigalium fisci.*

OCtaua causa est conductio vectigalium fisci. l. vnic.

LVII. *De libertinis.*

NOna causa est, si libertus munera subire recuset, vbi domicilium habet; propterea quòd in patria patroni munera subire cogitur. Hæc excusatio reprobatur. l. vn. & D. ad municipal. l. libertus. 17. in princip.

LVIII. *De infamibus.*

DEcima causa est infamia. Hæc quoque excusatio reprobatur.l.vn.& s. de decur.l. nec infames.12. ¶ Nota primò infames, licèt ab oneribus non excusentur, tamen ad honores non admitti. d. l. vn. & j. de dignit.l.2.

LIX. *De reis postulatis.*

NOta secundò reum postulatum, inter infames non connumerari. quamuis enim nouos honores non possit petere l.vn. nisi annus lapsus sit. & per eum non steterit quominùs intra annum causa terminaretur. D. de mun. & honor. l.5.in princ.tamen pristinos honores retinet. D. ad municip.l.libertus.17. §. in quæstionibus.

LX. *De his qui in exilium, dati vel ordine moti sunt.*

NOta tertiò damnatos ad tempus, finito eo tempore non manere infames, sed recipere pristinam dignitatem.l.1.& 2. & s. ex quib. caus. infam. irrog. l. 3. nisi eo crimine damnati sint, quod ipso iure infamiam importat. D. de his qui notant.infam.l.6. §.1.& de public.iudic.l.7.vide Centur.2.quæst.20.

LXI. *De filiisfamiliâs, & quemadmodum pater pro his teneatur.*

VNdecima causa est, si quis vnà cum patre suo, in 1 cuius potestate est, ad munus vocetur: nam filius est liberandus, ne duo ex eadem domo simul onerentur. l. 3. ¶ Nota si filiusfamiliâs voluntate patris 2 fiat decurio vel munus subeat, periculum pertinere ad patrem.l.1.& s.de decur.l.5.

LXII. *De periculo successorum parentis.*

ET ad heredem patris.l.vn.& s.de decurion.l.1.

LXIII. *De mulieribus, in quo loco munera sexui congruentia, & honores adgnoscant.*

Duode

BIU Cujas

DVodecima causa est sexus. Nam mulier excusatur à muneribus personalibus sexui non congruentibus, item à congruentibus excusatur in loco originis suæ, si alibi nupta sit, quia sequitur domicilium mariti, & ibidem honores atque onera sexui congruentia suscipit munera verò patrimonialia ibi sustiner, vbi bona possidet. l. vn.

LXIV. *De legationibus.*

DEcima tertia causa est legatio. nam legatione functis conceditur vacatio biennij. ſ. de honor. non contin. l. 2. dummodò transmarina legatio fuerit. l. 3. Multo autem magis sine dubio, eo ipso tempore quo quis legatione fungitur, ab aliis muneribus excusatur. Cetera de legationibus vide D. h. t.

LXV. *De excusationibus artificum.*

DEcima quarta causa est, si quis aliquam ex artibus hoc titulo comprehensis exerceat. In notitia legi primæ subiecta medicorum appellatione significantur chirurgi, vt in l. 7. §. vltim. & l. 8. in princ. D. ad leg. Aquil. & in §. præterea. & §. seq. Institut. eod. & in l. cùm de lanionis. 18. §. in instrumento. D. de instr. vel instrum. lega. in tit. autem ſ. de profess. & medic. dictum est de medicis, qui manu non operantur, sed liberalem artem exercent, & hodie medici physici appellantur.

LXVI. *De potioribus ad munera nominandis.*

DEcima quinta causa est, si vocatus ad munera ciuilia contendat alium potiorem esse nominandum. l. vn.

LXVII. *Si propter inimicitias creatio facta sit.*

DEcima sexta causa est, si quis propter inimicitias ad munus vocatus sit: quia fauore reipub. non odio eius qui nominatur, munera publica iniungi debent. l. vn. Absoluta est tertia quæstio de immunitate, id est, quæ sit causa immunitatis.

LXVIII. *De sumptuum recuperatione.*

QVarta quæstio est, an qui, vt à munere iniuncto se excusaret, sumptus in litem fecit, eos repetere possit, & à quo eos repetat. Respondetur sumptus ei à nominatore esse restituendos. l. vn. & ſ. de decur. l. 2. & ſ. de excus. tut. l. seueriter. 14. Absoluta est secunda pars tractatus generalis de muneribus & honoribus.

LXIX. *Si post creationem quis decesserit.*

TErtia & vltima pars est de morte eius, qui creatus seu nominatus est ad aliquod munus, sed ante diem eius muneris subeundi decessit. Hoc casu eius heres non est obligatus. l. vn. quia morte creati finitur creatio. Hic est finis tractatus generalis de muneribus & honoribus.

LXX. *De tabulariis, scribis, logographis, & censualibus.*

1 DEinceps considerantur specialiter varia munerum genera. In primo genere collocantur tabularij, scribæ, logographi, & censuales, quorum omnium expositionem ex doctissimo Cuiacio afferam. ¶ Tabu- 2
larij, eorum quæ publico inferuntur & debentur, rationes conficiunt. ſ. de iu. fis. l. 2. & de exactor. trib. l. 1. & l. 7. & de immun. nem. conced. l. 1. & ſ. de censib. l. 1. & de numerar. l. 2. ¶ Scribæ sunt curiarum si- 3
ue magistratuum municipalium scribæ, nam hîc neque de prætoris scriba agitur, de quo est l. vltim. ſ. de magistr. conu. neque de clariss. scriba, qui in prouinciis est quasi prætor tutelaris quidam, de quo No. 94. & Nou. Constantini περὶ σκωπτειῶν τοῦ σκρίβα. ¶ Tabu- 4
lariis similes sunt logographi. nam hi quoque rationibus tributorum scribendis occupantur. Nou. 128. cap. 13. sed eiusdem muneris pro varietate locorum variæ appellationes sunt. l. vlt. ¶ Censuales sunt, qui ope- 5
ram suam accommodant magistro census in vrbe, & acta senatus conficiunt. ſ. de testam. l. testamenta. 18. l. consulta. 23. & ſ. de priuig. ag. in reb. l. 2. & 4. & C. Th. de stud. lib. l. 1. & in prouinciis census & patrimonia describunt. Cuiac. hîc.

LXXI. *De susceptoribus, præpositis, & arcariis.*

IN secundo genere ponuntur susceptores, præpositi, 1
& arcarij: quorum definitionem ibidem ex Cuiac. sumamus. ¶ Susceptores sunt, qui annonis & tri- 2
butis recipiendis præpositi sunt. D. de censib. l. 5. in fin. ¶ Præpositi sunt, qui horreis, in quibus species 3
fiscales deponuntur. l. 2. vel pagis sunt præpositi. ſ. de iu. fis. l. super. 9. ¶ Arcarij sunt, qui his, quæ in 4
arcam præfecti prætorio inferuntur, suscipiendis præpositi sunt. l. vltim. & ſ. de iis qui ex pub. rat. mut. accep. l. 1. & de cano. largit. titul. l. 3. & Edic. Iustin. 13.

LXXII. *De ponderatoribus, & auri illatione.*

IN tertio genere sunt ponderatores, qui Græcè vo- 1
cantur ζυγοστάται. hi nummos probant. l. 2. & signa ponderum nummis imprimũt. Edic. Iustin. 11. ¶ Obi- 2
ter nota primò, liberum esse collatoribus solidos cusos, vel massam auri, fisco inferre, dummodò æqua lance & libramentis paribus appendatur. l. 1. ¶ No- 3
ta secundò libram auri constare 72. aureis. ſ. titul. prox. l. 5.

LXXIII. *De auri publici prosecutoribus.*

NOta tertiò auri publici transmissionem prosecutoribus committi præcepto comitis sacrarum largitionum, quod vocatur prosecutoria. l. vn.

LXXIV. *De his, quæ ex publica collatione illata sunt, non vsurpandis.*

NOta quartò aurum, quod à collatoribus in publicum infertur, non esse mùtuò dandum. ſ. de his qui ex publ. ration. mut. pec. sumpſ. l. 1. & 2. & omnino nihil eorum quæ in publicum inferuntur, esse à quopiam vllo modo vsurpandum, vt hic titulus ostendit.

LXXV. *De auro coronario.*

NOta quintò neminem aurum coronarium, quod in coronis principi offertur, præstare compellendum, nisi ratione consuetudinis. l. vn. vt Iudæos. ſ. de Iud. l. Iudæorum. 17.

LXXVI. *De irenarchis.*

IN quarto genere sunt irenarchæ, quorum munus inter personalia refertur. D. de muner. & honor. l. vlt.

BIU Cujas

§. irenarchæ, vbi dicuntur disciplinæ publicæ & corrigendis moribus præfici. Dicuntur autem irenarchæ ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς εἰρήνης, quia pacem & quietem per singula territoria tuentur. l.vn. Ad horum officium pertinet latrones conquirere apprehendere, ac de sociis & receptatoribus interrogare: & interrogationes literis inclusas, atque obsignatas, ad cognitionem magistratus mittere. D. de custod. reor. l. 6.

LXXVII. *De argenti pretio, quod thesauris infertur.*

1 IN quinto genere sunt thesaurorum præpositi. ſ. de cano. largit. tit. l. 1. & ſ. de murilegul. l. priuatæ. 14. Hi erant sub dispositione Comitis sacrarum largitionum, vt constat ex Notitia Imperij. His omnis summa auri, vel argenti, vel specierum sacris largitionibus in-
2 ferendarum consignatur. d. l. 1. ¶ Notandum hoc loco est, eum, qui argentum inferre debet, posse pro argento aurum inferre, ita vt pro singulis auri libris quinos solidos inferat, nam argenti libra æstimatur quinque solidis, vt auri libra 72. solidis. ſ. de susceptor. l. 5. & 20. æris libræ, vno solido. ſ. de collat. æris. l. vn. Expositis iuribus fiscali & municipali, finis imponitur libro decimo.

LIBER XI.

DVOBVS postremis libris Codicis explicantur iura vrbi & municipiis communia: quæ quidem ad quatuor capita referuntur: primum est de vniuersitatibus seu corporibus: secundum de censibus: tertium de dignitatibus: quartum de apparitoribus. horum duo priora declarantur hoc libro: reliqua duo libro sequenti. Quocirca præcedentis & sequentis, ita etiam huius libri duæ sunt partes: quarum prior est de corporibus & vniuersitatibus, posterior de censibus.

TITVLVS I.

De lustralis auri collatione.

CORporum & vniuersitatũ seu collegiorum (nam plura sunt nomina eandem rem significantia. D. quod cuius. vniuers. nom. l. 1. in princ. & §. 1.) multa & varia sunt genera. Primum est mercatorum seu negotiatorum. Hi præstabant aurariam pensionem, quæ vocatur aurum lustrale, quia singulis lustris præstabatur: & à Lampridio in Alexandro aurum negotiatorium, quia præstabatur à negotiatoribus. Hanc collationem Anastasius sustulit, vt Euagrius & Zonara testantur. quare Cuiacius vtramque huius tituli constitutionem Anastasij esse arbitratur.

II. *De nauicularijs seu naucleris publicas species deportantibus.*

1 SEcundum est nauicularium. ſ. de hered. decur.
2 l. 1. D. de iu. immunit. l. 5. §. vltim. ¶ Horum alij sunt in vrbe. ſ. quod cuiusque vniuers. nom. l. 1. in fi. princ. veluti qui annonæ vrbis seruiunt. D. de iu. immun. d. l. 5. §. negotiatores. & §. licet. alij in prouinciis. l. 4. vt in Africa. C. Th. h. t. l. nauicularios Africanos. 10. & in Hispania. C. Th. eod. tit. l. nauicularios
3 Hispaniarum. 8 ¶ Rursus alij annonæ inseruiunt. l. 1. 2. 5. & legib. ſ. adductis: alij lignis subuehundis. d. l. nauicularios Africanos. Cuiacius addit locum Symmachi, *Nauicularios lignorum obnoxios functioni.*

III. *De prædiis & omnibus rebus nauiculariorum.*

NOta primò, non solùm personas esse functioni nauiculariæ obnoxias, sed etiam prædia. l. 1. non tamen qui fundum nauicularij iuris emit, ob hanc causam fit nauicularius, licèt functionem nauicularium adgnoscere teneatur. d. l. 1. & l. 2. ¶ Nota secundò, bona nauicularij intestatò sine successorib. defuncti, non pertinere ad fiscum, sed ad corpus nauiculariorum. ſ. de hered. decur. l. 1.

IV. *De nauibus non excusandis.*

NOta tertiò, etiam alios præter nauicularios posse habere naues; sed has non excusari à felici embola, id est, à transuectione publicæ annonæ. l. 1. etiãsi ad veteranos pertineant. D. de veteran. l. penult. §. 1. Immo neque Ecclesiarum, neque personarum in dignitate positarum naues excusantur, si vltra duo milia modiorum capiant. l. 2.

V. *Ne quid oneri publico imponatur.*

NOta quartò naufragij periculum pertinere ad eum qui priuatum onus naui publica annona oneratæ imposuit. l. vn.

VI. *De naufragijs.*

NOn ad nauicularium, si modò intra annum apud præsidem prouinciæ casum contestetur, & probet, vt res ad præfectum prætorio referatur. l. 2. Nec ad collatores, qui semel functionem præstiterunt. l. 4. Nauis autem quocumque sit per naufragium expulsa, ad dominum pertinet, non ad fiscum. l. 1.

VII. *De metallarijs, & metallis, & procuratorib. metallorum.*

TErtium est metallariorum, qui metalla effodiunt. Horum alij sunt sua sponte metallarij. l. 1. alij conditionales, id est, huic conditioni obnoxij, quam deserere non possunt. l. vltim. ¶ Procuratores autem metallorum sunt, qui ex curialibus ordinantur, vt metallicum canonem exigant. l. 4.

VIII. *De murilegulis & gynæciarijs, & procuratoribus gynæcij, & de monetarijs, & bastagarijs.*

QVartum est murilegulorum, qui sunt muricis 1
aliorúmque conchyliorum piscatores, huic conditioni obnoxij, adeo vt non possint ad vllam militiam vel dignitatem adspirare. l. murileguli. 11. Sufficit autem solum patrem, vel solam matrem esse huic conditioni obnoxiam, vt etiam filij sint murileguli. l. hi qui. 12. & l. penult. ¶ Quintum est gynæciariorum, 2
qui sunt addicti contexendis conficiendísque vestibus imperialib. & ministeriorum imperialium. ſ. tit. prox. l. 1. Cuiac. hîc ad l. 2. ¶ Adiunguntur gynæciariis pro- 3
curatores gynæcij, vt superiori titulo metallariis adiungebantur procuratores metallorum. procuratores administrationem aliquam habent: metallariorum & gynæciariorum nulla est administratio, sed tantum ministerium & seruile officium. ¶ Sextum est mone- 4
tariorum, qui monetas cudunt. l. 1. & 7. ¶ Septimum 5
est

est bastagariorum, quibus incumbit rerum ad fiscum pertinentium vectura, quam propriis iumẽtis faciunt, excepto quinto quoque iumento, quod à fisco præbetur. l. 4. l. æternam. 8.

IX. *De vestibus holoberis, & auratis, & de tinctione sacri muricis.*

OCtauum est baphiorum, ad quos tinctio purpuræ Imperatorum propriæ pertinet. Ceteris & tinctio, & vsus, commerciúmque purpuræ interdicitur. Vestes autem holoberæ, id est holosericæ, quæ sunt totæ sericæ, si purpureæ sint, tam viris quàm mulieribus interdicuntur. si non purpureæ, solis mulieribus permittuntur, quemadmodum & auratæ. l. 1. 2. 4. & ſ. quæ res ven. non poss. l. 1.

X. *De fabricensibus.*

NOnum est fabricensium, qui in publicis fabricis arma bellica fabricant. Iustinianus Nou. 85. hoc nomen tribuit etiam deputatis, qui arma non fabricabant, sed militum arma procurabant. De successione fabricensium dictum fuit in tit. de hered. decur.

XI. *De veteris numismatis potestate.*

1 DEcimum est ponderatorum, ad quos pertinebat nummorum signatio & probatio, vt notaui tit.
2 72. libri præcedentis. ¶ Nota primò veterum & recentiorum nummorum, qui æquè probi sunt, & eiusdem ponderis, eandem esse æstimationem & potestatem. l. 1. & 3. ¶ Nota secundò, imminuta nummi æsti-
3 matione, similiter minui pretium rei nummo illo æstimatæ. l. 2. verbi gratiâ serui secundum Iustiniani distinctionem æstimantur decem aut viginti aut 50. aut 60. solidis. ſ. de comm. seru. man. l. 1. §. ne autem. pone igitur, imminutam esse post eam constitutionem solidorum potestatem: nihilominùs serui totidem solidis
4 æstimabuntur, quot Iustinianus constituit. ¶ Nota tertiò contra hodiernam consuetudinem, pro solidi permutatione nulli licere aliquid exigere. id enim Iustinianus prohibet pragmaticæ sanctionis cap. 20.

XII. *Nulli licere in frenis, equestribus sellis, & in balteis margaritas, & smaragdos, & hyacinthos aptare & de artificibus palatinis.*

VNdecimum est artificium palatinorum, qui soli possunt imperialia ornamenta facere, & margaritas, smaragdos, hyacinthos frenis, equestribus sellis, balteis aptare. aliis nec in priuatum vsum, nec vt principi offerant, hæc facere licet. l. vn.

XIII. *De classicis.*

DVodecimum est classicorum, qui nauibus amnicis deputati sunt ad flumina purganda, & alias necessitates.

XIV. *De decurialibus vrbis Romæ.*

DEcimum tertium est decurialium vrbis Romæ. C. Th. h. t. l. 4. qui senatus acta perscribunt, & scrinia seruant, Cassiod. lib. 5. variar. cap. 21. & 22. His qui præest, vocatur iudex. l. 1. Cassiod. d. c. 22. vel Rector decuriæ. Cassiod. d. c. 21. & 22.

XV. *De priuilegiis corporatorum vrbis Romæ.*

DEcimum quartum est corporatorum vrbis Romæ, sub quo variæ species continentur.

XVI. *De pistoribus.*

VT pistores, qui etiam mancipes vocantur. l. vn. & j. de frum. vrb. Constant. l. 1. & 2. hi conficiebant panes ciuiles, qui popularibus. d. l. 1. & scholasticis distribuebantur. j. de annon. ciuil. l. 1.

XVII. *De suarijs, & susceptoribus vini, & ceteris corporatis.*

ITem suarij, qui suillam carnem à collatoribus susci- 1
piebant; & susceptores vini, qui similiter vina susciepiebant. ſ. de suscept. l. modios. 9. ¶ Item decani seu 2
copiatæ; qui cadauera sepeliunt. ſ. de sacrosanct. eccles. l. 4. ¶ Item collegiati, qui ex diuersis corpori- 3
bus eligebantur, vt incendiis, & aliis reipub. necessitatibus subuenirent. l. vn. & ſ. de commerc. & mercat. l. penult. Non tamen Romæ tantùm erant collegiati, sed etiam in aliis ciuitatibus. Nou. Maior. 1. vers. de collegiatis.

XVIII. *De studiis liberalibus vrbis Romæ & Constantinopolitanæ.*

DEcimum quintum est professorum. Nota nemi-
nem posse publicè docere, nisi publica auctoritate sit ei permissum: & publicum professorem non posse in priuatorum ædibus docere l. vn.

XIX. *De honoratorum vehiculis.*

DEcimum sextum est reipublicæ vel ciuitatis: de qua instituuntur plures tractatus. Primus tractatus est de vrbis vel ciuitatis priuilegiis. Primò vrbis Romæ priuilegium proponitur, ne quis in ea carrucis vti possit, nisi sit ciuili aut militari dignitate præditus. l. vn.

XX. *De priuilegijs vrbis Constantinopolitanæ.*

SEcundò vrbi Constantinopolitanæ datur priuilegium, vt veteris Romæ prærogatiuâ fruatur. l. vn.

XXI. *De metropoli Beryto.*

TErtiò Beryto tribuitur priuilegium, vt sit metropolis Syriæ Phœnices vnà cum Tyro. l. vn. Est autem his tribus vrbibus, Romæ, Constantinopoli, Beryto, commune priuilegium, vt in his iura doceri possint. D. procem. §. hæc autem tria.

XXII. *De canone frumentario vrbis Romæ.*

SEcundus tractatus est de frumento & canone frumentario pertinente ad vrbem Romam, vel ad Constantinopolim, quæ est noua Roma, vel ad Alexandriam. Quod ad Romam attinet prouinciales frumentum conferebant populo Romano alendo quod

BIU Cujas

aduehebatur à nauicularijs, de quibus suprà dictum fuit. quin etiam oleum & suillam, bubulámque carnem. quæ omnia specierum appellatione continentur. l. 1. cum sim.

XXIII. *De frumento vrbis Constantinopolitanæ.*

CONstantinopoli annona distribuitur primò singulis domib. quibus in pane cocto præbetur. l. 1. vbi mancipum appellatione significantur pistores, vt notaui tit. 16.

XXIV. *De annonis ciuilibus.*

SEcundò singulis scholasticis viritim, non cuique scholæ in vniuersum. l. 1.

XXV. *De mendicantibus validis.*

TErtiò mendicantibus non validis. l. vn.

XXVI. *De nautis Tyberinis.*

OBiter nota, eos, qui naues habent, non excusari à canonis frumentarij subuectione. l. vn.

XXVII. *De frumento Alexandrino.*

EX frumento Alexandrino sumitur canon frumentarius tam populi Romani vel Constantinopolitani, qui Romam vel Constantinopolim aduehitur. l. 1. quàm populi Alexandrini. l. 2.

XXVIII. *De Alexandriæ primatibus.*

VT igitur frumentum Alexandrinum in vrbem vehi possit, flumen repurgandum est, cuius repurgationis onus olim corporatis Alexandriæ incumbebat, proinde cura ad primates seu principales Alexandriæ pertinebat: sed huius tituli constitutio eos hoc onere liberat, simúlque iubet quadringentos solidos ex dinummio Alexandriæ vectigali in hanc repurgationem prærogari, deinde ex titulo nautorum impleri.

XXIX. *De iure reipublicæ.*

TErtius tractatus est de variis reipub. iuribus: veluti vt sententia contra ciuitatem indefensam lata, non valeat. l. 1. & tam in hac quàm in aliis causis comparetur pupillo vel adolescenti. l. 2. & ſ. de offic. eius qui vic. alic. iud. obt. l. 2. & quib. ex caus. maior. in integ. restit. l. 4.

XXX. *De administratione rerum ad ciuitatem pertinentium.*

QVartus tractatus est de rerum ad ciuitatem pertinentium administratione, de qua dixi D. hoc titulo.

XXXI. *De vendendis rebus ciuitatis.*

1 AVt venditione, de qua nota primò prædia, mancipia, & panes ciuiles ad vrbem Constantinopolitanam pertinentes, non posse vendi sine permissu principis. Pertinentia verò ad alias ciuitates non posse vendi, nisi curiæ decreto sacrosanctis euangeliis propositis facto, & apud præsidem prouinciæ insinuato. l. vlt. ¶ Nota secundò, post venditionem perfectam non admitti adiectionem pretij, licèt admittatur in causa fiscali. l. 1. quia ciuitates vtuntur iure priuatorum, & minus eis iura fauent, quàm fisco, vt notaui ſ. de fide & iu. hast. fiscal. num. 3.

XXXII. *De debitoribus ciuitatum.*

QVintus tractatus est de debitoribus ciuitatum. 1
Nota primò, à debitore ciuitatis, qui est soluendo, non esse petendam sortem, sed annuas vsuras. l. 2. in princ. ¶ Nota secundò debitorem ciuitatis, ante- 2
quàm debitum soluat, non admitti ad honores. l. 1.

XXXIII. *De periculo nominatorum.*

NOta tertiò non solùm administratores rerum ad ciuitatem pertinentium & eorum successores teneri, sed etiam nominatores, & fideiussores. De nominatoribus nota duumviros solitos esse sibi nominare successores, & ex ea nominatione teneri, non tamen præstare periculum nominationis ab eo factæ quem nominarunt. Exempli gratiâ, si Mæuio Titius succesſit, Titio Sempronius: quia Mæuius Titium, Titius Sempronium nominauit: administrationis Titianæ periculum pertinet ad Mæuium: Sempronianæ non ad Mæuium, sed ad Titium. l. 2.

XXXIV. *De periculo eorum qui pro magistratibus interuenerunt.*

IDem dicendum de fideiussoribus, qui pro administratore interuenerunt: nam administrationis periculum subeunt, non nominationis ab eo factæ, pro quo interceſſerunt, & si magistratus in pœnam incidat, putà ob pecuniam publicam interuersam, fideiussor in sortem tenetur, vt rempub. indemnem præstet, in pœnam verò non est obligatus. l. vn. & D. de fideiussor. l. fideiussores. 68. in princ.

XXXV. *Quo quisque ordine conueniatur.*

NOta quartò seruandum esse ordinem in conueniendis reipub. debitoribus ob honorem vel munus gestum. Pro cuius ordinis expositione distinguendum est. aut enim duobus honor iniunctus est, aut munus pro diuiso, aut munus pro indiuiso. Primo casu conueniuntur hoc ordine, administrator, successor, fideiussor, nominator, collega. l. 3. & 4. & D. de administr. tutor. l. si pupillus. 45. & ad municipal. l. Imperator. 11. Secundo casu idem est ordo. l. 2. & ſ. de conuen. fi. deb. l. 3. Tertio casu sic conueniuntur, administrator, successor, collega, fideiussor, nominator. d. l. 2. & ſ. de magistr. conuen. l. 4.

XXXVI. *Ne quis liber inuitus actum gerere cogatur.*

NOta quintò, eum, qui actum reipub. gessit, ex eo gestu teneri, licèt inuitus gerere non cogatur, quia vt priuati ita & respublica seruis actoribus vti solet, qui pecunias fœnerent, exigant, stipulentur, rationes tractent. l. 1. & 2.

XXXVII. *Sumptus iniuncti muneris ad omnes collegas pertinere.*

NOta septimò, eos omnes, quibus munus iniunctum est, sumptus illius muneris exequendi causâ præstare debere. & si vnus officio functus sit, reliquos ei pro portionibus teneri. l. vn.

XXXVIII.

BIU Cujas

XXXVIII. *De his qui ex officio, quod administrauerunt, conueniuntur.*

NOta septimò administratorem, qui minus cautè pecuniam reipub. credidit vel commisit, tantùm in sortem teneri reipublicæ, non etiam in vsuras, dummodò vacet dolo & latâ culpâ. Eius verò pecuniæ, quæ apud eũ remansit, & vsuras præstat. l. vn. & D. de vsur. l. cùm quidam. 17. §. penult. & ad municipal. l. Lucius. 21. §. 1. & de administr. rer. ad ciuit. pertinent. l. vlt. in princ.

XXXIX. *De solutionibus & liberationibus debitorum ciuitatis.*

NOta octauò, quamuis debitores reipublicæ locupletes non cogantur inuiti soluere sortem. s. de debit. ciuit. l. 2. in princ. tamen eos posse sponte sua soluere, atque ita liberari, dummodò, si actori reipub. soluerint, probent pecuniam, quam soluerunt, in rem ciuitatis versam esse, vel ab actore accipiant apocham, à curatore reipub. adsignatam. l. vn. De verbis solutionis & liberationis dixi ad tit. D. de solut. & liber. num. 1.

XL. *De spectaculis, & scænicis, & lenonibus.*

SExtus tractatus est de spectaculis, quæ populo exhibentur. Nota primò scænicos, qui in scæna sui spectaculum quæstus causâ populo exhibent, iure tolerari, sed infamiâ notari. D. de his qui not. infam. l. 2. §. vlt. Quid mirum, si scænici tolerantur, cùm olim tolerarentur etiam prostibula, & lenocinia, & inde vectigal exigeretur? Verum hæc per vltimam constitutionem huius tituli sunt sublata.

XLI. *De expensis publicorum ludorum.*

NOta secundò, cùm in spectacula impensæ fiant, permissum esse præsidi prouinciæ, vt hos sumptus in necessariam murorum refectionem conuertat, sic tamen vt his refectis iterum spectacula populo exhibeantur. l. vn.

XLII. *De aquæductu.*

NOta tertiò ad has impensas nihil conferre possessores prædiorum, per quæ publicus aquæductus transit: tantùm enim vectigal præstat formarum aquæ repurgandarum gratiâ. l. 1. & D. de act. emp. l. in venditione. 41. Qui verò beneficio principis (nam aliter non licet. l. 2. 5. & vlt.) aquæ ex publico aquæductu in suum fundum ius habet, nequidem aquæductus repurgandi causâ aliquid confert, ne videatur potiùs illud ius emisse, quàm ex mera principis liberalitate habere. itaque sumptus ad aquæductus reparationem necessarij sumuntur ex vectigalibus, qui ex scalis, id est ex traiectu maris, & ex operariis Lycizenis colliguntur. l. 7.

XLIII. *De gladiatoribus penitus tollendis.*

NOta quartò cruenta spectacula sublata esse, proinde sublatum esse vsum gladiatorum. l. vn.

XLIV. *De venatione ferarum.*

EAdem ratione dicendum est, prohibitum esse cruentum spectaculum pugnantium cum bestiis in arena. Ceterùm extra arenam bestias venari omnibus permittitur. l. vn.

XLV. *De maiuma.*

MAiumæ verò, quæ aliquando fuit prohibita, vsus restituitur. l. vn. Maiuma est ludicrum in aquis certamen à Romanis institutum ad vrbem Ostiam mense Maio, si Sudæ credimus. Ergo maiuma dicitur vel secundum Sudam à mense Maio, vel ab Hebraico vocabulo מַיִם *maym*, quod aquas significat, quia hoc certamen in aquis edebatur.

XLVI. *Vt armorum vsus inscio principe interdictus sit.*

SEptimus tractatus est de armis, quorum vsus priuatis inscio principe interdicitur. l. vn. Adde Nou. 85. de armis. Hic est finis tractatuum ad ciuitates & respublicas pertinentium: Pergamus in aliis corporibus enarrandis.

XLVII. *De agricolis censitis, & colonis.*

DEcimum septimum est corpus agricolarum. Nota primò plura esse agricolarum genera. I. Seruos. l. 3. l. 7. l. seruos. 12. II. Adscriptitios, qui & censiti, & capite censiti, & censibus obnoxij, & censibus adscripti, & coloni censibus adscripti, & tributarij vocantur. hi respectu domini habentur pro seruis: sunt enim in eorum potestate: respectu aliorum habentur pro liberis: & capitationem, id est, capitis tributum pendunt. l. 6. l. colonos. 18. l. agricolarum. 19. l. ne diutius. 21. & s. de epis. & cleric. l. si quis præsbyter. 20. & j. in quib. caus. colo. cens. dom. accus. possu. l. 2. & de re milit. l. 2. & de tyronib. l. 1. III. Colonos liberos. j. de prædiis tam. l. 1. qui annuam pensionem seu reditum domino præstant in auro, vel speciebus. l. 5. l. litibus. 20. §. sin autem reditus. & licèt liberi sint, tamen terram deserere non possunt. l. 6. l. omnes. 8. & j. de colon. Thracens. l. vn. & de colon. Illyric. l. vn. Capitationem quoque præstant. j. ne rustic. ad vl. obs. deuoc. l. 1. exceptis colonis Thracensibus. j. de colo. Thrac. d. l. vn. Illyricianis. j. de colon. Illyric. d. l. vn. & ecclesiæ Thessalonicensis. s. de ann. & trib. l. id ab vnaquaque. 12. Horum alij sunt originarij. l. 7. l. originarios. 11. l. mulier. 16. siue originales. l. 4. qui in hac conditione nati sunt: alij per 30. annorum continuam redituum præstationem effecti. d. l. litibus. 20. quorum conditionem liberi sequuntur. l. penult. §. 1. IV. Inquilinos. l. 6. quorum conditio vix differt à conditione colonorum. l. definimus. 13. sed propriè loquendo inquilini sunt vrbano prædio addicti, coloni rustico. Nou. Valentin. de colo. vag.

XLVIII. *De capitatione ciuium censibus eximenda.*

NOta secundò capitationem deberi à plebe rustica. j. ne rustic. ad vll. obs. deuoc. l. 1. id est à seruis, & colonis, vt superiori titulo exposui, non à plebe vrbana. l. vn. & C. Th. de censu si adscript. l. 2.

XLIX. *In quibus causis coloni censiti dominos accusare possint.*

NOta tertiò colonos censitos non posse regulariter contra dominos agere. Excipiuntur duæ causæ. Possunt enim contra dominos agere I. Ex causa superexa

superexactionis, id est, si dominus plus ab eis exigat, quàm à colono præstari oporteat. II. Si criminaliter suam suorúmve iniuriam persequatur. l. 1. & 2.

L. *De colonis Palæstinis.*

NOta quartò quibusdam colonis priuilegia quædam specialiter competere. Primò namque coloni Palæstini poterant agros, quos colebant, deserere, & aliò migrare. sed constitutio huius tituli hoc priuilegium eis aufert.

LI. *De colonis Thracensibus.*

SEcundò coloni Thracenses non soluunt capitationem, id est, capitis tributum, sed tantùm iugationem, id est, tributum soli l. vn.

LII. *De colonis Illyricianis.*

TErtiò coloni Illyriciani similiter præstant iugationem, non capitationem. l. vn. Lege notata ad tit. de agric. cens. memb. 3.

LIII. *Vt nemo ad suum patrocinium suscipiat vicos, vel rusticos eorum.*

NOta quintò iure prohibitum esse, vt potentiores suscipiant vicos aut agricolas patrocinij causâ, quod in fraudem publicarum functionum fiebat. & similiter interdici agricolis, ne se, aut vicos in clientelam dent. l. 1. & 2.

LIV. *Vt rusticani ad nullum obsequium deuocentur.*

NOta sextò rusticanos siue agricolas nihil præstare compellendos, præter iugationem, & capitationem. l. 1. & 2. Hactenus de agricolis.

LV. *Non licere habitatoribus metrocomiæ loca sua ad extraneum transferre.*

1 DEcimum octauum corpus est conuicanorum, id
2 est, eorum qui sunt ex eodem vico. ¶ Nota primò metrocomiam esse matrem vicorum, vt metro-
3 polis est mater vrbium. ¶ Nota secundò extraneos non posse terram metrocomiæ possidere, idcirco vicanos non posse extraneo terras suas vendere, sed tantùm conuicano, id est, habitatori adscripto eidem metrocomiæ. l. 1. Datur igitur conuicano ius μετιμήσεως, quod non datur proximo, aut consorti. ſ. de contrah. empt. l. pen.

LVI. *Vt nullus ex vicanis pro alienis vicanorum debitis teneatur.*

NOta tertiò vicanum ex contractu vel delicto conuicani non teneri. Nam iure Iustinianeo pignerationes, quæ vulgò vocantur repræsaliæ, non probantur. l. vn. & Nou. 52. cap. 1. De his dixi in commentario auth. habita. ſ. ne filius pro patre. Hæc dicta sint de vicanis.

LVII. *De censibus, & censitoribus, & peræquatoribus, & inspectoribus.*

ABsoluta est prior huius libri pars, quæ est de vniuersitatibus seu collegiis & corporibus: sequitur posterior, quæ est de censibus. Hîc tria considerantur: nempe ipse census: persona censum agens, vel actum emendans: & res, quæ in censum cadunt. De censu dixi D. lib. 50. tit. 15. Quod ad personas attinet, censitores vel censores sunt, qui censum agunt. Peræquatores & inspectores, qui censum emendant, prædiis inspectis, & inuicem adæquatis, ne alterum alterius onus ferat, sed æqua lance tributa pendant. ſ. de anno. & tribu. l. vltim. & ſ. de fund. patrimon. l. fundos. 10.

LVIII. *De omni agro deserto, & quando steriles fertilibus imponuntur.*

IAm dicamus de rebus quæ in censum cadunt, vel 1
non cadunt. agendum igitur est I. De agris. II. De gregibus. III. De ædificiis. IV. De arborib. ¶ Agro- 2
rum varia genera seu variæ qualitates considerantur. In primo genere sunt agri deserti, id est, inculti, Gallicè *en friche*, qui dicuntur etiam defecti. l. 7. & destituti. l. 8. ac differunt ab iis quæ pro derelicto habentur: quoniam ea statim desinunt esse eius qui dereliquit, & statim conceduntur occupanti. D. pro derelic. l. 1. & Institut. de rer. diuis. ſ. penult. hæc verò intra biennium à domino meliorationis impensas restituente recuperari possunt. d. l. 8. Biennij autem silentio dominus ius suum amittit, & ex eo tempore is qui occupauit, & coluit, canonem fisco pendit. l. 7. ¶ Quid ergo si agrum desertum nemo occupet? Su- 3
scipere volenti addicuntur sine reliquorum onere. Antiquus autem dominus & creditores præscriptione sex mensium excluduntur. l. locorum. 11. & ſ. tit. prox. l. vlt. ¶ Sed cogitur ne quis inuitus desertum 4
agrum suscipere? Non cogitur, nisi eiusdem substantiæ bona possideat. l. qui per potentiam. 10. l. hac definitione. 12. Extraneus suscipere non cogitur, nisi alienum colonum, aut adscriptitium mala fide susceptum reddere noluerit, & ob eam causam ager desertus fuerit. Nouel. 17. cap. 14. ¶ Quoniam igitur de- 5
seri solent agri steriles, atque hi regulariter, adiiciuntur habentibus agros fertiles eiusdem substantiæ (vt ὁμοδούλους, qui eidem domino canonem præstant: & ὁμοκήνσους, qui ex iis bonis, quæ simul in censum relata sunt, prædia possident, quia scilicèt eius bona, quæ simul in tabulas censuales sunt relata, postea sunt in plures successores diuisa) idcirco hæc adiectio (quam Græci vocant ὁπισολὴ) Nou. 128. cap. 8. Nouel. 166. & 168. Eclo. Basil. lib. 57. tit. 18. Harmenop. lib. 6. tit. 3. §. ὁπισολὴ) significatur posteriori parte huius rubricæ, id est, illis verbis, *quando steriles fertilibus imponuntur.*

LIX. *De fundis limitrophis, & terris, & paludibus & pascuis limitaneis, vel castellorum.*

IN secundo genere sunt fundi limitrophi, vel limi- 1
tanei, vel castellorum. ¶ Limitrophi sunt, ex quibus ad imperij limites annona defertur. l. 1. ad alendos milites limitaneos, ideóque dicuntur limiti de- 2
putati.

putati. ĩ. de fund patrim. l. omnes. 8. Milites autem limitanei dicuntur, qui limites, id est, fines imperij aduersus barbaros tuentur. Sudas in verbo λιμιτανεῖοι.
3 ¶ Fundi limitanei sunt, qui ad milites limitaneos spectant vnà cum paludibus & pascuis. l. vlt. ¶ Fundi castellorum sunt, qui ad milites castellanos pertinent. l. 2. id est, ad eos, qui præsidij causâ in locis munitis
4 stationem habent. ¶ In pascuis igitur limitaneis vel
5 castellanis animalia militaria pascuntur.

LX. *De pascuis publicis, vel priuatis.*

NOn in pascuis publici, vel priuati iuris, l. 2.

LXI. *De fundis patrimonialibus, & saltuensibus, & emphyteuticis, & conductoribus eorum.*

1 IN tertio genere sunt fundi pertinentes ad substantiam principis. Est autem duplex principis substantia: altera publica seu fiscalis, quæ est quasi in patrimonio principis: altera priuata, quæ verè & propriè est in eius patrimonio. s̃. de quadr. præscript. l. vlt. vers. sed scimus. & vers. quæ enim. & D. ne quid in lo. publi. l. 2. §. hoc interdictum ad ea loca. Publica substantia est sub comite sacrarum largitionum, de quo s̃. lib. 1. tit. 32. Priuata substantia, quia latè diffusa est, plures præfectos recipit, & facilioris distinctionis gratiâ plura nomina, quæ tamen eandem vim habent, idcirco interdum confunduntur. Fundorum igitur ad priuatam principis substantiam pertinentium, de quibus deinceps dicetur, alij dicuntur patrimoniales, qui sunt sub comite sacri patrimonij, de quo s̃. lib. 1. tit. 34. alij rei priuatæ, constituti sub comite rerum priuatarum, de quo s̃. lib. 1. tit. 33. alij diuinæ domus, qui pertinent ad curam comitis domorum, cuius mentio fit s̃. vt omn. iud. tam ciuil. quàm milit. l. vn. in princ. & vbi cau. fiscal. l. vlt. & ad leg. Iul. repetund. l. penult. & ĩ. de præpos. sac. cubic. l. 2. & de palat. sacrar. largit. l. 3. alij dominici, alij tamiaci, de quibus omnibus eodem ordine dicetur, quo nunc recensui. Quamquam (vt dixi) hæc interdum confunduntur; vt res ex priuata substantia, & res diuinæ domus. s̃. de quadr. præscr. l. vlt. & Instit. de vsurpat. §. vlt. Item res priuatæ, & patrimonium principis. ĩ. de fund. rei. priu. l. 3. Item res dominica & res priuata. ĩ. eod. l. penult. & s̃. de iu. fis. l. super 9. vel ærarium priuatum. ĩ. de fund. rei priu. l. vlt. item res tamiaca, & res dominica. ĩ. de præd. tam.
2 l. 1. ¶ De fundis patrimonialibus nota primò alios in hac conditione & appellatione manere, alios nouam conditionem & nouam appellationem adsummere, qui nihilominùs manent & dicuntur patrimoniales: vt emphyteutici, qui in emphyteusim dati sunt. l. vniuersi. 9. & l. seq. & saltuenses, qui pascuis sunt destinati. l. vlt. & limitrophij, qui limitibus sunt deputati. l. omnes. 8. & l. penult. ¶ Nota secundò hos non posse alienari, nec esse in commercio, nisi princeps iusserit. D. de legat. j. l. cùm seruus. 39. §. vlt. posse tamen locari: ideóque in extrema rubrica proponitur de *conductoribus eorum*.

LXII. *De mancipijs & colonis patrimonialium, & saltuensium, & emphyteuticorum fundorum.*

NOta tertiò sicut in fundis priuatorum sunt varia genera agricolarum, nempe serui, coloni adscriptij, & coloni liberi, vt expositi tit. 47. ita etiam eadem agricolarum genera reperiri in fundis patrimonialibus, saltuensibus, & emphyteuticis.

LXIII. *De fugitiuis colonis patrimonialibus, saltuensibus, & emphyteuticis.*

NOta quartò, vt coloni priuatorum fundorum non possunt terras deserere, &, si deserant vel ad militiam aliquam obrepant, ad fundos, quibus sunt addicti ad pristinam conditionem reuocantur, vt notaui d. tit. 47. ita etiam coloni fundorum patrimonialium, & saltuensium, & emphyteuticorum. l. 1. & s̃. tit. prox. l. vltim.

LXIV. *De collatione fundorum patrimonialium, & emphyteuticorum.*

NOta quintò fundos patrimoniales ordinarios excusari ab extraordinariis muneribus & functionibus, non ab ordinariis, nec à munere viarum muniendarum. l. 1. 2. & vltim. Hactenus de fundis patrimonialibus.

LXV. *De fundis rei priuatæ, & de saltibus diuinæ domus.*

DE fundis rei priuatæ nota primò fundos rei priuatæ postulantibus addici per comitem rerum priuatarum, cum onere cui tunc sunt obnoxij. nam fundo per possessionem meliorato & aucto, non augebitur onus pro hac portione. l. 2. 1
¶ Nota secundò hunc qui fundum rei priuatæ accepit, si eum ad alterum transferat, oneris periculum subire: cogetur enim soluere pro eo, in quem contulit fundum, si is non sit soluendo. l. 3. 2
¶ De fundis diuinæ domus nota esse quosdam pascuis destinaros, qui vocantur saltus diuinæ domus. 3

LXVI. *De fundis & saltibus rei dominicæ.*

DE fundis rei dominicæ similiter nota quosdam esse dicatos pascuis, qui vocantur saltus rei dominicæ.

LXVII. *De agricolis & mancipijs dominicis, vel fiscalibus, siue rei priuatæ.*

COmmuniter de fundis rei priuatæ & dominicis nota hos coli per seruos, & colonos agricolas, vt s̃. diximus de fundis priuatorum hominum, & de fundis patrimonialibus, quod etiam in prædiis fiscalibus obtinet.

LXVIII. *De prædijs tamianis, & de his qui ex colonis dominicis, aliisque liberæ conditionis procreantur.*

TAndem agitur de prædiis tamianis, quæ Cuiacius notat fuisse in Cappadociæ prouinciis, vt scribit Iuliani interpres in Nou. 30. & Græci ad l. 5. C. ad leg. Iul. repetund. & eorum curam pertinuisse ad comitem domorum, & ad præpositum sacri cubiculi. C. vbi causæ fisc. l. vltim. ¶ Hæc quoque colebantur per seruos, & adscriptitios, & colonos. ¶ Nota, ex colono libero & tamiaca, vel ex tamiaco & colona libera, nasci tamiacum: ex adscriptio autem vel seruo alieno, & tamiaca, item ex tamiaco & adscriptitia vel ancilla 1 2 3

BIU Cujas

aliena natum, sequi matris conditionem. l. 1. vt sequitur etiam natus ex seruo & adscriptitia, vel ex adscriptitio & ancilla, vel ex libero & adscriptitia. §. de agric. & cens. l. ne diutius. 2 1. vel ex adscriptitio & libera. §. eo. l. vlt. vel ex libero & colona. §. eod. l. mulier. 16. Hucusque de fundis principis.

LXIX. *De de diuersis prædijs vrbanis & rusticis templorum, & ciuitatum, & omni reditu ciuili.*

IN quarto genere sunt prædia templorum, & in quinto prædia ciuitatum, de quibus coniunctim agitur. Cùm autem suprà tantùm de prædiis rusticis tractatum fuerit; hîc agitur etiam de prædiis vrbanis. Quin etiam de annuis reditibus. l. vltim. quia vt prædia sunt res immobiles, ita etiam annui reditus habentur pro rebus immobilibus. §. de sacrosanct. eccles. l. iubemus nulli. 14. in princ. & Nou. 7. vers. vult enim, & Clem. 1. §. cúmque annui. de verb. signif.

LXX. *De locatione prædiorum ciuilium, vel fiscalium, siue templorum, siue rei priuatæ, vel dominicæ.*

1 POstquàm distinctè egit de prædiis principis, & de prædiis templorum vel ciuitatis; deinceps duo iis communia considerat, locationem, & collationem.

2 ¶ De locatione nota primò locationem fieri vel ad tempus, vel in perpetuum. §. de loc. & conduct. l. viam. 10. sed propriè locatio dicitur, quæ ad tempus fit. §. de excus. mun. l. penult. & de fund. rei priua. l. 3. nam quæ in perpetuum fit, propriè appellatur emphyteusis, non conductio. C. de iu. emphyteut. l. 1. & Instit. de loc. & conduct. §. adeo. & qui in perpetuum conducunt perpetuarij vel emphyteutæ. l. 1. & §. de offic. com. rer. priuatar. l. 2. atque hi, licèt non sint veri domini. D. si ag. vectig. l. 1. tamen interdum vocantur domini. §. de fund. patrim. l. possessores. 12. quia dominium vtile, vt & vtilem in rem actionem habent. d. l. 1. Idem est, si ad longum tempus conduxerint. D. eod. l. vltim. & de superfic. l. 1. §. quod ait. videlicèt si id actum sit, vt dominium vtile habeant, alioquin essent potiùs conductores, quàm emphyteutæ. quam obrem in d. §. quod ait. non datur vtilis in rem actio ei qui ad longum tempus conduxit, nisi causâ cognitâ.

LXXI. *De conductoribus & procuratoribus siue actoribus prædiorum fiscalium, & domus Augustæ.*

NOta secundò prædiorum ad fiscum vel ad domum principis pertinentium conductores vti iure communi, siue de his prædiis agant, siue conueniantur: nec posse alienarum litium vel alienorum negotiorum patrocinium seu procurationem aut executionem suscipere, quod & de procuratoribus & actoribus eorundem prædiorum constitutum est. l. vni.

LXXII. *Quibus ad conductionem prædiorum fiscalium accedere non licet.*

NOta tertiò palatinos (id est, apparitores comitis rerum priuatarum), milites, & curiales prædia fiscalia vel rei priuatæ conducere non posse. l. vn. Rubrica est concepta de rebus fiscalibus, lex autem loquitur de possessionibus rei priuatæ: quia vtriusque rerum generis eadem est ratio; & in vtriusque idem ius seruatur. Sic in superiori titulo rubrica mentionem fecit rerum fiscalium, quæ in lege prætermittuntur: sed in his obtinent statuta de rebus domus Augustæ. Hactenus de locatione: deinceps dicamus de collatione.

LXXIII. *De collatione fundorum fiscalium, vel rei priuatæ, vel rei dominicæ, vel ciuitatum, vel templorum.*

DE collatione nota omnia prædia, atque adeò etiam fiscalia, rei priuatæ, &c. præstare ordinaria munera, vt annonas, transuectionem, & censum. l. vlt. & §. titul. prox. l. 2. & alia eiusmodi munera. §. eod. l. 3. & 4.

LXXIV. *De priuilegijs domus Augustæ, vel rei priuatæ, & quarum rerum excusationem habeant.*

EXcusari autem à muneribus sordidis, & extraordinariis, vt superindictionibus. l. 1. & l. vlti. Hucusque à tit. 57. dictum est de fundis: obiter autem tit. 69. attigimus etiam prædia vrbana, & annuos reditus templorum, & ciuitatum, vt de omnibus rebus immobilibus ad templa vel respublicas pertinentibus simul ageremus: consequenter de aliis rebus dicamus.

LXXV. *De grege dominico.*

ALibi notaui dominicum appellari, quod est principis: quia princeps vocatur dominus. Huius tituli constitutio eum multat, qui equum, vel aliud animal ex grege dominico occupauerit, nec vltrò restituerit.

LXXVI. *De palatijs, & domibus dominicis.*

DE palatiis & domibus principis statuitur, ne priuatis vsibus seruiant. l. vn.

LXXVII. *De cupressis ex luco Daphnensi, vel Perseis per Ægyptum non excindendis.*

HOc titulo punitur, qui cupressum ex Antiochiæ luco Daphnensi vel Perseam arborem in Ægypto exciderit, vel transtulerit, seu vendiderit, emerítve. l. 1. & 2.

LIBER XII.

TITVLVS I.

De dignitatibus.

EX quatuor, quæ initio superioris libri 1 enarranda proposuimus, duo iam exposita sunt, nempe vniuersitates & census: reliqua duo, videlicèt dignitates, & apparitores, hoc vltimo libro declarabuntur. Quocirca huius postremi libri, vt duorum qui proximè præcedunt, duæ sunt principes partes:

BIU Cujas

tes: prior de dignitatibus, posterior de apparitoribus.
2 ¶ Dignitatis vocabulum præstantiam quandam significat, ac latè patet, nam & orationi tribuitur, cùm ratione verborum, tum etiam ratione rerum ipsarum, quæ oratione exprimuntur, & personæ. De dignitate orationis sic scribit auctor ad Herenn. lib. 3. *Dignitas est oratio cum aliqua grauitate & vocis remissione*, & lib. 4. *Dignitas est, quæ reddit ornatam orationem, varietate distinguens. hæc in verborum & sententiarum exornationem diuiditur.* Dignitas personæ duplex est: altera in corporis forma consistit, altera in animi qualitate & ornamentis magis ad animum quàm ad corpus pertinentibus. De priori sit scribit Cicero lib. 1. offic. *Cùm pulchritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas sit, in altero dignitas: venustatem, muliebrem ducere debemus: dignitatem, virilem.* Posterior ab eodem Cic. lib. 2. de inuent. definitur *Alicuius honesta & cultu & honore & verecundiâ digna auctoritas.* De hac in præsentia loquimur.
3 ¶ Sed hæc rursus diuidi, vt alia multa, potest in dignitatem facti, & dignitatem iuris. Dignitas facti est, ratione cuius ab honestis hominibus aliquis iudicatur honore dignus. Dignitas autem iuris est, quæ speciali principis aut legis beneficio alicui tribuitur: de qua
4 sola hoc libro tractatur. ¶ Huius diuisiones duæ in sequentibus titulis cõsiderantur. Prima diuisio in duo genera deducitur. vt enim tres erant ordines apud Romanos, senatus, equites, plebs: vnde peruulgatum illud carmen,

Mærtia Roma triplex, equitatu, plebe, senatu:

ita etiam tres sunt in genere dignitates: senatoria, equestris, & perfectissimatus. C. Th. de his qui vent. ætat. impetr. l. 1. Marcellinus lib. 21. de Constantio loquens, *Nec sub eo*, inquit, *dux quisquam cum clarissimatu profectus est: erant enim, vt nos quoque meminimus, perfectissimi.* Erat olim & dignitas egregiatus. C. Th. de honorar. codicil. l. 1. & de murilegu. l. 1. & de decur. l. 5. sed huius nulla mentio fit in iure Iustinianico. nam Paulus in l. ad personas. 15. D. de iureiu. de egregiis personis loquens, procul dubio ad hanc dignitatem non
5 respexit. ¶ Senatoriæ dignitatis tres sunt gradus: illustratus, spectabilitas, & clarissimatus. ſ. de episc. audien. l. neminem. 22. in princ. Nou. 7. in fi. Nou. 13. cap. 3. Isidor. lib. 9. Originum, cap. 4. §. primi ordines. Interdum tamen clarissimatus sumitur latiùs, vt etiam illustratum & spectabilitatem complectatur. Nou. 71.
6 ¶ Illustrium alij sunt superillustres, vt consules, & patritij: alij simpliciter illustres, vt comes sacrarum largitionum, & comes rerum priuatarum. ſ. de vsur. l. cos. 26. §. 1. & de appellat. l. si quando. 38. & Institut. de
7 iniur. §. in summa. ¶ Secunda diuisio est bipertita: alia namque est dignitas ciuilis, alia militaris. No. 7. in fi.
8 ¶ His generaliter expositis, deinceps singulas dignitates ordine consideremus.

II. *De prætoribus, & honore præturæ, & gleba, & folli, & septem solidorum functione sublata.*

1 Hic titulus ad senatoriam dignitatem pertinet: quia prætura erat onus senatoriam. No. Theod. ne decur. ad senat. dignit. adspir. Boët. 3. de consolat. prosa 4. *Prætura, magna olim potestas, nunc inane nomen, & senatorij census grauis sarcina.* Nam qui prætura honorem suscipiebat, Circenses, & scœnicos ludos suis sumptibus exhibere cogebatur. Præterea qui fundos possidebant, glebam seu glebalem functionem præstabant, id est, aliquot folles, qui fundis carebant, duos folles in ærarium inferebant. C. 2
Theod. lib. 6. tit. 2. l. si quis senatorium. ¶ Follis erat aurei nummi genus. C. Theod. quor. appellat. non recip. l. 2. & 3. & de suariis l. 3. & de prætor. & quæst. l. primæ. 5. l. tempore. 21. Huius appellationis auctor fuit Constantinus, si Zosimo credimus, qui ita scribit 2. de Constantino, Ἀπηχάλατο τὰς τῶν λαμπροτάτων οὐσίας, τέλος ἐπιθεὶς, ᾧ τινὶ φόλλιν αὐτὸς ἐπέθηκεν ὀνομα, id est, *Descripsit clarissimorum substantias, onere* 3
imposito, cui follis ipse nomen dedit. ¶ Quidam præstabant tantum septem solidos: vt tenuiores. C. Theod. d. tit. 2. l. si quis nostris. nec non qui ex proximis erant senatui aggregati. C. Theod. de prox. com. dispos. l. 4
omnes. 12. ¶ Hæc onera tolluntur l. 2. vide ibi Cuiac.

III. *De consulibus, & non spargendis ab his pecunijs, & de præfectis, & magistris, militum, & de patricijs.*

Qvia primus senatoriæ dignitatis gradus est illu- 1
stratus, primùm de illustribus, postea de ceteris dicendum. Illustres sunt primò consules, de quibus dictum est ad tit. D. de offic. consul. ¶ Ornamen- 2
ta consularia sunt, trabea siue palmata, scipio, calcei aurati, sella curulis, fasces, vt Cuiac. ad l. 2. notat ex Cassiodoro in formula consulatus. ¶ Consules pe- 3
cunias in vulgus spargere prohibent Valentinianus & Marcianus l. 2. permittit Iustinianus Nouel. 105. §. quid autem oporteat. quæ Nouel. abrogatur per No. Leonis 94. ¶ Secundò illustres sunt præfecti, id est, 4
præfecti prætorio, de quibus dictum fuit lib. 1. tit. 26. & 27. & præfectus vrbi, de quo dictum fuit ad tit. D. de offic. præf. vrb. ¶ Tertiò magister militum, de quo 5
dictum est lib. 1. tit. 29. ¶ Quartò patricij, qui erant 6
quasi patres principis. l. vlt. & Instit. quib. mod. ius potest. soluit. §. filiusfamilias.

IV. *De præfectis prætorio, siue vrbi, & magistris militum, in dignitatibus exæquandis.*

Svprà dicti præfecti & magister militum in dignitate exæquantur; adeo vt deposita administratione, ille præcedat, qui prior dignitatem accepit. l. 1. & 2.

V. *De præpositis sacri cubiculi, & de omnibus cubicularijs, & priuilegijs eorum.*

Qvintò præpositi sacrorum cubiculorum, id est, 1
præpositus cubiculo principis, & præpositus cubiculo Augustæ. l. vlt. idcóque in dignitate dictis præfectis, & militum magistro exæquantur. l. 1. ¶ Eo- 2
rum iurisdictioni subiecti sunt coloni vel inquilini vel serui sacrarum domorum, vt & comiti sacrarum domorum. ſ. vbi causæ fisc. l. vlt. ¶ Hic quoque co- 3
mes in numero cubiculariorum est. l. 2. non tamen est illustris, vt præpositus, sed spectabilis. d. l. vlt. ¶ Om- 4
nes cubicularij & excubicularij, excepto excastrensi, & excomite domorum, hoc priuilegium habeut, vt à sordidis muneribus sint immunes. l. 2. & ſ. de excusat. muner. l. maximarum. 12.

VI. *De quæstoribus, magistris officiorum, & comitibus sacrarum largitionum, & rei priuatę.*

Sexto quæstor sacri palatij. Septimò magister officiorum. Octauò comes sacrarum largitionum.

BIU Cujas

Nonò comes rei priuatæ. De his diximus lib.1.tit.30. 31.32. Hactenus illustres; sequuntur spectabiles.

VII. *De primicerio, & secundicerio, & notarijs.*

1 INter spectabiles numeratur primò primicerius notariorum. Notitia Romani imperij, *Sub dispositione viri spectabilis primicerij notariorum omnis dignitatum & administrationum notitia tam militarium quàm ciuilium.* Tribunus autem prætorianus & notarius est clarissimus. ℈. de aduoc. diuers. iudic. l. restituendæ 25.
2 §.1. Nouel. 13. cap.3. ¶ Primicerius (vt Sudas definit) est cuiuscumque ordinis primus, ὁ πρῶτος τάξεως ἢ τυχόσης. Sic dicitur, tamquam in prima cera scriptus, quia veteres inceratis tabulis scribebant: vnde illæ loquendi formulæ, *in prima cera, in secunda cera, in ima cera, &c.* Sueton. in Cæsare, cap.83. *Nouissimo testamento tres instituit heredes, sororum nepotes.* &c. *reliquos in ima cera.* Eadem igitur ratione dicun-
3 tur secundicerius, tertiocerius, &c. ¶ Hic titulus est de primicerio, & secundicerio notariorum, & omnibus notariis. Quamquam nulla huius tituli lex lo-
4 quatur de secundicerio. ¶ Notarij sunt secretarij, siue à secretis, qui notas publicas conscribunt. ℣. qui milit.poss.l.5. Procop.lib.2.de bel. Persarum ἀπορρήτων γραμματεὰ ἀσκηθῆτις καλέω. *Arcanorum scribam, à secretis appellant.*

VIII. *Vt dignitatum ordo seruetur.*

IN dignitatibus, quarum notitiam sub dispositione viri spectabilis primicerij notariorum esse diximus, ordo est seruandus. non solùm enim qui sunt in superiori gradu, iis præferuntur qui sunt in inferiori gradu; vt illustres spectabilibus, spectabiles clarissimis: sed etiam in iis qui sunt eiusdem gradus, est ordo aliquis. Etenim superillustres sine dubio præferuntur illustribus. Item ij qui administratione illustrem dignitatem adnexam habente functi sunt, iis qui sunt illustri dignitate à principe donati, præferuntur. & inter eos qui sunt dignitate donati, vacantes honorariis præferuntur: quoniam illi honore donati sunt cum cingulo, hi sine cingulo. & inter vacantes vel honorarios, ij qui sunt præsentes in comitatu principis, præferuntur absentibus. l.2.

IX. *De magistris scriniorum.*

SEcundò inter spectabiles ponuntur magistri scriniorum. l.vn. & ℈. de diuers. rescript. l.vlt. comitatum dignitate decorati. ℈. de excusa. mun. l. eos. 11. Horum alij vocantur magistri memoriæ, alij magistri epistolarum, alij magistri libellorum. d.l.eos.

X. *De comitibus consistorianis.*

TErtiò comites consistoriani. l.1. & 2. Consistorium est consessus, in quo princeps de quibuscumque causis cognoscit, consistorianorum ministerio vtens, qui in eas inquirunt. Ex consistorianis qui comitiuâ primi ordinis ornabantur, comites consistoriani appellabantur, & erant (vt dixi) spectabiles. Comitum tres fuisse ordines, primum, secundum, tertium, Eusebius testatur in vita Constantini lib.4.

XI. *De comitibus & tribunis scholarum.*

QVartò tribuni scholarum, qui comitiuâ primi ordinis donari solebant. l.1. vocabantúrque comites scholarum. ℈. de offic. mag. offic. l.3. & ℣. de priuil. scholar. l.1. Scholas intellige agentium in rebus, de quibus dicetur posteriùs.

XII. *De comitibus rei militaris.*

QVintò comites rei militaris, id est, militum præpositi, comitiuâ primi ordinis decorati. l.1. & 2. Notitia imperij duos ponit comites rei militaris in oriente, viros spectabiles, alterum per Ægyptum, alterum per Isauriam.

XIII. *De comitibus & archiatis sacri palatij.*

SExtò archiatri sacri palatij, comitiuâ primi ordinis donati. l.1. Quamquam archiatri non solùm primi ordinis, sed etiam secundi ordinis comitiuâ interdum donantur ℈. de posses. & med. l.vlt.

XIV. *De comitibus qui prouincias regunt.*

SEptimò comites, qui prouincias regunt: vt comes orientis, de quo dictum fuit lib.1.tit.36.

XV. *De professoribus, qui in vrbe Constantinopolitana docentes, ex lege meruerunt comitiuam.*

OCtauò publici professores, qui post 20. annorum professionem laudabiliter expletam, comitiuâ primi ordinis donantur. l.vn. Hactenus spectabiles: sequuntur clarissimi.

XVI. *De silentiarijs, & decurionibus eorum.*

INter clarissimos primò occurrunt silentiarij. l.5. in princ. id est, excubitores in consistorio vel palatio principis. l.3. in fi. Hi subsunt decurionibus, qui decuriones sacri palatij, l.1. vel decuriones sacri consistorij appellantur. C. Th. lib.6. tit.2. l.vlt. & omnes magistro officiorum subiiciuntur tam in causis ciuilibus, quàm in criminalib. l.4.

XVII. *De domesticis & protectoribus.*

SEcundò domestici & protectores decem primi, qui domesticorum aut protectorum primicerium ordine sequuntur. nam primicerius tribunatu accepto spectabilis fieri solet. l.2. Protectores sunt, quibus lateris principis protegendi solicitudo incumbit. Horum alij dicuntur protectores domestici, vel simpliciter domestici: qui (vt indicio nominis apparet) familiariùs militant principi: alij simpliciter protectores, qui in acie eam solicitudinem patiuntur. C. Th. h. t. l. deuotissimis. 8. & l. seq. Horum alij fuerunt equites, alij pedites. l.vltim. & ℈. de aduoc. diuer. iud. l. restituendæ. 25.

XVIII. *De præpositis laborum.*

TErtiò præpositi laborum, qui ex protectoribus sumebantur. l.vn. id est, præpositi magno illi vexillo, quod vulgò *laborum*, & *laborum solutio*, κάμάτων λυτήριον dicebatur; & vt quæque pars exercitus in acie laborabat, in eam quasi auxilij & liberationis vice inferebatur à præpositis. fuisse autem ei quinquaginta milites à Constantino præpositos, testatur Eusebius de vita Constantini lib.2. cap.8. vide Cuiac. hîc.

XIX.

BIU Cujas

XIX. *De proximis sacrorum scriniorum, ceterisque qui in sacris scrinijs militant.*

QVartò palatini, non tamen omnes sed aliqui. Palatinorum appellatione continentur primò qui in sacris scriniis militant. Sacra palatij scrinia (id est, capsæ siue armaria, in quibus literaria monumenta, vt cognitiones, preces, rescripta seruabantur, ſ. de testam. l. omnium. 19. & de aquæd. l. vlt. & ĵ. tit. prox. l. 3.) quatuor erant: memoriæ, epistolarum, libellorum, & dispositionum. l. 1. l. 3. l. si quis. 11. Vnde quatuor erant scriniorum magistri, id est, magister memoriæ, magister epistolarum, magister libellorum, magister dispositionum, qui quidem erant spectabiles. Qui proximum locum tenent, proximi sacrorum scriniorum appellantur. Hos sequuntur mello proximi, id est, sequenti anno futuri proximi. & tam hi, quàm illi sunt clarissimi. l. 5. l. penult. §. 1.

XX. *De agentibus in rebus.*

SEcundò palatinorũ appellatione continentur agentes in rebus, id est, qui in rebus ipsis militant, vnde ab iis distinguuntur, de quibus titulo proximo dictum fuit, id est, à militantibus in scriniis, quorum militia literata dicitur. ſ. tit. prox. l. proximos. 8. Agentium in rebus sunt multi gradus. 1. tribuni scholarum, 2. primicerij, 3. senatores, 4. ducenarij, 5. centenarij, 6. brarchi, 7. circitores, 8. equites, 9. tyrones. l. 3. & ſ. de offic. mag. offic. l. 1. & 3. & ĵ. de priuileg. schol. l. 1. Hieronym. aduersus Ioh. Hierosolymitanum ad Pammachium. Cuiac. hîc. Non tamen omnes sunt clarissimi, nam tribuni scholarum sunt spectabiles: proinde tit. 11. inter spectabiles sunt connumerati.

XXI. *De principibus agentium in rebus.*

POrrò agentes in rebus post iugis militiæ tempus pro præmio laboris exacti fiunt principes agentium in rebus. C. Th. de agent. in reb. l. agentibus. 13. l. nemo. 16. Hi principes dicuntur clarissimi. l. vlt. sed eis adiicitur dignitas proconsularis, quæ est spectabilitas. l. 3.

XXII. *De curiosis.*

EX agentibus in rebus sunt etiam curiosi, ad quos cura cursus publici pertinet. l. 2. 3. 4. & ſ. de offic. mag. offic. l. 1. Hi vocantur etiam cura gerendarij. C. Th. h. t. l. 1.

XXIII. *De palatinis sacrarum largitionum, & rerum priuatarum.*

TErtio loco considerantur palatini sacrarum largitionum quorum primicerij sunt clarissimi. l. pen. & ĵ. de priuileg. scholar. l. 2. Quartò palatini rerum priuatarum, qui quidem palatinis sacrarum largitionum comparantur. l. vlt.

XXIV. *De stratoribus.*

QVintò stratores, ad quorum officium pertinebat I. Equos militares, qui à prouincialibus conferebantur, probare. l. vn. Marcellin. lib. 29. *Constantinus strator paucos miluares equos ex his ausus mutare, ad quos probandos missus est in Sardiniam.* II. Equum freno tenere, & conscendenti principi opem ferre. dist. 96. c. Constantinus. 14. vers. & tenentes. Spartianus in Caracalla, *Cùm illum in equum strator eius leuaret.* III. Reos sibi commissos custodire. ſ. de custod. reor. l. 1. vers. illud etiam. Vnde Cyprianus, vt in eius vita legitur, & à Cuiac. refertur, *ductus & susceptus est custodiendus ab stratore officij proconsularis.* Ex quo loco apparet fuisse aliquando etiam proconsulibus stratores: quos tamen habere prohibentur. D. de offic. proconsul. l. 4. §. 1.

XXV. *De castrensianis & ministerianis.*

SExtò castrensiani seu ministeriani, id est, ministri aulici: vt pædagogia, cellarij, pincernę, pistores, &c. qui comiti castrensi subiecti erant. l. 1. & in Notit. imperij.

XXVI. *De decanis.*

EX ministerianis sunt etiam decani. l. 2. & ĵ. de diuers. offic. l. vlt. §. vlt. Quorum ministerium quodnam esset, non satis constat. Cuiacius putat eos cadauera humasse. Pancirolius præceptor meus in comm. notit. imperij oriental. cap. 91. hos putat esse cubicularios, & cubiculo inseruiuisse, ac distinguit à ministerianis, subiicítque non comiti castrensi, sed primicerio cubiculariorum. Probabile mihi videtur hos esse, quos Sueton. in Domit. cap. 17. decuriones cubiculariorum appellat. Est autem decanus vel decurio, qui decem viris præst. Veget. lib. 2. cap. 7.

XXVII. *De mensoribus.*

ITem ex ministerianis sunt mensores. ĵ. de diuers. offic. l. vlt. §. vlt. De his dici putat Cuiac. quod scribit incertus auctor adiunctus libris de limitibus agrorum, *Ministeriales Imperatorum putamus maiores in accipiendo, minores in dando mensuras habuisse.* Ergo ex sententia Cuiacij mensores à mensurâ siue à metiendo dicuntur. Pancirolus d. cap. 91. minùs probabiliter putat mensores esse mensæ ministros. VVesemb. intelligit metatores, qui hospitium principi præparant. Nam in l. 1. 2. & 5. ĵ. de meta. & epid. vbi vulgò *metatorum*, & *metatores*, scriptum est, Cuiacius legit *mensorum*, & *mensores*. Ego Cuiacij interpretationem hoc loco probo.

XXVIII. *De priuilegijs eorum qui in sacro palatio militant.*

PAlatinorum variis generibus expositis, iam eorum priuilegia proponit: vt excusationem à muneribus personalibus, & à patrimonialibus sordidis. l. 1.

XXIX. *De priuilegijs scholarum.*

SVnt & palatinarum scholarum certa priuilegia. Scholas enim palatinas vocat Marcel. li. 14. Schola palatina est aliquâ militiâ militantiũ corpus siue vniuersitas. Fuerunt autem scholæ palatinæ sub magistro officiorũ. l. 1. & 2. & de offi. mag. offi. l. 3. Et erãt numero vndecim. ſ. de loca. l. vlt. A Cuiacio in ll. 1. ſ. de anno. ciuilib. sic recensentur: Scutariorũ prima, secunda, tertia, Agentium in rebus, Armaturarũ seniorũ, Armaturarum iuniorum, Gentilium seniorũ, Gentilium iuniorum, Scutariorum sagittariorum, Scutariorum clibanariorum, Fabricensium. A Pancirol. in notit. imperij orient. cap. 63. dicuntur duæ inermes, Agentium in rebus, & Silentiariorum: septem armatæ sub magistro officiorum. Scutariorum prima, Scutariorum se-

BIU Cujas

cunda, Gentilium seniorum, Scutariorum sagittariorum, Scutariorum clibanariorum, Armaturarum iuniorum Gentilium iuniorum: duæ armatæ sub comitibus Magistrorum militum vices agentibus, domesticorum equitum, & domesticorum peditum. Scutarij dicebantur, qui scutis vtebantur, & erant armis vndique tecti: at scutarij sagittarij, non solùm scutis, sed etiam sagittis vtebantur. scutarij clibanarij erant equites cataphracti, qui non solùm suum corpus, sed etiam equos armis tegebant. Armaturæ dicebantur, milites grauis armaturæ, grandius scutum & longiorem hastam gestantes. Gentiles erant idololatræ, barbari, ex diuersis gentibus Romano imperio non subiectis collecti. De agentibus in rebus dictum est §. tit. 20. De silentiariis tit. 16.

XXX. *De castrensi omnium palatinorum peculio.*

INter priuilegia palatinorum & scholasticorum est, vt filij familiarum habeant peculium castrense, in quo plenum dominium habent. l. vn. & §. de priuil. eor. qui in sa. pala. milit. l. 2. & §. de inoff. testam. l. vlt. in fin. princ. Hucusque de senatoriis dignitatibus tractauimus: Sequuntur dignitates non senatoriæ.

XXXI. *De equestri dignitate.*

PRimus dignitatum gradus est clarissimatus, id est, senatoria dignitas; quæ diuiditur in illustratum, spectabilitatem, & clarissimatum angustè acceptum: secundus gradus est dignitas equestris. l. vn. & §. de nupt. l. cum te. 10.

XXXII. *De perfectissimatus dignitate.*

A clarissimatu & equestri dignitate distinguitur perfectissimatus. C. Th. de his qui ven. ætat. impetr. l. 1. Perfectissimi sunt, præses Arabiæ. §. de pœnis. l. cùm reis. 18. præses Damaltiæ, in Notitia imperij: magister census. §. de episc. & cleric. l. ornaphanotrophos. 32. primicerius. §. de palat. sacrar. largitio. l. 7. & quicumque huius dignitatis insignia à principe impetrauerant, dummodò tales sint, quales requirit lex vn. h. t.

XXXIII. *Qui militare possunt, vel non possunt: & de seruis ad militiam vel dignitatem adspirantibus: & vt nemo vel duplici militia, vel dignitate & militia simul vtatur.*

1 EXposita est dignitatum diuisio in senatorios & non senatorios: alteram diuisionem esse diximus in ciuiles & militares: hinc occasione sumpta, plenius
2 de re militari dicemus. ¶ Nota primò non omnes ad militiam admitti: vt curiales & cohortales à militia
3 armata arcentur. l. 4. ¶ Nota secundò seruum, qui ignorante domino militiæ nomen dedit, vel dignitatem est consecutus, domino reddi. eum verò, qui sciente domino miles factus est, vel dignitatem obtinuit, fieri ingenuum. l. 6. & 7. ¶ Nota tertiò neminem posse duplici militia simul vti, aut militia & dignitate; sed eum qui duas habet, eligere debere, vtram retinere, vtram deponere velit. l. 5. & l. vlt.

XXXIV. *Negotiatores ne militent.*

NOta quartò negotiatores non posse militiam armatam vel ciuilem habere. Excipiuntur I. Argentarij, qui ciuilem militiam habere possunt, ab armata abstinere cogantur. II. Armorum negotiatores, qui possunt fabricensium militiam consequi. l. vn. III. Hi, quibus ex speciali beneficio principis militare & negotiari licet. §. in quib. caus. mil. for. præscript. l. 1.

XXXV. *De re militari.*

NOta quintò nouem esse præcipuas partes tractatus de re militari, quas notaui D. h. t.

XXXVI. *De castrensi peculio militum & præfectianorum.*

NOta sextò filiosfamilias milites habere peculium castrense, & in eo plenum dominium. l. 2. 3. & passim. & D. eod. tit. idémque concessum esse præfectianis, id est apparitorib. præfecti prætorio. l. vlt.

XXXVII. *De erogatione militaris annonæ.*

NOta septimò annonas de horreis publicis præstari militib. diebus singulis, aut saltem intra annum. Qui verò in mora accipiendi totum hoc tempore fuerint, eas amittunt. l. 6. Interdum annona pretio taxatur, quæ taxatio vocatur adæratio, & pro annona militibus pecunia præstatur. l. lege. 13. si tamen miles quo anno vilis est annona, fraudulenter species repudiarit, & alio anno, quo cara sit annona, pretium exigat, vtrumque amittit. l. 7.

XXXVIII. *De excoctione & translatione militarium annonarum.*

NOta octauò neminem excusari ab excoctione & translatione panis militaris. l. 2.

XXXIX. *De militari veste.*

NOta nonò canonem vestium militarium ex Kal. Septembris vsq; ad Kal. Aprilis inferri sacris largitionibus. l. 1. ita vt adæratio, id est, pretium lege definitum. l. pen. à collatoribus exigatur, & quinque eius partes in pecunia militibus erogentur, sexta pars in vestibus à gynæciariis præstetur tyronibus gregariisq; militibus. l. vlt.

XL. *De metatis, & epidemeticis.*

NOta decimò, superuenientibus militibus à prouincialibus præberi hospitia, quæ vocantur metata. Metatores sunt, qui præmittuntur hospitij designandi & parandi gratiâ, qui etiam mensores secundum Cuiacij lectionem appellantur, vt notaui tit. 27. Epidemetica sunt prætia, quibus prouinciales se redimunt ab onere suscipiendorum hospitum. sed hæc prohibentur. l. vlt. & No. 130. cap. 1. & No. 134. cap. 1.

XLI. *De salgamo hospitibus non præbendo.*

NOta vndecimò non licere militibus salgami nomine à prouincialibus culcitras, lignum oleum

extor

extorquere: immo ne à volentibus quidem posse accipere. Salgama dicuntur, quæ victus gratiâ condiri & seruari solent.

XLII. *De commeatu.*

NOta duodecimò militem puniri, si sine commeatu abſit. l. vlt. nec solùm si commeatum non impetrauerit, sed etiam si ad diem commeatus non redierit. D. de re milit. l. 3. §. si ad diem. l. qui commeatus. 14. in princ. Commeatus hoc loco est abeundi facultas militi ad tempus data ab eo qui dare potest. Alia est huius vocabuli significatio, cùm sumitur pro cibariis ad publicam vel priuatam alimoniam, vt exercitus, ciuitatis, vel alicuius priuati. Cic. pro lege Manil. *Iam commeatu & priuato & publico prohibemur.*

XLIII. *De tyronibus.*

NOta decimò tertiò infimum esse tyronum gradum. l. vlt. Tyro, miles gregarius, iunior, & caligatus, pro eodem accipiuntur. Cuiac. ad l. vlt. §. de milit. veste.

XLIV. *De litorum & itinerum custodia.*

NOta decimò quartò litora & itinera diligenter esse custodienda, ne illicitæ merces ad hostem deferantur. l. vn. vt vinum oleum, liquamina, ferrum, §. quæ res export. non deb. l. 1. & 2.

XLV. *De desertoribus, & occultatoribus eorum.*

NOta decimò quintò puniri milites desertores, & qui eos occultant; præmio autem affici eorum præditores. l. 1. 2. 3. & §. quan. lic. vnic. sine iud. l. 2. & D. de re milit. l. 3. in princ. §. qui militiæ. §. si plures. l. 5. milites agrum. 13. §. vlt. Desertor est, qui per prolixum tempus [illegible]gatus reducitur D. eod. l. 3. §. desertor. Desertionis crimen grauius est, quam emansionis. D. eod. l. 4. §. leuius. & neque morte rei extinguitur. §. eod. l. 4. nec abolitionem recipit. §. de abolit. l. vlt. in fin.

XLVI. *De veteranis.*

NOta decimò sextò veteranos, id est, eos qui confectis legitimis stipendiis honestam dimissionem impetrarunt, frui variis priuilegiis, vt immunitate. l. 1. & honorib. l. 2. quibus omnib. priuantur, si latrociniis se dediderint. l. 3. permissionem autem à militia, ita forum mutare, vt nequidem volentes subiiciantur militari iudicio. l. vlt.

XLVII. *De filijs officialium, & militarium, qui in bello moriuntur.*

NOta decimò septimò filios officialium in parentum defunctorum militiam succedere. l. 1. & 2. Similiter viri militaris in bello defuncti filium vnigenitum vel maiorem natu, in eius locum succedere, & easdem annonas accipere, nisi pater altiorem biarcho gradum obtinuerit, putà ducenarius, aut centenarius fuerit: quo casu filius fit tantummodò biarchus. l. vlt. Absoluimus tractatum de iure militari.

XLVIII. *De oblatione votorum.*

DEinceps communia quædam ciuilibus & militaribus personis considerantur: & primò oblatio votorum, id est, munerum, quæ ineunte anno offeruntur principi, tamquam vota pro eius salute l. vn. & D. de verb. signif. l. si caluitur. 233. §. 1.

XLIX. *De numerarijs actuarijs, & chartularijs, & adiutoribus, scriniarijs, & exceptoribus sedis excelsæ, cæterorúmque iudicum, tam ciuilium, quàm militarium.*

SEcundò varia officialium genera. Sunt autem diuersa officialium nomina, vel quia diuersas res tractãt, vel quia in diuersis officiis. Actuarij & numerarij chartas & rationes tractabant. his adiungebantur adiutores, & chartularij Scriniarij operam scriniis nauabant. Exceptores dictata breuiter excipiebant. Sedem excelsam in hac rubrica intellige sedem præfecti prætorio.

L. *De cursu publico, angarijs, & parangarijs.*

TErtiò cursus publicus. Cursum publicum via habere dicitur, per quam solent equi dispositi (quos vulgus postas appellat) currere. Angaria est transitus per huiuscemodi viam. Parangaria est transitus per aliam viam vt notatur in Eclo. Basil. lib. 5. tit. 1. Quibus equis vtebantur in cursu publico, hi dicebantur veredi, quibus aliò versus, paraueredi. sed paraueredorum vsus solis præfectis prætorio conceditur, non etiam reliquis magistratibus. l. 2.

LI. *De tractorijs, & statiuis.*

MIssis vel euocatis à principe cursu publico vtentibus dabantur diplomata, quę vocantur tractoriæ: quibus adscribebantur statiua, id est, diuersoria & mansiones, quibus alebantur sumptu publico. vide hîc Cuiacium. Hîc terminatur prior pars huius postremi libri, quæ est de dignitatibus: sequitur altera pars, quæ est de apparitoribus.

LII. *De apparitoribus præfectorum prętorio, & priuilegijs eorum.*

DE apparitoribus magistratuum duo explicantur: nimirum diuersæ species, quæ sumuntur à diuersitate officiorum & magistratuum, quibus inseruiunt: & quædam omnibus apparitoribus communia. Apparitorum species eodem ordine considerantur, quo ipsi magistratus considerati fuerunt. Primò itaque agitur de apparitoribus præfectionis, qui præfecto prætorio inseruiunt. Hi erant in officio præfecti prætorio Africæ 396. viri, qui per diuersa scrinia & officia militabant.

LIII. *De apparitoribus prefecti vrbis.*

SEcundò de apparitoribus vrbanicianis, qui præfecto vrbi inseruiunt.

LIV. *De apparitoribus magistrorum militum, & eorum priuilegijs.*

TErtiò de apparitoribus magistri militum, qui partim erant statuti, partim supernumerarij: & illi quidem sub iurisdictione magistri militum; hi verò sub iurisdictione præfecti vrbi, aut præsidum. l. vltima.

LV. *De*

BIU Cujas

LV. *De apparitoribus proconsulis, & legati.*

QVartò de apparitoribus proconsulis, qui proconsuli & eius legato inseruiunt. num. 400. l. 2.

LVI. *De apparitoribus comitis orientis.*

QVintò de apparitoribus comitis orientis, qui erant viri sexcenti, l. vn.

LVII. *De cohortalibus, principibus, cornicularijs, ac primipilaribus.*

SExtò de cohortalibus, qui sunt apparitores præsidum & rectorum prouinciarum. Horum alij alia nomina specialia habent. vt principes dicuntur, qui primum inter cohortes locum obtinebant: cornicularii, qui cornibus secretarii præerant, hoc est, in consilio armati stabãt: primipilares, qui primipili, id est, annonæ militaris curam gerebant. C. Th. h. t. l. 6. Hęc nomina sumpta esse à militia legionaria scribit Ascon. in 3. Verri. Erant & alii, præter hos, in officio præsidum, hæc omnia etiam in aliis officiis reperiuntur, vt cornicularij præfecturæ. ſ. de apparit. præf. præt. l. 1. & vlt.

LVIII. *De apparitoribus prefecti annonę.*

SEptimò de annonariis, id est, apparitoribus præfecti annonæ. quamuis enim præfectus annonæ sub dispositione esset præfecti vrbi, tamen apparitiones secretas habent. l. 1. Hucusque distinctè actum est de apparitoribus diuersorum officiorum: deinceps communia quædam proponemus.

LIX. *De diuersis officijs, & apparitoribus iudicum, & probatorijs eorum.*

DIuersis officialibus & apparitoribus multa communia sunt, & primo probatoriæ, quæ in Nouellis δοκιμασίαι, & σύμβολα vocantur, id est, diplomata apparitionis, ex scrinio epistolarum emissa. l. 6. & manu principis subscripta, l. probatorias. 9.

LX. *De executoribus, & exactoribus.*

SEcundò munus exigendi, & exequendi. His de causis qui in prouincias mittebantur, executores & exactores appellabantur.

LXI. *De lucris aduocatorum, & concussionib. officiorum, siue apparitorum.*

TErtiò lucrum siue emolumenta. Nota primò in hac rubrica appellatione officiorum significari officiales, vt ſ. rubr. 59. & aliis locis. Nota secundò aduocatorum obiter mentionem fieri; quoniam idem de his statuitur, quod de officialibus & apparitoribus, vt nihil per commissionem accipiant, sed licitis lucris & emolumentis sint contenti. l. 1. 2. & toto tit.

LXII. *De primipilo.*

IDem statuitur de primipilari, qui debet esse contentus commodis primipilatus, id est, emolumentis, quæ non ante finitam administrationem ei debentur. l. 1. Primipilum & primipilarem definiui tit. 57.

LXIII. *Publicæ lętitię vel consulum nunciatores, vel insinuatores constitutionum & aliarum sacrarum vel iudicialium literarum, ex descriptione vel ab inuitis ne quid accipiant immodicum.*

QVartò præmia nunciationum, & insinuationum. Hæc non debent esse immodica, id est, vltra modum lege definitum. Qui immodicum accepit, quadruplum restituit. Officiales autem curare debent, vt neque horum præmiorum descriptio legitimum modum excedat, nec ab inuitis plus exigatur. l. 2. Hic finem accipit Codex Iustinianeus & Isagogicus noster labor in ius ciuile: nam ciusmodi enarratio neque Nouellis constitutionibus, neque libris Feudorum conuenit: pergendum igitur ad ius Canonicum, vt Pontificij Decretalium tituli eadem, qua ciuiles, methodo illustrentur. Deus nos ad finem instituti operis perducere dignetur & mentem manúmque nostram dirigere, vt nihil Christianæ pietati, aut publicæ tranquillitati, aut iuridicæ veritati contrarium nobis excidat. hoc sanè in votis habemus, vt nostri qualescumque labores tantùm prosint, noxium nihil contineant: Doctorum autem virorum, in primis Ecclesiæ iudicio & correctioni nos ac nostra omnia subiicimus.

IVLII

BIU Cujas

IVLII PACII A BERIGA
I.C. ISAGOGICORVM IN DECRETALES
PRAEFATIO.

NON *solùm iure ciuili in nostris foris vtimur, sed etiam iure Pontificio.*
1 ¶ *Pontificium dicitur, quia Romanum Pontificem auctorem habet: vel Ca-*
2 *nonicum, quasi regulare, quia canon significat constitutionem ecclesiasti-*
cam. distin. 3. in pr. & si vocabuli vim spectes, idem est Græcis Canon. quod
Latinis regula. dist. ea. can. Canon. ¶ *Hoc ius sæpe ciuili prævalet: ex illius*
3 *tamen fundamentis sumptum, & ad eius imitationem conscriptum est: nam*
Decretum Pandectis, Decretales Codici proportione respondent: vt enim in Codice Imperiales,
ita in Decretalibus Pontificiæ constitutiones continentur: & vt responsa prudentum in Digesta,
4 *ita Patrum placita in Decretum relata sunt.* ¶ *Decretales igitur epistolæ sunt constitutiones*
5 *summorum Pontificum, quæ vim legis habent.* ¶ *Hæ diuersis temporibus conditæ, certis quibus-*
dam voluminibus sunt conclusæ. Decretalium igitur aliæ sunt Gregorianæ, aliæ Bonifacianæ,
aliæ Clementinæ, aliæ extrauagantes. Gregorianas voco, quæ iussu Gregorij Pontificis à Ray-
mundo capellano & pœnitentiario in vnum volumen & in congruos titulos sunt digestæ, ab
eodémque Pontifice approbatæ. Hæ κατ' ἐξοχὴν vocantur Decretales. Similiter Bonifacianas
appello, quæ Bonifacij Pontificis mandato per Guilelmum Archiepiscopum Ebrundunensem,
Berengarium Episcopum Biterenensem, & Richardum vicecancellarium recognitæ, & in
Sextum Decretalium collatæ sunt. Sextus dicitur: quia quinque libris Gregorianis adiicitur.
Clementinas verò Clemens quintus edidit magna ex parte in Concilio Viennensi: Ioannes autem
vigesimus Secundus, eius in Papatu successor in vnum volumen redegit. Extrauagantes dicuntur
nouæ Pontificum constitutiones, quæ extra tria illa Decretalium volumina quodammodò va-
gantur. Nam posteriores auctores appellarunt extrauagantes, quas veteres nominabant No-
uellas, Græcè νεαράς. Sunt autem aliæ extrauagantes Ioannis vigesimi secundi, aliæ, quæ voca-
6 *tur communes, diuersorum Pontificum.* ¶ *Quia verò Gregorij Decretales tempore ac perfectione*
primum locum obtinent: nec sunt in sequentibus decretalium voluminibus alij tituli, nec alio or-
dine collocati, quàm in Decretalibus Gregorianis: sed illud tantùm discrimen est, quòd Grego-
riana compilatio plures habet titulos, qui in aliis compositionibus desiderantur: idcirco Gra-
gorianos titulos explicare nobis sufficiet. Ad hos igitur eadem methodo enarrandos accedo, qua
iuris Ciuilis titulos in superioribus voluminibus exposui.

LIBER I.

DECRETALIVM libri quinque sunt. Primus continet iuris primordia, quæ Iustinianus appellat τὰ πρόπαια: nam ea, de quibus Iustinianus primo libro Codicis & prima Digestorum parte tractat, Gregorius in primum Decretalium librum retulit eodem ferè ordine, nisi quòd loco titulorum, qui sunt apud Iustinianum de officio diuersorum magistratuũ, Gregorius varios titulos posuit de prælatis & eorum officiis. Itaque huius primi libri sectiones tres sunt. I. De Deo, & fide. II. De iure. III. De prælatis & clericis. IV. De pactis & transactionibus. V. De postulantibus, & procuratoribus, & syndicis. VI. De restitutionibus in integrum. VII. De arbitris compromissariis. Hæc sunt quæ Iustinianus τὰ πρόπαια vocat, & eodem ordine in Pandectis & Codice considerat. Quapropter in hoc sectionum ordine, iam à me in Digestis expositio, & in iis quæ iam in titulis Iuris ciuilis enarrandis docui, frustra repetendis, tempus non teram; sed alia, quæ mihi vtiliora videbuntur, proponam.

Tit. I. *De summa Trinitate, & fide Catholica.*

PRima pars hoc primo titulo continetur, qui est etiam primus titulus Codicis.

II. *De constitutionibus.*

SEquitur secunda pars, quæ est de iure. Est autem ius 1
partim scriptum, partim non scriptum. Initium sumit conditor Decretalium, à iure scripto, quod vocatur

BIU Cujas

constitutio, & diuiditur in ciuilem & ecclasiasticam distin. 3. c. 1. sed hîc potissimum de ecclesiastica agitur,
2 quæ appellatur canon. d distinct. 3. c. canon. ¶ Constitutiones ecclesiasticæ sunt decreta pontificum, & statuta conciliorum. c. vlt. & ff. lib. 6. cap. 1. & in præfat. Clement. vers. dudum. & d. distin. 3. c. 3. §. porrò & XXV. q. 1. c. sunt quidam. Adde, vel sub pontificum decretis comprehende etiam statuta à sedis Apostolicæ legatis. ff. de offic. lega. c. vlt. & de locat. & conduct. c. 1. & de consangui. & affin. c. 3. statuta verò in particularibus conciliis, vel ab episcopis, vel capitulis, vim particularium constitutionum habent. c. ex literis. 11. & interdum egent confirmatione sedis Apostolicæ. c.
3 cùm accessissent. 8. ¶ Nota primò constitutiones dare formam futuris tantùm negotiis, nisi nominatim etiam de præteritis caueant. c. 2. & vlt. quod etiam in constitutionibus ciuilibus obtinet. C. de legib. lib. 7.
4 ¶ Nota secundò constitutiones seculares ecclesiasticis
5 cedere. distin. 10. ¶ Nota tertiò omnes esse constitutionibus ecclesiasticis subiectos. c. 1. & 5.

III. *De rescriptis.*

1 REscripta verò sunt personalia, & inter eas tantùm personas vim constitutionis obtinent, inter quas conceduntur. ff. de concess. præben. c. constitutus. 11. Rescriptum namque nihil aliud est, quàm literæ, c. 1. & passim. à sũmo põtifi. c. 2. & passim. vel ab Imperatore. C. de præcib. Imp. offer. l. 2. & si contra ius vel vtil. public. l. 1. cum simil. vel à vicario pontificis. ff. de offic. vica. cap. pen. siue motu proprio. ff. de præben. lib. 6. cap. si motu. 23. & c. seq. siue aliquo suggerente (hæc suggestio vocatur intimatio. c. 2. vel insinuatio. ff. de procur. c. 3. vel relatio. ff. eod. c. 4. vers. nos verò) & aut conquerente. ff. eod. c. 2. & 4. & supplicante. ff. de eo qui cogn. consan. vxo. c. vlt. aut consulente. ff. de offic. iudic. delega. c. consuluit. 24. & ij. q. 4. c. consuluisti. 21. emissæ, vt inter personas inter quas conceduntur, & in iis negotiis seu rebus super quibus emittuntur, vim constitutionis habeant. c. cum dilecta. 22. & ff. de concess. præben. d. c. constitutus.
2 ¶ Ex dictis patet rescripta differre à decretalibus epistolis: quia decretales epistolæ sunt generales constitu-
3 tiones. dist. 19. ¶ Rescripta diuiduntur I. In Apostolica, Imperialia, & Episcopalia, vt ex data definitione manifestum est. II. In generalia, & specialia. c. 1. c. pastoralis. 14. §. quoniam. c. sedes. 15. III. In monitoria, præceptoria, & executoria. c. capitulum. 30. c. ex insinuatione. 37. & cap. literis. 39. Præceptoriorum appellatione etiam inhibitoria rescripta cõplector. Nam qui aliquid inhibet, certè præcipit ne id fiat & inhibitio seu prohibitio nihil aliud est, quàm præceptum negatiuum. Vnde inter iuris præcepta non solùm ponitur honestè viuere, & suum cuique tribuere, sed etiam alterum non lædere. Iam verò inter monitoria & præceptoria Doctores distinguunt: quia monitoria communiter concedi solent absque causæ cognitione, & cum illa clausula, *si senseris te grauatum*: præceptoria verò causæ cognitionem requirunt, nec solet dicta clausula in his apponi. ſ. t. in l. quoties. C. de fideicom. Bart. in l. filiusfamilias. §. Diui. in fi. & ibi Iaſ. in 1. lect. num. 115. & in 2. lectu. num. 5. & 157. D. de legat. ff. Mandos. in tracta. de monit. quæst. 2. Præterea glo. in d. c. ex insinuatione hunc Romanæ curiæ morem notat, vt primò mittantur literæ monitoriæ, deinde præceptoriæ, tandem executoriæ. sed Ioh. And. ibi notat hunc ordinem hodie non seruari, nisi quandoque super receptione monialium. Addi autem potest quartum membrum, id est, rescripta permissoria, ex cap. 4. ff. lib. 6. vbi in summario vocantur literæ facultatis. IV. In iuri communi consentanea, veluti vt liceat appellare: & aliena à iure communi, veluti ne liceat appellare. c. 1. Illa vocantur literæ iustitiæ, hæc appellantur literæ gratiæ in summario. c. postulasti. 27.
¶ Nota primò rescripta impetrari posse tam ab actore, 4
quàm à reo. c. 3. c. cùm contingat. 24. cum sim. Sed rescriptum ab excommunicato impetratum, ipso iure non valet, nisi super excommunicationis vel appellationis articulo impetratum sit. ff. lib. 6. cap. 1. ¶ Nota 5
secundò propter vitium in verbis admissum contra regulas linguæ Latinæ, rescriptum reddi suspectum & inutile. c. ad audientiam 11. ¶ Nota tertiò rescripta 6
impetrata per surreptionem, id est, expressa falsitate, vel per obreptionem, id est tacita veritate, non valere. ff. de fi. instrum. c. 7. nisi is qui impetrauit, dolo careat, & idem impetrasset, si falsum tacuisset, aut verum dixisset. c. super literis. 20. ¶ Nota quartò si in rescripto 7
non sit inserta clausula, *si preces veritate nitantur*, iure ciuili rescriptum non valere. C. de diuers. rescript. l. vlt. quæ canonizata est XXV. q. 2. c. dicenti. 16. §. Imperator Zeno. contrarium tamen statuitur. ff. ca. 2. vbi hæc clausula subauditur, & ita rescriptum sustinetur.
¶ Nota quintò leges, quibus cauetur vt rescripta con- 8
tra ius, nisi impetranti prosint, & nemini obsint, vel contra publicam vtilitatem non valeant, esse canonizatas. XVI. quæst. 4. c. iubemus. §. rescripta. & XXV. q. 1. c. vlt. §. illud verò. §. item constitutio. & q. 2. c. nec damnosa. 14. c. rescripta. 15. c. dicenti. 16. in pr. & §. Imperator Anastasius. ¶ Nota sextò, si diuersa rescri- 9
pta à partibus proferantur, si quidem in posteriore fiat prioris mentio, posterius pręualere, sin minùs, standum priori rescripto. c. 3. nisi is, qui prius rescriptum impetrauit, dolo vel culpâ non sit eo intra annum vsus. c. si autem. 12. c. plerumque. 23. aut alterum rescriptum sit generale, alterum speciale, quia indistinctè speciale prævalet. c. 1. & c. pastoralis. 14. §. quoniam. ¶ Nota 10
septimò rescripta, quibus beneficia conferuntur, latissimam recipere interpretationem. ff. de verb. signif. c. olim. 16. alia regulariter anguste accipi, & contra impetrantem. Hostiens. ff. de offic. delega. §. quib. modis eius iurisd. prorogetur vers. quamuis enim fatear. quia multi rescripta impetrantes abutuntur gratiâ sedis Apostolicæ, c. sedes. 15. c. nonnulli. 28. & c. vlt. sunt autem quædam clausulæ, quarum interpretatio ex Decretalibus constitutionibus manifesta est, & inde peti debet. c. 4. c. fiscitatus. 13. c. pastoralis. 14. §. quoniam. c. sedes. 15. c. causam. 18. c. postulasti. 27. c. mandatum. 38. c. literis. 39. c. abbatem. 40. c. ab excommunicato. 41. & ff. lib. 6. cap. 6. c. quamuis. 8. c. si propter. 10. & ff. Clemen. vlt. ¶ Nota octauò eum, qui 11
malitiosè vtitur rescripto, eius beneficio priuari, & in expensas atque id quod interest aduersario condemnari. c. vlt. ¶ Nota nonò ea quæ contra formam 12
rescripti fiunt, infirmari. c. cùm dilecta. 22. vers. dictum.

IV. *De consuetudine.*

HActenus de iure scripto: ius autem non scriptum 1
est consuetudo, de qua D. de legib. & C. quæ sit longa consuet. Absoluta est huius libri secunda pars, quæ est de iure: sequitur tertia de clericis & prælatis ordinandis, eorúmque officiis.

V. *De postulatione prælatorum.*

QVia modò per postulationem, modò per electio- 1
nem episcopi ac ceteri prælati promouentur. c. 3. in fi. c. 4. §. cæterum & ff. tit. prox. c. innotuit. 20. & c. scriptum. 40. initio de his duobus promouendi modis

dicendum

BIU Cujas

2 dicendum videtur. ¶ Postulatio est concors capituli petitio, vt is promoueatur siue adsumatur, qui non propter animi vel corporis vitium, sed ob alium defectum eligi nequit, propter quem non est inhabilis ad prospiciendum ecclesiæ, veluti quia est minor triginta 3 annis, aut laicus. ¶ Inter postulationem & nominationem Io. Andr. in d. c. 3 glo. vlt. sic distinguit: quòd postulatio est solemnis, nominatio non est solemnis. Hostiensis autem in §. quis postulandus sit. vers. ideo dixi, aliam differentiam ponit: quia postulatio est vnius certæ personæ, nominatio verò est plurium personarum designatio, vt vna ex his promoueatur. nam Hostiensis in §. qualiter fiat postulatio non putat postulationem requirere aliquam solemnitatem, sed quacunque forma fieri posse. Distinctionem Hostiensis probo per 4 c. quod sicut. 28. ¶ Nota primò eos tantùm posse postulare, qui possunt eligere; licèt ij possint postulari, 5 qui non possunt eligi. ℣. tit. prox. d. c. innotuit. ¶ Nota secundò postulationem & electionem non posse simul iungi: veluti, *Eligo postulando, Postulo eligendo, Eli-* 6 *go & postulo* ℣. lib. 6. cap. 1. ¶ Nota tertiò, vt postulatio valeat, sufficere, si maior & sanior pars capituli consentiat. ℣. de his quæ fuer. à maio. par. capi. c. 1. & distinct. 65. c. 1. 23. sed si alium maior pars postulet, alium minor pars eligat, vtérque autem, tam postulatus, quàm electus, admitti possit: tunc, vt postulatio præualeat, opus est vt duplo maior sit pars postulantium, quàm eligentium: alioquin electio præ- 7 ualebit. ℣. tit. prox. c. scriptum. 40. ¶ Nota quartò postulantes non posse à postulatione quæ superiori est præsentata recedere, sed superioris iudicium expectare debere. c. 4.

VI. *De electione & electi potestate.*

1 ELectio est alicuius personæ idoneæ ad prælationē vel fraternam societatem canonicè facta vocatio. Hostiens. in §. 1. & glos. in c. 1. in ver. vera postulatio. 2 de postulat. lib. 6. ¶ Electio prælati ad collegium pertinet, & ad eos qui pacto vel priuilegio vel consuetudine hoc ius obtinuerunt. ℣. de caus. poss. & propr. c. 3. & 16. q. vlt. c. vlt. Hostiens. in §. quis possit eligere, nisi iure prohibeantur, vt pupilli. ℣. lib. 6. c. ex eo quòd. 32. in pr. & latè. c. sacrosancta. 51. c. Massana. 56. & lib. 6. d. c. ex eo quòd. §. 1. & distin. 63. & absentes, qui nec per literas votum suum declarare, nec extraneū procuratorem dare, sed tantùm vni vel pluribus ex collegio seu capitulo vicem suā mandare possunt. ℣. lib. 3 6. c. si quis iusto. 46. ¶ Eligi debent idonei, non iure prohibiti: verbi gratiâ minor triginta annis, vel spurius, vel indoctus non debet in episcopum eligi. c. cùm 4 in cunctis. 7. ¶ In electione facienda citari debent omnes, qui habent ius eligendi, vt possint interesse, si velint: alioquin electio non valet: nisi is, qui non citatus abfuit, eam postea ratam habeat. c. quòd sicut. 28. 5 & c. coram dilecto. 35. ¶ Fit autem electio tribus modis. I. Per scrutinium, cùm præsentibus omnibus, qui debent & volunt & possunt commodè interesse, adsumuntur tres de collegio fide digni, qui secretò & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicēt in communi: tuncque is eligitur, in quem omnes vel maior & sanior pars capituli consentit. II. Per compromissum, cùm eligendi potestas aliquibus viris idoneis committitur, qui vice omnium loco vacanti prospiciant. III. Per inspirationem, cùm simul omnes electores, quasi diuino impulsu commoti, statim, nullo præcedente tractatu, in vnius 6 electione consentiunt. c. quia propter. 42. ¶ De scrutinio nota. I. Si plures sint electiones, non sufficere, quòd aliquis à pluribus eligatur quàm alij: nisi pars, quæ hunc eligit, sit maior pars totius capituli. c. ecclesia vestra. 38. & ℣. lib. 6. c. si cui eligendi. 23. Sed in electione Papę hoc est speciale, vt si quis à paucioribus quàm duabus Cardinalium partibus electus, pro Papa se gerat, excommunicationi subiaceat, & sacri ordinis priuatione multetur. c. 6. II. Si altera pars eligentium numero præstet, altera eligentium auctoritate, & electi meritis præcellat, neutram electionem valere; quia cōiunctim requiritur, vt à maiore & saniori parte sit electus. c. ecclesia. vestra. 57. Si tamen alterius partis numerus duplo maior sit, eius electio indistinctè valet, nō admissa quæstione de auctoritate eligentium & meritis eorum qui electi sunt. ℣. li. 6. c. si quando. 9. dummodò electus sit idoneus: alioquin confirmabitur electio personæ idoneæ à minori parte facta. c. dudum. 22. III. Publicatum scrutinium non posse electores variare, sed faciendam esse collationem, & celebrandā electionem: ad quod per superiorem si opus erit, compellentur. c. cùm inter canonicos. 21. vers. non obstante. & c. publicato. 58. ¶ De compromissaria electio- 7 ne nota I. Posse vel vni. c. causam quæ. 8. vel duobus pluribúsve electionem committi. c. in causis. 30. c. cùm in iure. 33. c. cùm in veteri. 52. II. Non tantùm posse committi iis qui sunt de collegio seu capitulo. d. c. in causis. d. c. cùm in iure. dist. c. cùm in veteri, sed etiam iis qui sunt extra collegium vel capitulum. d. c. causam quæ. III. Posse quosdam à capitulo eligi, qui non eligant prælatum, sed alios electores ipsius prælati. d. c. in causis. IV. Commissionem non posse reuocari, si res desiit esse integra: desinere autem esse integram, cùm in tractatu de electione præcesserunt. d. c. in causis. ¶ His de electione expositis, dicendum de 8 electi potestate, quæ est electionis effectus, & in posteriori parte rubricæ proponitur. Electi potestates tres sunt. I. Potest electioni suum adsensum præbere intra mensem, ex quo sibi fuerit electio ab electoribus præsentata, & suus adsensus petitus: quod electores, quàm primùm commodè possunt, facere debent. ℣. lib. 6. c. 6. II. Potest res ecclesiasticas administrare, & ea quæ sunt iurisdictionis exercere, vt corrigere, excommunicare, conferre, confirmare, non tamen statim ac electioni consensit, sed postquam à superiore fuerit confirmatus. c. 7. §. 1. c. transmissam. 15. & ℣. l. 6. c. 5. III. Postquàm fuerit consecratus, ea peragere poterit, quæ sunt ordinis, vt clericos ordinare, vel deponere, ecclesias & altaria consecrare. c. quòd sicut. 28. §. super eo. Nota coniugale vinculum inter Ecclesiam & prælatum contrahi per electionem & electi adsensum. c. cùm inter canonicos 21. vers. discretioni vestræ, per cōfirmationem. ℣. tit. prox. c. 2. vers. sicut autem. nempe electione & electi assensu initiari, confirmatione ratificari, consecratione consumari intelligitur. ℣. tit. prox. cap. vltim.

VII. *De translatione Episcopi.*

EX posteriori parte rubricæ præcedentis oriuntur 1 sequentes tituli, quibus electi potestas limitatur variis modis. ¶ Prima limitatio est: quia si episcopus 2 ab ecclesia, cuius est episcopus, ad aliam transferatur: potestatem, quam in illa ecclesia habebat, amittit, ac nouam in hac accipit. Translatio námque episcopi, quæ & mutatio dicitur. vij. q. 1. c. mutationes. 35. nihil aliud est, quàm dissolutio vinculi, quo episcopus cū priori ecclesia iunctus erat, & ad alteram ecclesiā transitio. ℣. tit. prox. c. in causis. 30. in fi. & de postul. prę- lat. c. 2. in fi. & c. 4. in fi. ¶ Nota primò, sicut eccle- 3 sia non potest episcopum suum dimittere, & alium in

BIU Cujas

eius locum substituere, ita episcopum non posse relictâ suâ ecclesiâ ad aliam transire, nec sponte sua, nec à populo attractum, nec aliis episcopis suadentibus, sed si id fecerit, vtrâque ecclesiâ priuabitur. c. 3. & vij. q. 1. c. sicut vis. 11. c. si quis episcopus. 32. c. si quis de ordine. 33. c. sicut alterius. 40. immo ne quidem permissione metropolitani cui subest, sed auctoritate tantùm & permissu sedis Apostolicæ id ei facere licet. c. 1. 2. & vlt. ¶ Nota secundò, si cui Papa permisit vt ad maiorem dignitatem vocaretur, eam posset adsumere, hâc Apostolicam concessionem accipiendam esse angustè; ita vt non liceat minorem, vel parem suscipere. d. c. vlt. ¶ Nota tertiò translationem fieri vel propter vtilitatẽ, quia verisimile est episcopum magis profecturum: vel propter necessitatem, quia non potest in ecclesia, in qua residet, ob persecutionem seu metum hostilem officio suo defungi: quo casu, necessitate cessãte, ad priorem ecclesiam redire debebit. vij. q. 1. d. c. mutationes. 35. c. scias. 36. c. omnis. 37. c. episcopus de loco. 38. c. pastoralis. 43. ¶ Nota quartò episcopum etiam inuitum transferri, secundum Goffr. & Host. in §. quæ sit causa transferendi.

VIII. *De auctoritate & vsu pallij.*

1 SEcunda limitatio nõ conuenit simplicibus episcopis, sed est propria archiepiscoporum, & patriarcharum, qui sine pallio non possunt concilium conuocare, chrisma conficere, ecclesias dedicare, episcopos vel clericos ordinare. s̃. de elect. c. quod sicut. 28. §. super eo. & distin. 100. in pr. & c. 1. Vnde cùm transfertur episcopus ad archiepiscopatum, ei pallium trãsmittitur. s̃. de postul. prælat. c. 4. in fi. Simplex autem episcopus pallio non vtitur, nisi cui specialiter à Romana ecclesia sit tributum. j̃. de præsumpt. c. pen.
2 ¶ Pallium est insigne archiepiscopale de Beati Petri corpore sumptum. s̃. de elect. c. 4. In quo à sede Apostolica officij Pontificalis plenitudo cum archiepiscopalis nominis appellatione confertur. c. 3. & j̃. de priuil. c. antiqua. 23. vbi omnibus patriarchis conceditur vt
3 suis suffraganeis pallium largiri possint. ¶ Huius pallij traditio obiectione criminis vel defectûs nõ differtur, nisi obiiciens iuret se non malitiosè id agere, & se obliget ad pœnam talionis, & in promptu habeat probationes, id est, intra duos menses à die collati archiepiscopatus numerandos probet id quod obiicit. j̃. extrau. vn. ¶ Auctoritas pallij dicitur potestas, quam
4 habet archiepiscopus accepto pallio synodum conuocandi, consecrandi, & similia peragendi, vt in initio tituli
5 notaui. ¶ De vsu pallij, quæ est secunda rubricæ pars, duo notentur. I. Solum Romanum Pontificem vbique, dum missarum solemnia celebrat, pallio vti posse: alios nec semper, nec vbique, sed tantùm certis, id est, solemnibus diebus, in prouinciæ suę ecclesiis posse vti. c. 1. 4. & pen. Extra prouinciam pallio vti non licet, etiamsi consuetudo id permittat, nisi cui speciali gratiâ à Sede Apostolica concessum sit. c. 5. II. Pallium esse personale, ita vt personam non transeat, & alteri commodari nequeat, cum suo autem quisque pallio se-
6 peliri debeat. c. 2. ¶ Posthæc, quia in hoc titulo distinximus inter simplices & superiores episcopos, sciẽdum est, simplicem episcopum in aliqua celebriori ciuitate, metropolitarum in tota aliqua prouincia, patriarcham seu primatem in pluribus prouinciis ecclesię præesse: omnium primum & caput esse Romanũ Pontificẽ, qui est senioris Romæ episcopus & patriarcha, & hodie Papæ appellatione significatur, cùm hoc nomen olim omnibus episcopis commune esset. Primum locum post Romanum Pontificem obtinet Patriarcha Constantinopolitanus: secundum Alexandrinus: tertium Antiochenus: quartum Hierosolymitanus. Archiepiscoporum appellatione modò significantur alij Patriarchæ, vt Aquileiensis, Cantuariensis, Bituricensis. dist. 21. c. 2. & ibi glos. in verbo Archiepiscopis, modò accipitur pro metropolitano, vt ea. dist. c. 1. Ergo Romanus Põtifex omnibus præest: sub eo sunt Patriarchæ: sub Patriarchis metropolitani: sub metropolitanis simplices Episcopi. Hi tamen omnes à summo ad infimum vocantur episcopi. j̃. de priuileg. d. c. antiqua & distinct. 21. d. c. 2. §. ordo. c. 3. & c. 4. & distinct. 22.

IX. *De renunciatione.*

TErtia limitatio est: quia iuri suo renunciãs, eo priuatur, adeo vt per pœnitentiam non habeat ad id regressum cui renunciauit, nisi ob restitutionẽ, vel nouam concessionem. c. 2. 3. & 6. ¶ Sed vt renunciatio teneat, hæc requiruntur. I. Vt sponte & libera voluntate fiat. c. 5. & j̃. de his quæ vi metusúe caus. fiunt. c. 2. & 4. II. Vt ex iusta causa fiat, veluti ob conscientiam criminis, debilitatem corporis, defectum scientiæ, malitiam plebis, graue scandalum, & interdum ob irregularitatẽ personæ, veluti si sit bigamus, aut viduæ maritus, vt latè explicatur in c. nisi cum pridem. 10. III. Vt superioris permissu & in eius manibus fiat. c. cùm in dubiis. 8. & c. vlt. vnde non videtur Papa posse renunciare Pontificatui cùm neminem habeat superiorem, à quo hoc sibi concedatur, & in cuius manibus renuncier. Sed Cœlestinus quintus statuit vt Papa liberè possit resignare, móxque ipse resignauit. Eius statutum Bonifacius octauus in Papatu successor refert, probat, & inter alias constitutiones redigit. j̃ lib. 6. c. 1.

1 2

X. *De supplenda negligentia prælatorum.*

QVarta limitatio est propter negligentiam prælati, propter quam iure suo priuatur. c. 2. & 4. quod ad vicem illam, in qua negligẽtiam commisit, sine præiudicio in futurum. c. 2. in fi. & s̃. de elect. c. ne pro defectu. 41. ¶ Negligentia (vt Hostiensis definit) est eius quod fieri debet & potest, omissio. ¶ Deprehenditur negligentia prælati. I. Ex lapsu temporis, si vltra tempus à lateranensi consilio definitum. c. 2. 3. 4. & vlt. hoc est, vltra sex menses, præbendæ, siue aliquod ecclesiasticum officium vacare permiserit. j̃. de concess. præben. c. 2. Sed ecclesia cathedralis vel regularis vltra tres menses prælato vacare non debet. s̃. de elect. d. c. ne pro defectu. & dist. 50. c. postquàm. 12. & distin. 63. c. pen. II. Trina monitione, cùm episcopus ter monitus nõ vult abbati benedicere. c. 1. ¶ Suppletur interdum per superiorem. s̃. de elect. d. c. ne pro defectu, vt per episcopum suppletur negligentia capituli. j̃. de concess. præben. c. 2. vers. quòd si ad capitulum. vel regulariũ. c. 2. vers. & nisi. & j̃. Clem. vn. & per Archiepiscopum negligentia episcopi, & capituli. s̃. de elect. c. 7. §. vlt. & j̃. de concess. præben. d. c. 2. vers. si autem. & 9. q. 3. c. cum simus. 3. & per Papam negligentia Archiepiscopi. cap. 3. & per delegatum negligentia ordinarij. j̃. de offic. iud. delega. c. 7. c. prudentiam. 21. §. pen. vers. qui si malitiam. & §. vlt. in fi. Interdum per inferiorem, vt negligentia episcopi suppletur per capitulum. s̃. de elect. d. c. 7. §. vlt. & j̃. de concess. præb. d. c. 2. & j̃. lib. 6. c. 3. & dist. 89. c. volumus. 2. Interdum ipso iure. c. 1. ¶ Rursus aut suppletur eo facto quod neglectum fuit, vt in dictis iuribus; aut dato visitatore, qui id faciat. j̃. lib. 6. cap. vlt.

1 2 3 4 5

XI. *De*

BIU Cujas

XI. *De temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum.*

1 QVinta limitatio est: quia prælatus, antequàm per consecrationem ordinetur, ea, quæ ordinis sunt, vt clericorum, ecclesiarum, & altarium consecrationes, & virginum benedictiones, peragere non po-
2 test. ſ. de elect. c. quòd sicut. 28. ſ. super eo. ¶. Ordinatio est personæ ecclesiasticæ consecratio, per quã gratia & potestas obeundorum ecclesiasticorum munerum confertur. ¶ Huius tractatus de ordinatione tres sunt partes: prima generalis, reliquæ duæ speciales,
3 quarum altera est de prælatis, altera de quibusdam personis, de quibus meritò dubitari potest an sint ordinã-
4 di. ¶ In generali inspectione quatuor quæstiones dissoluuntur. Prima quæstio est, quo tempore aliquis ordinari possit. Pro cuius quæstionis solutione distinguendum est inter maiores, & minores ordines. In maioribus ordinibus sunt episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi: ex quibus duo posteriores, non sunt propriè sacerdotes, sed tantùm in sacris; duo priores sunt propriè sacerdotes, quia sacramentum corporis & sanguinis dominici conficere possunt. In minoribus ordinibus sunt acoluthi, exorcistæ, lectores, ostiarij, & psalmistæ: de quibus omnibus vide distinct. 21. c. cleros.
5 ¶ Hac distinctione posita, notandæ sunt sequentes regulæ. I. Minores ordines conferri possunt diebus dominicis, & aliis diebus festis. c. 3. II. Sacri ordines conferuntur in quatuor temporibus, vel sabbatho sancto, vel sabbatho ante dominicam de passione, diebus autem dominicis, & aliis diebus festis, & sabbatho Pentecostes ab alio quàm à Romano Pontifice non debent conferri. c. 1. 2. & 3. III. Si ordinatio extra statuta tempora fiat, ordinatus characterem recipit, sed ab executione officij suspenditur, donec cum eo dispensetur: ordinator quoque ecclesiasticâ disciplinâ coërcetur. c. cùm quidam. 8. & c. pen. IV. Non possunt duo ordines eidem conferri vno die, vel duobus diebus cõtinuato ieiunio. & si id fiat, ordinans à collatione illorum ordinum, & ordinatus ab executione officij suspẽditur, donec cũ eo dispensetur. c. literas. 13. dilectus 15.
6 ¶ Secunda quæstio est, qualis debeat esse, qui ordinatur. Debet esse irreprehẽsibilis, vnius vxoris vir, sobrius ornatus, prudens, pudicus, hospitalis, doctor, non vinolentus, non percussor, sed modestus, non litigiosus, nõ cupidus, sed suæ domui benè præpositus, non neophytus. Hæc ab Apostolo requirũtur in episcopo ordinãdo. ſ. ad Timoth. c. 3. sed ad alios clericos producuntur. d. 34. c. cognoscamus. 15. & d. 81. c. Apostolus. Neophytus autem dicitur, qui propositum sacræ religionis nouiter assumpsit. dist. 48. c. 2. ſ. neophyti. & c. seq.

XII. *De scrutinio in ordine faciendo.*

1 TErtia quæstio est, quid obseruandum sit, vt cognoscatur, an is, qui ordinari debet, talis sit, qualem esse, oportet. Adhibendum est scrutinium, id est, ille, ad quem spectat (vt episcopus, aut legatus sedis Apostolicæ) debet inquirere, an is, de cuius electione agitur, sit idoneus si verò alius, ad quem non spectat, scrutinium faciat, irritum est & inane. ſ. de offic. lega.
2 c. 5. ¶ Forma in scrutinio faciendo obseruanda traditur in c. quando. dist. 24.

XIII. *De ordinatis ab episcopo qui renunciauit episcopatui.*

QVarta quæstio est, an ordinatio valeat facta ab episcopo, postquàm episcopatui renũciauit. Respondetur per distinctionem. Aut enim episcopus renũciauit tãtùm loco, aut loco & dignitati. Priori casu ordinatio valet. Posteriori subdistinguitur, aut enim contulit minores ordines, & valet ordinatio: aut sacros ordines, & subdistinguitur: quia si ordinẽ accipiens ignorauit eum renunciasse, nec supina est ignorantia, per dispensationem admittitur. sin minùs, executionem officij non habebit. c. 1. Similiter dispensatur cum clerico, qui per ignorantiam ab excommunicato episcopo ordines accepit. c. 2.

XIV. *De ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum.*

ABsolutis generalibus quæstionibus ad ordinationem pertinentibus, iam dicendum de prælatis, de quibus duæ quæstiones dissoluuntur, videlicèt qui sint præficiendi, & quomodo præficiendi. Quod ad priorẽ quæstionem attinet, in eo qui præficiendus est, tria spectantur, quæ in hac rubrica proponuntur: ætas, qualitas, & ordo. ¶ De ætate hæc notentur. I. Qui eligi- 2
tur episcopus, non debet esse minor triginta annis. c. 7. in pr. (vbi legendum *egerit*: non, *exegerit*) & c. cum nobis. 19. vers. de legitima: & distinct. 77. c. episcopus. II. Qui ad inferiora ministeria vocatur, vt ad decanatum, archidiaconatum, & alia quæ curam animarum habent adnexam, vel ad ecclesiæ regimen pertinent, is non debet esse minor viginti quinque annis. d. c. 7. ſ. inferiora. olim non debebat esse minor triginta annis, nisi necessitatis causâ admitteretur, vt probatur distin. 78. c. penul. & vlt. adhibito. c. 1. h. tit. III. Cum iis qui vigesimum annum compleuerunt, vt dignitatem vel personatum sine cura animarum obtineant, episcopus dispensare potest. ſ. l. 6. c. vn. aliàs solus Romanus Pontifex dispensat, vt ſ. de electio. c. innotuit. 20. IV. (Vt hæc obiter addam) in diacono & lectore requiritur ætas viginti quinque annorum: in subdiacono & acolutho viginti: ad alios autem minores ordines ab infantia admittuntur. dist. 28. c. de his. 6. & distin. 77. c. quicúmque. 3. c. subdiaconus. 4. c. placuit. 5. in diaconissa requiritur ætas quadraginta annorum. 27. q. 1. c. diaconissam. 23. Sed hodie potest quis anno decimo octauo ad subdiaconatum, & vigesimo ad diaconatum promoueri. ſ. h. t. Clem. vlt. Hæc ita iure Canonico obtinent. Ius ciuile in quibusdam variauit, sed nouissimè Iustinianus No. 123. c. 13. in episcopo triginta quinque, in diacono & subdiacono viginti quinque, in diaconissa quadraginta, in lectore octodecim annorum ætatem requirit. Hęc de ætate dicta sint.
¶ De qualitate præficiendorum multa Gratianus 3
tradit d. 23. & sequentibus. In summa talis debet esse, qualem Apostolus describit. I. ad Timoth. c. 3. vt retuli. ſ. tit. 11. in fi. nam quæ ibi dixi de qualitatibus ordinandorum, potissimùm in præficiendis obtinent.
¶ Quod ad ordinem attinet, præficiendus debet esse in 4
sacris. qui verò est in minoribus ordinibus constitutus, parœciali ecclesiæ sine dispensatione præfici non potest. c. 5. c. à multis. 9. c. tuam in Domino. 10. Dictum est, qui possint præfici.

XV. *De sacra Vnctione.*

COnsequenter dicendum quomodo præfician- 1
tur. Hîc dantur duo præcepta. Primum præceptũ est, vt in consecrando episcopo vel presbytero adhibeatur sacra vnctio. Intellige vnctionẽ externam, quæ est visibile signum internæ vnctionis, id est, gratiæ à Spiritu sancto infusæ, vt vnctus officio & ministerio sibi commisso rectè fungi possit. ¶ Episcopi caput & 2
manus chrismate, quod ex oleo & balsamo conficitur: sacerdotis manus, & regis brachiũ oleo benedicto inũ-

BIU Cujas

guntur. præterea quilibet christianus ante baptismum inungitur oleo benedicto, primùm in pectore, deinde inter scapulas: & post baptismum chrismate vngitur primò in vertice, postea in pectore. Item vngitur ecclesia, cùm dedicatur: altare, cùm consecratur: calix, cùm benedicitur. quæ omnia tradũtur, & explicãtur in c. vn.

XVI. *De Sacramentis non iterandis.*

1 SEcundum præceptum est, vt si quid in ordinatione fuerit prætermissum, non iteretur ordinatio. (quia hoc Sacramentum inter ea refertur, quæ iterari non possunt:) sed suis temporibus suppleatur, quod deest. c.
2 1. & c. vlt. ¶ Sacramentum (vt definit Augustinus) est inuisibilis gratiæ visibilis forma. de consecrat. dist.
3 3. c. sacrificium. 32. ¶ Sacramenta multis modis diuiduntur. I. Septem sunt sacramenta: baptismus, confirmatio, Eucharistia, pœnitentia, ordo sacer, matrimonium, & extrema Vnctio. Baptismus est exterior hominis ablutio cum certa forma verborum. gloss. 1. in c. 1. de consecrat. distinct. 4. Vnde huius Sacramenti substantia consistit in verbo & elemento, cætera ad solemnitatem eius pertinent, secundum Mag. Sentent. libr. 4. distinct. 3. sect. 1. verba autem sunt ex Christi instituto, Matth. 28. & Ioſ. 6. Ego te baptizo, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, de consecra. distinction. 4. c. propriè. 12. c. si quis presbyter. 78. c. multi. 81. Hæc intellige de baptismo propriè dicto, quem vocant baptismum fluminis: alij sunt baptismi metaphoricè dicti, nempe fluminis, & sanguinis, de consecrat. distinct. 4. c. baptismi vicem. 33. & c. catechumenum. 36. & distinct. gloss. 1. in c. 1. Confirmatio est inunctio in fronte, quæ per episcopum fit sacro chrismate, manus impositionem designans. ſ. tit. prox. c. vn. per frontis, adhibitis his verbis, vt ex libris Pontificalibus refert Ang. de Clauasio in ver. Confirmationis. §. 9. *Ego te consigno signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Eucharistia, si vocabuli vim spectes, nihil aliud est, quam gratiarũ actio. sed hîc accipitur pro participatione corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, vi illorum verborũ, *Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus.* Hîc autem inter tria distinguitur, formã visibilẽ panis & vini, veritatẽ carnis & sanguinis, & virtutem spiritualem: primũ est, sacramentũ, non res sacramenti: secundum est sacramentũ, & res: tertium est res, non Sacramentum. ĩ. de celebr. miſſ. c. 6. §. distinguendum. Nota Eucharistiã propriè dici, aut viaticum, quatenus vitam gratiæ operatur, ac præbet nobis viam perueniendi ad futuram Dei fruitionem in cœlesti patria. Quatenus autem ciuitatẽ ecclesiæ significat, quia per ipsã comunicamus Christo, & vnimur ad inuicem, Græcè vocatur synaxis, Latinè Communio. Denique in quantũ per hoc Sacramentũ Dominica Passio offertur, dicitur Sacrificiũ, vel missa, accipiendo missam tantùm pro Sacro mysterio, quod sit in consecratione, oblatione, & cõmunione corporis & sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini, ac repræsentatione passionis eiusdem, ad salutem fideliũ, & remissionẽ peccatorum, exclusis solemnitatib. præcedentibus, & sequentibus. vide Ioh. viguerium de Sacram. Euchar. versu 10. & 11. Pœnitentia duplex est: interna, & externa. illa est virtus mẽtis, hæc est Sacramẽtũ. Mag. sent. l. 4. d. 14. sect. 1. Hæc diuiditur in publicã, quæ imponitur manifestis peccatis: & priuatã siue occultam, quæ imponitur peccatis arcanis. ĩ. de excessib. prælat. c. accedentib. 12. & c. omnis. 12. Publica subdiuiditur in solemnẽ, & non solemnẽ. d. 50. c. si quis post. 62. potest. Cõstat autẽ omnis pœnitẽtia trib⁹ partibus: cordis cõtritione, oris cõfessione, & operis satisfactione. de pœnit. dist. 1. c. perfecta. 40. Mag. Sentent. l. 4. dist. 16. sect. 1. Ordo est Sacramentũ ecclesiæ, quo superior manum imponens ordinato potestatem ecclesiasticam tribuit. c. vlt. Ordinum alij sunt maiores, alij minores, vt docui. ſ. tit. 11. Matrimonium est viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitę consuetudinem continẽs. ĩ. de præsumpt. c. illud. 11. vers. verum quia & 29. q. 1. in pr. Extrema Vnctio est, qua grauiter ægrotantium, quos eo morbo morituros probabiliter metuitur, certę corporis partes sanctificato oleo à presbytero inunguntur, vt non minùs animæ, quàm corporis sanitatem operetur. Sacramentum est Vnctio extrema: res Sacramenti est Vnctio interna, quæ peccatorum remissione & virtutum auctione perficitur. Mag. senten. lib. 4. dist. 23. sect. 2. II. Alia sunt sacramenta necessaria, quæ sine dispendio salutis æternæ suo tempore prætermitti non possunt: alia volũtaria, quæ sine æternæ salutis periculo quilibet potest pro libitu accipere, vel omittere. Necessaria sunt quinque: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, & Extrema Vnctio. voluntaria duo: ordo sacer, & matrimonium. ĩ. de transact. c. veniens. 8. & ibi glo. in ver. necessaria. III. Alia caracterem imprimunt, proinde, iterari non possunt, vt Baptismus de cõsecrat. dist. 4. c. à quodam. 23. c. si qui. 27. c. quamuis. 28. c. ostenditur. 31. c. hi de quibus. 37. c. siue. 50. c. nõ licet. 106. cum duob. cann. seqq. confirmatio de consecrat. dist. 5. c. dictum est nobis. 8. & c. seq. ordo sacer. d. c. non licet, dixi. ſ. initio huius tituli. alia nullum caracterem imprimunt, ideóque possunt iterari, vt eucharistia de consecrat. dist. 2. c. quotidie. 13. & c. seq. matrimonium 31. q. 1. c. aperiant. 11. & cann. seqq. & Extretrema Vnctio. Mag. Sentent. lib. 4. distinct. 23. sect. 3. In pœnitentia distinguitur: quia non solemnis iteratur. ĩ. de pœnit. c. omnis. 12. solemnis non iteratur. distin. 50. c. si quis post. 52. §. potest. nisi contraria sit ecclesiæ consuetudo de pœnitent. distinctione. 3. c. nihil. 21. §. ex persona. Expositæ sunt duæ partes tractatus de consecratione.

XVII. *De filiis presbyterorum ordinandis, vel non.*

SVpereſt tertia pars, in qua de diuersis personis dubitatur num promoueri possint. Prima dubitatio est de filiis presbyterorum. ¶ Filius presbyteri dicitur, qui vel ante presbyteratum, vel in presbyteratu susceptus est. Ante presbyteratum vel est legitimus ex iustis nuptiis, vel est ex alio coitu susceptus. In presbyteratu verò filius legitimus procreari nequit, cum omnibus presbyteris matrimoniũ sit interdictum. Quòd si communi consensu vir & vxor promiserint se castitatem seruaturos, deinde vir ad sacerdotium promotus accesserit ad vxorem, & ex ea filium genuerit: hic filius, quamuis ex legitima vxore susceptus, tamen non est legitimus, sed ex illicito coitu genitus, quia contra votum castitatis, & contra fidem ecclesiæ datam procreatus est. c. literas. 14. ¶ Hac dictinctione posita notantur sequentes regulæ. I. Filij illegitimi, siue ante sacerdotium, siue in sacerdotio procreati sint, ad sacros ordines non admittantur, nisi aut facti monachi, aut in congregatione canonica regulariter viuentes. ca. 1. & vlt. & dist. 56. c. 1. c. nisi. 11. aut ex Pontificia dispensatione. ca. ex tua. 9. dist. 56. ca. apostolica. 12. §. hoc autem. II. Filius ex legitimo matrimonio ante sacerdotium patris susceptus, omnium ordinum capax est, atque adeo etiam summus Pontifex fieri potest. c. adhæc. 12. & dist. 56. ca. pen. §. cùm ergo. III. Filius, siue legitimus, siue illegitimus, non potest præesse ecclesiæ,

ecclesiæ,

cleſiæ, in qua pater immediatè præfuit. ſecus eſt, ſi alia quoque perſona poſt illius patrem præfuerit. c. 7. c. ad extirpandas. 12. I V. Filius poteſt præeſſe eccleſiæ, in qua pater ſine titulo miniſtrauit. ca. conſtitutus. 8. V. Filio canonici præbenda in eadem eccleſia conferri non poteſt. c. cum decorem. 15. V I. Cum illegitimè natis diſpenſant epiſcopi in tribuendo minori ordine, vel beneficio non curato: in aliis diſpenſatio Papæ requiritur. ĵ. lib. 6. c. 1. in pr.

XVIII. *De ſeruis non ordinandis & eorum manumiſſione.*

1 SEcunda dubitatio eſt de ſeruis: de quibus notentur regulæ ſequentes. I. Seruus ordinari non debet, niſi prius à domino ſit manumiſſus. c. 1. 2. 3. 4. 5. & diſt. 54. c. 1. & 2. II. Si ſeruus ſciente neque contradicente domino ordinetur, eo ipſo liber & ingenuus erit. d. diſti. 54. c. ſi ſeruus. 20. III. Si ſeruus domino ignorante promotus ſit, deponitur, & domino reſtituitur. c. 2. verſ. etſi quibet. & d. diſt. 54. c. 2. quod ita limitatur in can. ex antiquis. 9. ead. diſt. vt ſi factus ſit presbyter, peculij amiſſione multetur, & in eo gradu maneat ſi ſit diaconus: aut vicarium præſtet, aut, ſi non habet quem præſtet, ipſe domino reddatur. reliqua verò officia ſeruo collata non præiudicent domino, quo-
2 minùs ſeruus ei reſtitui debeat. ¶ Nota primò ibi non fieri mentionem ſubdiaconi; quia olim ſubdiaconatus non erat ordo ſacer, ſed hodie idem dicendum de ſub-
3 diacono quod de diacono. ca. miramur. 7. ¶ Nota ſecundò, ſi ignorante domino ſciens epiſcopus ſeruum promouerit, hunc in ordine manere, ſed epiſcopum domino in duplicem teneri, at ſi epiſcopus eum pro libero habuerit, & is qui præſentauit, ſeruum eſſe non ignorauerit, hic in duplum domino tenetur. d. diſt. 54. cap. ſi ſeruus abſente. 19.

XIX. *De obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non.*

TErtia dubitatio eſt de obligatis ad rationes adminiſtrationis geſtæ reddendas. Hi ſiue publicam ſiue priuatam rem geſſerint, ante adminiſtrationem finitam & rationes redditas promoueri non debent. c. vn.

XX. *De corpore vitiatis ordinandis, vel non.*

1 QVarta dubitatio eſt de iis qui aliquo corporis vitio laborant. Hîc adhibetur quadruplex diſtinctio. I. Aut vi ſeu caſu mutilationem paſſi ſunt, aut libera voluntate. II. Aut læſi ſunt ante ſacerdotium, aut in ſacerdotio. III. Aut euidens læſio eſt, vt in oculo: aut occulta, vt in membris virilibus. I V. Aut talis læſio eſt, quæ impedit ſolemnium celebrationem, veluti ſi quis careat pollice quo debet euchariſtiam frangere; aut non impedit ſolemnium celebrationem, veluti ſi vngue. c. vlt. aut digiti particula c. 1. aut ſiniſtræ ma-
2 nus digito careat. diſt. 55. c. lator 11. ¶ His diſtinctionibus poſitis, notentur ſequentes regulæ. I. Qui membrum aliquod vel membri partem ſponte ſua, vel cum non poſſet aliter libidini obſiſtere, ſibi abſcidit, aut abſcindi curauit: is nec promoueri ad ordinem poteſt: et ſi quem ordinem habet, deponendus eſt. c. 4. & diſti. 55. can. 4. 5. 6. II. Læſio modica, quam aliquis inuitus caſu, aut per hoſtium vim, aut morbi curandi cauſâ paſſus eſt, promotioni ad ordines non eſt impedimento. Læſionem modicam appello eam, quæ non impedit celebrationem ſolemnium, vt paulò ante docui. Exemplis autem ſuprà adductis adde eum, qui medicorum inuſione claudus factus eſt. diſt. 55. c. ſi quis. 10. & ſi cui virilia ſint abſciſſa. c. 5. & d. diſt. 55. c. 7. 89. III. Læſio impediens ſolemnium celebrationem, vt manus omiſſio, omninò obſtat, quominùs aliquis promoueri poſſit. c. 6. I V. Qui ſine ſua voluntate oculum amiſit, promoueri non debet, ſed ſi id ſacerdoti accidat, ſacerdotium non amittit. d. diſtinct. 55. c. vlt. V. Ex quibuſdam cauſis diſpenſari poteſt, veluti cum eo, qui in duello particulam digiti amiſit. c. 1. aut in oculo maculam habet. c. 2. aut virilia ſibi amputari fecit, putans ſe obſequium Deo præſtare. c. 4.

XXI. *De bigamis non ordinandis.*

QVinta dubitatio eſt de bigamis, quid enim, ſi vxor 1
mortua ſit? aut quid ſi cum iis diſpenſetur? Sed conſtitutum eſt, vt ne quidem vxore mortua ad ſacros ordines admittantur. c. 3. & vt diſpenſatio cum eis facta non valeat. c. 2. ¶ Bigamus propriè dicitur, qui 2
duas legitimas vxores habuit, id eſt, qui ſecundas nuptias contraxit. Verum tamen quaſi bigamus irregularitatem incurrit etiam is, qui repudiatam. c. 1. ſeu viduam duxit. c. 3. & c. 5. verſ. cum ergo & c. vlt. & qui ſecundas nuptias de facto contraxit, veluti cùm in ſacris eſſet. c. 4. ¶ Qui verò ab altero ductam, ſed ab eo 3
non cognitam, duxit in vxorem, ob id impediri non debet, quominùs ad ſacros ordines promoueatur. d. c. 5. ſed nec is qui multas habuit concubinas, in bigamiæ irregularitatem incidit: idcirco pœnitentia impoſita poterit cum eo diſpenſari. c. pen. ¶ Irregularitatem vo- 4
camus canonicum impedimẽtum ex facto ſeu defectu proueniens quo quis tam ad eccleſiaſticos ordines promoueri quam promotus in iiſdem miniſtrare prohibetur. Lancel. Inſtit. iur. Can. lib. 4. tit. vlt. §. cauebunt.

XXII. *De clericis peregrinis.*

SExta dubitatio eſt de clericis peregrinis, qui vocan- 1
tur etiam extranei. iij. q. 7. c. peregrina. 12. & 6. q. 3. c. 2. id eſt, qui non ſunt de epiſcopatu ordinantis peregrini, de quibus in præſentia loquimur. Alibi peregrini dicũtur qui religionis cauſa peregrinãtur. ĵ. de treu. & pa. c. vlt. & 24. q. 3. c. ſi quis Romipetas. 23. In iure autem ciuili peregrini appellantur qui non ſunt ciues Romani. D. de orig. iur. l. 2. §. poſt aliquot & de hered. inſtit. l. 6. 8 ſolemus & c. eo. l. 1. ¶ Hi non poſſunt 2
ordinari, niſi plura concurrant, quæ mox docebo. I. Non poſſunt ad ſuperiores ordines promoueri, niſi inferiorem ordinationem legitimè probent. c. 1. & 2. II. Requiritur conſenſus epiſcopi, cui ſunt ſubiecti aut permiſſio apoſtolica. ĵ. lib. 6. de temporib. ordin. c. 1. & 2. & diſt. 71. c. 1. 2. & 5. III. Prælati epiſco. ſubiecti non poſſunt aliquem in ſuis eccleſiis inſtituere ſine ſui epiſcopi conſenſu. c. vlt. ¶ Hic eſt finis tracta- 3
tus de ordinatione ſeu conſecratione: expoſita eſt igitur quinta limitatio poteſtatis eccleſiaſticæ.

XXIII. *De officio archediaconi.*

SExta limitatio eſt: quia quilibet debet officio ſuo 1
fungi, non id facere, quod ad alium ſpectat, ne (quod dici ſolet) falcem immittat in meſſem alienam. Ergo diuerſa officia deinceps explicabuntur: & primo loco officium archidiaconi. hic enim primum locum poſt epiſcopum tenet: ciúſque vicarius eſt in omnibus, & omnis cura in clero ad eum pertinet. c. 1.

XXIV. *De officio archipresbyteri.*

ARchidiacono igitur ſubeſt archipresbyter, qui 1
presbyteris & præsbyteralibus officiis præeſt. c. 1. & diſt. 25. c. perlectis. 2. verſ. archipresbyter. ¶ Hu- 2
ius duæ ſunt ſpecies. Nam alij ſunt vrbani, qui in vrbe circa diuina vicem Epiſcopi abſentis ſuſtinent, aut curam &

BIU Cujas

ram & solicitudinem præsentis minuunt. c. pen. alij rurales, qui per singulas plebes constituti, non solum plebis, sed etiam presbyterorum, qui per minores titulos habitant, curam gerunt. c. vlt.

XXV. *De officio primicerij.*

PRimicerius quoque archidiacono subest: diaconis autem, & reliquis inferioribus, eorumque disciplinæ præest. c. vn.

XXVI. *De officio sacristæ.*

1 ITem sacrista: ad cuius curam pertinet custodia sacrorum vasorum, vestimentorum ecclesiasticorum, ac totius thesauri ecclesiastici, nec non ceræ vel olei ad
2 luminaria pertinentis. c. vn. ¶ Tres reperio huius appellationes. Primò appellatur sacrista, vt hîc. Secundò thesaurarius, d. 25. c. perlectis, in fi. Græcè cimiliarcha. C. de bon. auct. iud. poss. l. vltim. §. vlt. nam res pretiosæ dicuntur Græcè κειμήλια. 12. q. 2. Apostolicos. 13. Theoph. instit. de rer. diuis. §. sacræ.

XXVII. *De officio custodis.*

TErtiò custos vt h. t. Nam custos à sacrista parum, aut nihil differt: sed in nonnullis ecclesiis vocantur sacristæ, in aliis nominantur custodes.

XXVIII. *De officio vicarij.*

1 HI de quorum officio hactenus diximus, suo nomine seruiunt ecclesiæ, & Episcopi solicitudinem leuant. vicarij verò alienam vicem gerunt. ℣. lib. 6. c. 1. Idcirco à vicario episcopi non ad ipsum episcopum, sed ad archiepiscopum appellatur. ℣. lib. 6. de appellat. c. 3. in pr. licèt ab archidiacono & aliis inferioribus præ-
2 latis ad episcopum appelletur. d. c. 3. §. 1. ¶ Nota primò rectorem parœcialis ecclesiæ non per vicarium, sed per seipsum illi ecclesiæ seruire debere, nisi parœcialis ecclesia sit dignitati vel præbendæ adnexa, quo casu qui talem dignitatem vel præbendam habet, cùm debeat in maiori ecclesia deseruire, in parœciali ecclesia idoneum & perpetuum vicarium constituit. ℣. de præ-
3 ben. c. extirpandæ. 30. §. qui verò. ¶ Nota secundò vicarium non posse alium vicarium sibi substituere. cap. 4.

XXIX. *De officio & potestate iudicis delegati.*

1 DElegatus quoque vices alienas, id est, delegantis gerit in causis sibi commissis. c. sanè quia. 11. & c. cùm olim magister. 33. Huius officium in iurisdictione
2 contentiosa cernitur. ¶ Porrò delegat vel Papa. c. 1. 3. & passim. h. t. vel princeps, vel quilibet ordinarius. ℣. de appel. c. cùm causam. 62. in fi. & C. de iudic. l. 5. Sed hoc titulo vel solùm, vel potissimum agitur de delegato à Papa, & de eius subdelegato. Vnde quia hic in causa sibi commissa potestatem habet etiam supra iudicem ordinarium. c. 1. d. c. sane quia. 11. c. ex literis. 29. eique ordinarius parêre tenetur. c. pastoralis. 28. §. quia verò ideo hic titulus præponitur tractatui de iudicibus or-
3 dinariis. ¶ Delegantur causæ vel vni, vel pluribus. c. causam. 16. c. prudentiam. 21. c. cùm causa. 22. c. cùm
4 super. 23. & ℣. lib. 6. c. 3. & c. cùm in plures. 8. ¶ Et vel delegatur vna causa. c. 6. c. super eo. 15. c. causam matrimonij. 16. c. causam quæ. 17. c. cùm causam 22. vel
5 plures. c. 3. 4. cum simil. ¶ Propria iudicis delegati à Papa vel à principe hæc sunt. I. Iurisdictionem habet, ac sententiam suam exequi potest. c. 1. 5. 7. c. in literis. 9. c. sane quia. 11. c. quærenti. 26. Nec solùm in partes, sed etiam in quoscunque alios iurisdictionem eius impedientes potestatem habet. c. 1. & quidem maiorem, quàm iudex ordinarius vt suprà notaui. Alia est ratio iudicis dati ab ordinario: quia non ipse sententiã suam exequitur, sed ordinarius qui eum iudicem dedit. D. de re iudic. l. à Diuo Pio. 15. in pr. Sed nequidem Papæ delegatus cogere partes potest, vt coram se personaliter compareant, nisi vel de hoc acceperit speciale mandatum vel sit causa criminalis, vel pro veritate dicenda, vel pro iuramento calumniæ præstando, vel ob aliam iuris necessitatem. ℣. lib. 6. de iudic. c. 1. 11. Causam alteri subdelegare potest. c. 3. & 6. & C. de iudic. d. l. 5. Sed notandum causas auctoritate literarum sedis Apostolicæ, vel legatorum eiusdem, non posse aliis committi quàm dignitatem aut personatum habentibus, seu ecclesiarum cathedralium canonicis: nec alibi audiri, quàm in ciuitatibus, vel locis insignibus, vbi possit commodè peritorum copia haberi. ℣. lib. 6. de rescript. c. statutum. 11. in pr. ¶ Dictum est de iudice 6
delegato: transgrediamur ad iudices ordinarios, inter quos primum locum tenet legatus sedis apostolicæ.

XXX. *De officio legati.*

LEgati significatio duplex est. I. Legatus accipitur 1
pro eo qui à principe vel à repub. missus est negotij publici causâ, non vt sit iudex, ita accipitur. dist. 1. c. ius gentium. 10. & dist. 97. c. nobilissimus & D. & c. de legationib. II. Pro legato sedis Apostolicæ, qui est ordinarius iudex, & vices Papæ gerit in prouincia & ita in hoc tit. sumitur. c. 1. 7. & 8. & ℣. l. 6. c. 2. III Pro legato proconsl iurisdictionem mandatam habente. D. de off. proconsl. l. 4. §. vlt. l. legatur. 12. & l. seq. & l. vlt. ¶ Dif- 2
fert legatus Papæ. I. A iudice delegato à Papa: quia huic tantùm vna vel aliquot certæ causæ delegãtur: legatus verò de omnibus causis tanquam iudex ordinarius cognoscit dictis iurib. II. A nũcio apostolico, quia nũcius est legatus in prima significatione, id est, non est iudex hũc puto vocari nũcium dominicũ in c. 2. ℣. de regularib. licèt gl. ibi intelligat vicarium episcopi. III. A Papæ vicario, qui tantùm in vrbe iurisdictionem habet. ℣. de offic. vicar. c. pen. ¶ Legato[illegible] quibus hîc 3
agitur, tria sunt genera. Nam alij sunt legati ratione dignitatis, cui legatio est adnexa: vt Archiepiscopus Cantuariensis. c. 1. & Archiepiscopus Eboracensis. ℣. de appellat. c. 1. Alij sunt, quorum personæ Papa hoc ius tribuit. c. volentes. 8. & ℣. de præsumpt. c. 6. & de accusat. c. cum dilecti. 18. Alij sunt, quos ex curia Papa mittit. hi vocantur legati de latere, maximè si sint Cardinales, quos solos Ro. curia vocat legatos de latere. glos. in c. pen. in verbo *commissam*. Pan. in ca. 1. Host. in §. quot species, vbi notat primos magnam, secundos maiorem, tertios maximam auctoritatem habere, quod probatur etiam d. c. volentes. & c. seq. & d. glo. in verbo *commissam*.

XXXI. *De officio iudicis ordinarij.*

QVemadmodum in Digestis & Codice sæpe titu- 1
lis specialibus subiiciuntur tituli generales, vt *communia prædiorum, communia vtriusque iudicij, communia de legatis*. ita etiam hîc titulo *de officio legati*, qui est iudex ordinarius, subiungitur generalis titulus *de officio iudicis ordinarij*. ¶ Ordinarius est: qui iurisdictionem 2
habet suo iure, id est, iure magistratus, vel officij quod sustinet, hinc enim distinguitur à iudice delegato, & ab eo cui iurisdictio mandata est. D. de iurisdict. l. 5. & 6. ¶ Ordinaria iurisdictio diuiditur in ciuilem & Ec- 3
clesiasticam. ℣. de maior. & obed. c. 6. ¶ Iurisdictio- 4
nis Ecclesiasticæ gradus multi sunt. Supremo loco est Papa. 9. q. 3. c. pen. & vlt. Secundò legatus de latere. Tertiò legatus non de latere. ℣. tit. prox. c. volentes. 8. Quartò Patriarcha. Quintò Archiepiscopus. c. duo simul.

mul. 9. Sextò episcopus. ℣. de appellat. c. dilecti filij prior. 66. Septimò prælati episcopo inferiores, vt Archidiaconus, & quilibet Ecclesiæ præfectus c. 3. & ibi
5 gloss. 1. in pr. ¶ Nota ius episcopale, seu pastoralem potestatem esse multiplicem. c. conquerente. 16. sed ad tria summa capita refertur à Lanceloto lib. 2. Inst. iur. Can. tit. de immunitate. §. vlt. Nam quædam iure ordinis ad episcopum spectant, vt clericorum ordinatio, virginum benedictio, Ecclesiarum & altarium consecratio: quædam lege iurisdictionis, vt potestas instituendi, corrigendi, excommunicandi, quædam lege diœcesana: vt ius, cathedraticum exigendi (Cathedraticum est census, quem Ecclesia suo episcopo in argumentum subiectionis, & ob cathedræ honorem præstat. x. q. 3. c. 1. appellatur etiam synodaticum; quia in synodo datur. ℣. de censibus c. olim. 20.) decimas percipiendi, hospitij indicendi, & id genus cetera. Sed glo. in c. dilectus. 18. in ver: *de lege iurisdictionis*, duo tantùm membra facit: legem iurisdictionis, & legem diœcesanam: ita vt ea quæ sunt ordinis, ad legem iurisdictionis referat. Mihi diuisio Lanceloti magis probatur, ob ea quæ notaui. ℣. de elect. §. vlt.

XXXII. *De officio iudicis.*

1 PErgit instituta methodo à specialibus ad generalia: & quemadmodũ titulo speciali *de officio legati*, subiecit titulũ generalem *de officio iudicis ordinarij*: ita huic adnectit titulum magis generalem *de officio iudicis*.
2 ¶ Est autem officium iudicis, quod iudex quatenus iu-
3 dex potest ac debet facere. D. de iurisdict. l. 1. ¶ Et est duplex: nobile, & mercenarium, vt exposui Inst. h. t.

XXXIII. *De maioritate, & obedientia.*

1 REtinet eandem methodum à specialibus ad vniuersalia, hîc enim titulus non solùm iudicibus, sed etiam omnibus clericis communis est: quia generaliter vt maiores minoribus dilectionem: ita minores maioribus reuerentiã, & quandoque etiam obedientiam præstare de[illegible] 3. c. quod super. 9. & dist. 89. c. vlt.
2 & dist. 93. in pr. & c. non oportet 15. ¶ Maioritas est
3 prærogatiua, qua maior minori præstat. ¶ Huius multæ sunt. Prima causa est ordo. c. statuimus. 15. nam qui sunt in maioribus ordinibus, præferuntur iis qui sunt in minoribus, & tam in his, quàm in illis sunt certi gradus, qui in c. à subdiacono. 5. distin. 93. ita constituuntur.

1 Episcopus.	6 Exorcista.
2 Presbyter.	7 Lector.
3 Diaconus.	8 Ostiarius.
4 subdiaconus	9 Abbas.
5 Acoluthus.	10 Monachus.

Nota primò Abbatem ibi poni post Ostiarium: quia omnes Monachi, qui non sunt clerici, sunt inferiores clericis. 16. q. 1. c. alia causa. 6. Sed hodie maior est abbatum dignitas. glo. in d. c. à Subdiacono in verbo *Abbas*, nec mirũ: quia nemo hodie potest esse Abbas. quin sit Presbyter. ℣. de æta. & qual. c. 1. Nota secundò in hac specie omitti psalmistam, vt & in c. seriatim. 14. dist. 32. & in c. illud. dist. 77. quia hic solus sine licentia Episco. sola iussione Presbyteri ordinatur. dist. 23. c. Acoluthus. 17. cum seqqqq. Sed nihilominus inter minores ordines connumeratur. dist. 21. c. cleros. 2. vers. psalmista. & dist. 25. c. perlectis. 2. vers. ad psalmistam. & dist. 32. c. quoniam. 15. & dist. 72. c. clericum. & 11. q. 1. c. de persona. 37. §. ne verò & 27. q. 1. c. si quis episcopus. 6. Hæc dicta sint de ordine, ex quo sumitur maioritas & obediẽtia clericorũ.
4 ¶ Secunda causa est potestas: vt Archidiaconus est maior Archipresbytero. ℣. de offic. Archipresb. c. 1. & de offic. primic. c. vni. ¶ Tertia causa est tempus ordi-5 nationis: quoniam ceteris paribus, is qui priùs ordinatus fuit, ei præfertur qui postea ordinatus est. c. 1. & ℣. de pane. c. 1. vers. si autem partes. & dist. 17. c. vlt. & dist. 75. c. vlt. ¶ Quarta causa est dignitas & præro-6 gatiua ordinantis. c. per tuas. 7. ¶ Nota primò eundem 7 eodem posse diuerso respectu esse maiorem, & minorem vel æqualem, vt Archidiaconus ordine est maior Archipresbytero. vt enim Archipresbyter est presbyter, ita Archidiaconus est diaconus. dist. 60. c. 1. 2. 3. omnibus autem diaconis præferuntur presbyteri. dist. 93. c. diaconi. 12. cum 8. sequentibus. c. legimus. 24. potestate verò Archidiaconus est maior Archipresbytero, vt paulo antè notaui. ¶ Nota secundò minorem 8 maiori præferri, si eius vices gerat, qui vtroque maior est. Vt diaconus vices gerẽs episcopi, vel Archiepiscopi, præfertur presbytero. d. distin. 93. c. pen. in fi. & c. vlt. & delegatus Papæ in causa sibi commissa præfertur cuicumque ordinario. ℣. de offic. deleg. c. sanè quia 11. Absoluta est tertia huius libri pars, quæ est de prælatis & clericis.

XXXIV. *De treuga & pace.*

SEquitur quarta pars, quæ in Digestis & Codice est 1 de pactis, & de transactionibus. sed hîc additur tractatus de treuga & pace: quoniam hæc pactis constituuntur. D. de pact. l. 6. nec minùs pacis, quàm pacti vocabulum à pactione deducitur. D. eod. l. 1. §. 1. ¶ In 2 hac igitur parte sunt tres tractatus: quorum primus est de treuga & pace. duo namque tempora in reipublicæ administratione spectãtur: alterum pacis, alterum belli. Instit. procem. in pr. Arist. Polit. l. 1. c. 3. & l. 7. c. 14. & vt bellum pace tollitur, ita per treugam aliquo modo suspenditur. Quare non inscitè dicere possumus treugam esse pacem temporalem, pacem verò esse treugam perpetuam, etenim treuga est cũ hostes se inuicem lacessere ad tempus non possunt, vt colligitur ex l. postliminium. 19. §. 1. D. de captiu. ¶ Cum hostibus est 3 bellum. D. eod. l. hostes. 24. & interdum treuga. Cum fœderatis est pax. D. eod. l. 7. nec non cum iis regibus aut populis, quibus cum nec bellum est, nec fœdus. D. eod. l. 5. §. in pace. ¶ Treuga duplex est: canonica, 4 & conuentionalis. Canonica est, quæ certis temporibus iure Canonico constituitur, ita vt eam violans puniatur. c. 1. Conuentionalis est, quam Latini inducias appellant. Hanc Iureconsultus ita definit, *cùm in breue & præsens tempus conuenit* (subaudi inter hostes) *ne se inuicem lacessant*. d. l. postliminium. §. 1. ¶ Nota 5 primò decretalium conditorem rectè inscripsisse hunc titulum de treuga, non de induciis: quia (vt ex dictis manifestum est) treuga latiùs patet, quàm induciæ. & in artibus tradendis cùm liceat facilioris doctrinæ causam fingere noua vocabula. Arist. Categor. c. 7. part. 11. quod & Poëtis Horatius in arte cõcedit, multò magis licitus debet esse vsus vocabulorum vulgò vsitatorũ, licèt barbara sint. sicut enim multa vocabula Græca, vt hypotheca, emphyteusis, & similia; ita quædam barbara, vt gaza, vsu etiam apud bonos auctores recepta sunt. ergo non solùm ex Græco, sed etiam ex barbaro fonte, cùm est opus, & vbi Græcus fons exarcuit, vocabula haurire licèt: nec minùs in iure canonico verbum treugæ, quàm apud Liuium vocabulũ suffetis ferendum est. Sed translatitium est, vt homines ad reprehendendum propensi, ea culpent, quæ non intelligunt. ¶ Nota secundò de securitate tres regulas. l. Tẽ- 6
pore belli securitas non est inter eos, inter quos est bellum. D. de acquir. rer. domin. l. 5. §. vlt. l. 7. in pr. & Instit. de rer. diuis. §. item ea. exceptis certis personis,

BIU Cujas

quibus ex speciali priuilegio indulgetur, vt nequeant iure belli offendi, quoniam ipsi bellum non gerunt, vt presbyteri, monachi, & ceteri, qui enumerantur in c. 2. Idcirco Doctores dicunt cum his esse treugam perpetuam. Hoc priuilegium intelligo procedere tantùm in bello, quod inter Christianos principes geritur: quod à Doctoribus pro bello ciuili habetur, ita vt in eo capti non fiant serui capientium. D. de captiu. l. si quis ingenuam. 21. §. 1. quia omnes Christiani principes populique sunt eiusdem Ecclesiæ ciues. II. Tempore pacis securitas conceditur fœderatis. D. de captiu. d. l. 7. non aliis, quibuscum nec fœdus est, nec amicitia, nec hospitium. D. eod. d. l. 5. §. in pace. III. Tempore treugæ conceditur securitas etiam host. xxiij. q. 1. c. noli. 3. vers. fides.

XXXV. *De pactis.*

1 SEcundus tractatus est de pactis, de quibus dixi. D.
2 Seod. tit. ¶ Nota si nudo pacto conuenit, paciscentem non cogi iure actionis vt fidem præstet. D. h. tit. l. 7. sed cùm nulla. sed disciplinam seu censuram Ecclesiasticam. c. 1. & 3.

XXXVI. *De transactionibus.*

TErtius tractatus est de transactionibus, de quibus egi D. h. t. Hîc est finis quartæ partis huius primi libri.

XXXVII. *De postulando.*

QVinta pars est de his qui suo vel alieno nomine litigant: quales sunt primò postulantes, de quibus dixi. D. h. t.

XXXVIII. *De procuratoribus.*

SEcundò procuratores, de quibus tractaui. D. hoc. tit.

XXXIX. *De syndico.*

TErtiò syndici, de quibus dixi ad t. D. quod cuiusc. vniuers. nom.

XL. *De his quæ vi metusúe causâ.*

SExta pars est de restitutionibus in integrum. Est autem restitutio multiplex. Prima est restitutio propter vim & metum, de qua dixi D. quod met. caus.

XLI. *De in integrum restitutione.*

1 SEcunda est restitutio minorum. c. constitutus. 8. de
2 Squa D. de minor. ¶ His dupliciter Ecclesia comparatur. c. 1. & 3. I. Quia sicut minor ideo restituitur: quia tẽpore minoris ætatis læsus est, ita Ecclesia, quandocumque læsa sit, restitui debet, quia semper habetur pro minore. hoc Papa Alexander significauit in d. c. 1. inquiens Ecclesiam semper illæsam seruari: (de quorũ verborum interpretatione Doctores valdè ambigunt) non enim respicit Pontifex ad tempus petendæ restitutionis, sed ad tempus læsionis. II. Quia vt minor restitutionem petere debet intra quadriennium, ita etiam Ecclesia. Hîc tamen non solùm est, similitudo, sed etiam discrimen; quia quadriennium minori non currit, quamdiu est minor, sed in maiori ætate currere incipit. C. de temp. in integr. rest. l. vlt. Ecclesiæ autem currit à die læsionis. ẽ. l. 6. c. 1. ¶ Quarta est restitutio maiorum 25. annis vel propter absentiã, aliamve simílem causam edicto prætoris comprehensam, vel ex generali clausula, quotiescumque cessante speciali edicto æquitas suadet vt restituantur. c. 4. & D. ex quibus caus. maior. l. 1.

XLII. *De alienatione iudicij mutandi causa facta.*

QVinta est restitutio propter alienationem iudicij mutandi causâ factam: quam exposui D. h. t. Absoluta est sexta huius libri pars de restitutionibus.

XLIII. *De arbitris.*

SEptima & vltima pars est de arbitris, de quibus dixi D. h. t. Hîc vnà cum primo libro Decretalium finiuntur iuris primordia, quæ à Iustiniano appellantur τὰ πρῶτα.

LIBER II.

Tit. I. *De iudiciis.*

PRimordiis iuris expositis, conditor Decretalium rectè & Iustiniani exemplo 1
subiicit tractatum de iudiciis, quæ sunt iuris obiecta, in quo ius versatur. Sed Iustinianum in methodi obseruatione superauit: quatenus Imperator nõ vno loco omnes actus iudiciales posuit, neque in secunda parte Digestorum, neque in tertio libro Codicis, sed in alia & diuersa loca tam in Digestis quam in Codice dispersit. hoc autem libro omnes pulcherrimo ordine disponuntur, vt ex sequenti interpretatione apparebit. Datur ergo primo loco titulus generalis de iudiciis tanquàm huius libri fundamentum. ¶ Quia verò huic tractatui videor sa- 2
tisfeciſſe. D. h. t. hîc tantùm addam iudiciorum diuisionem in Ecclesiastica & seculatia. Ecclesiasticum iudicium est, quod coram iudice Ecclesiastico inter personas Ecclesiasticas, vel saltem contra personam Ecclesiasticam (si quidem actor sequitur forum rei, vt seq. tit. dicetur) aut de causa Ecclesiastica agitatur. Seculare est, quod coram iudice laico inter personas seculares de causa seculari exercetur. cap. 2. & ẽ. titul. proxim. ca. 1. & c. licèt. 10. & c. seq. & Clem. 2. & s̃. de offic. iud. delegat. c. causam matrimonij. 16. cum sim.

II. *De foro competenti.*

IAm explicandi sunt actus quoquo modo ad iudicia 1
pertinentes. Sex sunt in quibus enarrandis sequentes huius libri tituli consumuntur. I. Præparatoria iudicij, id est, quæcumque fiunt ante litem contestatã. II. Principium iudicij, id est, litis contestatio. III. Media, quæ litis contestationi & sententiæ definitiuæ sunt interiecta. IV. Finis, id est, sententia, & eius executio. V. Impedientia iurisdictionem, vel sententię executionem. VI. Confirmantia. ¶ Incipiamus à præparato- 2
riis futuri iudicij. Primum præparatorium est vocatio in ius, de qua D. & C. de in ius vocan. ¶ Nota primò 3
reum vocandum esse ad iudicem competentem: qua de re agitur hoc titulo, & D. de iudic. & C. de iurisdict. omni. iudic. & 13. titulis sequentibus. ¶ Nota secun- 4
dò, sicut iure ciuili C. de iurisdict. omni. iudic. l. 2. ita etiam iure canonico actorem sequi forum rei. c. cùm sit. 8. ¶ Nota tertiò clericos habere priuilegium né 5
conueniatur coram iudice laico: cui priuilegio renunciare non possunt. c. si diligenti. 12.

III. *De libelli oblatione.*

SEcundum iudicij præparatorium est libelli cõuentionalis oblatio: de qua dixi ad tit. D. de eden.

IV. *De*

BIU Cujas

IV. *De mutuis petitionibus.*

1 TErtium præparatorium est reconuentio seu mu-
2 tua petitio, qua reus actorem suum inuicem conuenit. ¶ Nota primò non idem esse reconuẽtionem, & mutuam conuentionem. ℨ. l. 6. de. reseri. c. 3. nam reconuentio respicit ad conuentionem, ideoque non solùm fit apud eũdem iudicem, apud quem facta est conuentio 3. q. 8. c. 1. vers. cuius. sed etiam eodem iudicio & eadem sententia terminatur. c. 1. & rescriptum super conuentione impetratum, obtinet etiam in reconuentione. d. c. 3. mutua verò conuentio potest per se spectari, tanquam iudicium per se, non habita ratione conuentionis. ℨ. de ordi. cogn. c. 2. Quare omnis reconuentio est mutua petitio: sed nõ reciprocatur, vt omnis
3 mutua petitio sit reconuentio. ¶ Nota secundò reconuentionem seu mutuam petitionem fieri posse, non solum coram iudice ordinario sed etiam coram delegato. c. 1. & lib. 6. de rescript. d. c. 3. non coram arbitro compromissario, quia fines compromissi excederet. ℨ.
14 de arbitr. c. 6. ¶ Nota tertiò nec excommunicatum posse reconuenire. ℨ. de except. c. 5. in fi. nec criminaliter accusatum. 3. q. 11. c. 1. & 2. nec super spoliatione conuentum. ℨ. de ordi. cognit. c. vlt. Hactenus de præparatoriis, quæ fiunt ante litem contestatam.

V. *De litis contestatione.*

HIc titulus extat etiam C. lib. 3. Nota primò litis contestationem esse principium iudicij, C. eod. l. 1. & D. rat. rem habe. l. amplius. 15.

VI. *Vt lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitiuam.*

NOta secundò litis contestationem adeo esse necessariam, vt eâ omissâ sequentes actus non valeant. ℨ. tit. prox. l. vn. proinde eâ omissâ iudex nec probationes recipere, nec sententiam ferre debet, vt hoc titulo ostenditur.

VII. *De iuramento calumniæ.*

1 LIte contestata, varij actus ante sententiam definitiuam interponuntur: sed ad tria genera referuntur. In primo genere ponitur iusiurandum calumniæ: in secundò dilationes: in tertiò progressus aduersus reum
2 contumacem, vel fatentem, vel negantem. ¶ De iure-
3 iurando calumniæ dictum est C. lib. 2. tit. 58. ¶ Nota primò etiam clericos iurare debere in causis propriis,
4 non in causis ecclesiæ. c. 1. & c. 5. ¶ Nota secundò prælatos, cùm iurant, non tactis sed propositis tantùm
5 euangeliis iurare. c. vlt. ¶ Nota tertiò c. 2. huius tituli, quo cauetur vt in causis spiritualibus non iuretur de
6 calumnia, abrogatum esse. ℨ. lib. 6. c. 1. ℌ. vlt. ¶ Nota quartò iure ciuili hoc iusiurandum nec expressè nec tacitè posse prætermitti, quin iudicium reddatur nullum. C. h. t. l. 2. ℌ. sed quia veremur. iure autem canonico si hoc iusiurandum non expressè sed tacitè sit remissum, id est, si petitum non sit, processum sustineri. ℨ. lib. 6. d. c. 1. ℌ. 1. Hæc dicta sint de iureiurando calumniæ.

VIII. *De dilationibus.*

SEquuntur dilationes, de quibus dixi ad tit. D. de feriis & dilat.

IX. *De feriis.*

DIlationum variæ causæ deinceps tractantur. Prima causa est propter ferias, de quibus dixi. D. h. t.

X. *De ordine cognitionum.*

SEcunda causa est propter ordinem iudiciorum, de quo dictum est C. de ordi. iudic. accidit enim, vt aliqua cognitio differatur, donec altera terminetur. exempli causâ, cum de natalibus & hæreditate quæstio est, hæc sustinetur donec de natalibus pronũcietur. c. 3.

XI. *De plus petitionibus.*

TErtia causa est propter plus petitionem, de qua C. h. t. Nam si quis plus tempore petat: tempus, quo expectare debebat, duplicatur, atque ita petitio eius differtur, donec tempus hoc duplicatum effluxerit. c. vn. vers. ei verò & Instit. de except. ℌ. temporales. vers. hodie.

XII. *De causa possessionis, & proprietatis.*

QVarta causa est propter concursum petitorij & possessorij iudicij. Nam iure ciuili priùs possessionis quæstio finiri debet, quàm petitorio agatur de proprietate. C. de interdi. l. 3. Iure tamen pontificio quædã iudicia possessoria possunt agitari vnà cum petitorio; alia verò sunt, quæ sui natura vindicationem dominij præcedunt. c. 5. Quando possunt vtraque iudicia simul agitari, tunc in pronunciatione iudicis præmittitur possessio, in executione præualet proprietas. c. 6.

XIII. *De restitutione spoliatorum.*

CVm autem aliquis de spolio conqueritur: priùs 1
possessio debet ei restitui, quàm reus proprietatẽ petens audiatur. c. 1. & 5. & ℨ. de ordi. cognit. c. vlt. & D. de iudic. l. si de vi. 37. & ad leg. iul. de vi. pub. l. 5. ℌ. 1.
¶ Spolium est violenta possessionis priuatio. c. 1. 2. 3. & 2
passim. ¶ Quæ in omnes res cadit, mobiles. c. grauis 3
11. immobiles. c. 1. & iura. c. olim. 17. ¶ Et vel fit per 4
vim expulsiuam. c. 6. vel per vim ablatiuam. d. c. grauis vel per vim compulsatiuam. c. 2. ¶ Alia verò est spolia- 5
tio licita, quæ iure iubente fit. ℨ. de renunc. c. in dubiis. 8. & de æta. & quali. c. cùm bonæ. 8. & de pact. c. 6.
¶ Spoliasse illicitè dicitur etiam iudex, qui prætermis- 6
so iuris ordine, aliquem iure suo vel re sua priuat. c. cõquerente. 7. & qui spoliandum mandauit, aut spoliationem suo nomine factam ratam habuit. c. cùm ad sedem. 15. vel rem à spoliatore accepit. c. sæpe. 18. ¶ De spo- 7
lio conqueritur aliquis aut agendo (id est, conueniendo, vel reconueniendo) aut excipiendo. Priori casu spoliatus est restituendus. Posteriori casu non cogitur actori ante restitutionem respondere. ℨ. de mutu. petit. c. vlt. Hucusque de dilationibus, & earum causis.

XIV. *De dolo & contumacia.*

DEinceps agitur de iudicij progressu in reum con- 1
tumacem, vel confitẽtem, vel negantem. ¶ Con- 2
tumax est, qui dolo malo iudici non optemperat. quare si in ius vocatus se non sistat, legitimo impedimento cessante contumax dicitur. c. 6. in fi. ¶ Hæc contuma- 3
cia variis modis coërcetur. Primò reus contumax damnatur in expensas litis. d. c. 6. in fi. quod obtinet etiam in actore, qui per contumaciam abfuit: & insuper actor ad nouam citationem non admittitur, nisi caueat se in assignato termino compariturum. ℨ. lib. 6. cap. 1.

XV. *De eo qui mittitur in possessionem rei seruandæ causa.*

SEcundò actor mittitur in possessionem rei seruan- 1
dę & custodiæ causâ, si modò sit talis causa, vt actor in possessionem mitti possit. ℨ. vt li. non contesta. c.

BIU Cujas

3. id est, si quęstio sit de rebus profanis, non de dignitate seu personatu, vel beneficio ecclesiastico obtinendo: tunc enim non est locus missioni in possessionem, sed proceditur ad sententiam definitiuam. ĩ. lib. 6. c. vn. vel contumax per censuram ecclesiasticam coërcetur, &
2 parêre compellitur. d. c. 3. ¶ Ergo qui in possessionem missus est rei seruandæ causâ, tantùm custodiam habet. d. c. 3. sed reo intra annum non offerente cautionem se iudicio staturum, possessionem obtinet. c. 1. & 2.

XVI. *Vt lite pendente nihil innouetur.*

SVperioris tituli doctrina est exceptio illius regulæ. Lite pendente nihil est innouandum. Lis pendere dicitur non solùm post contestationem. ĩ. de verb. signif. c. ex parte. 30. sed etiam (vt Doctoribus placet) post citationem reo intimatam, vsque ad sententiam definitiuam. c. 1. & 2. immo etiam post sententiam definitiuam, si ab ea sit appellatum. s̃. de offic. iudic. deleg. c. pastoralis. 28. §. præterea. & ĩ. de sentent. & re iudi. c. 1. & de appellat. c. sępe contingit. 44. vers. saluis.

XVII. *De sequestratione possessionum, & fructuum.*

TErtiò res sequestrantur. s̃. de dolo & contumac. c. 2. De sequestratione dixi ad tit. C. de prohib. sequest. pecun. Hucusque de reo contumace.

XVIII. *De confessis.*

COnsequenter agitur de confitente: de quo dixi D. eod. tit.

XIX. *De probationibus.*

CVm dictum sit de reo contumace, vel confitente: superest, vt dicatur de reo inficiãte. Contra hunc debet probare actor, quod intendit. De probationibus agitur cùm in genere, vt & D. & C. eod. tit.

XX. *De testibus, & attestationibus.*

1 TVm in specie. Cùm autem aliæ sint probationes propriè dictæ, aliæ veriùs releuationes ab onere probandi, quàm probationes: rectè incipit à probationibus propriè dictis: quarum duo sunt genera: vel enim probatur per testes, vel per instrumenta. C. h. t. l. 4. &
2 de fi. instrum. l. emancipatione. 11. & de testib. l. 2. ¶ De testibus dixi. D. h. t. Hîc nota primò, testem, & attestationem differre: quia testis est persona, quæ testimoniũ perhibet: attestatio est dictum testis, quod etiam testimonium appellatur. D. eod. l. 3. §. Gabinio.

XXI. *De testibus cogendis vel non.*

NOta secundò testes regulariter cogi testimonium dicere, videlicèt nisi iure excusentur. D. de testib. l. 1. §. 1. & C. eod. l. si quando. 19.

XXII. *De fide instrumentorum.*

DE instrumentis dixi D. h. t. Hactenus de probationibus propriè dictis.

XXIII. *De præsumptionibus.*

RElevant ab onere probandi, primò præsumptiones, de quibus dixi ad tit. D. de probat. & præsumpt.

XXIV. *De iureiurando.*

SEcundò iusiurandum, de quo dictum est D. h. t. De probationibus hactenus.

XXV. *De exceptionibus.*

PRobata actoris intentione, reus condemnabitur, nisi aliqua exceptione se defendat. hunc tractatum exposui D. eod. tit.

XXVI. *De præscriptionibus.*

EXceptionis species est prę̃scriptio: nihil enim aliud est, quàm exceptio à tempore sumpta, vt præscriptio quadriennij, quinquennij, & longi, vel longissimi temporis, vt docui ad tit. D. de except. præscript. & præiudic. Expositi sunt actus inter litem contestatam, & sententiam interiecti. Rectè ergo subiicitur titulus sequens.

XXVII. *De sententia, & re iudicata.*

HVic titulo satisfeci ad tit. D. de re iudica.

XXVIII. *De appellationibus, recusationibus, & relationibus.*

COnsequenter secundum ordinem tit. 1. propositum, de iis agitur, quæ iudicio vel sententiæ contraria sunt, illudque infirmant, vel impediunt. Hæc autem sunt quatuor, quibus pendentibus nihil est innouandum, videlicèt appellatio. s̃. de offic. iudic. deleg. c. pastoralis. 28. §. præterea. & D. nihil innou. appel. penden. l. vn. recusatio iudicis. c. secundò requiris. 41. §. tertiò postulas relatio. s̃. de offic. lega. c. 5. & 2. q. 1. c. nomen. 11. & 6. q. 3. c. denique. 3. & peregrinatio eius qui Romã petit sedis Apostolicæ adeundæ causa. c. meminimus. 9. & c. ad audientiam. 34. & ĩ. tit. prox. c. vn. 1
¶ De appellatione & relatione dictum est lib. 49. Pan- 2
dectar. tit. 1. & aliquot sequentibus. ¶ De recusatione 3
iudicis nota primò recusari iudicem suspectum. s̃. de offic. iudic. delega. c. suspicionis. 39. & 3. q. 5. c. vlt. ¶ Nota secundò posse recusari tam iudicem ordina- 4
rium. d. c. vlt. & s̃. de foro competen. c. 4. quàm iudicem delegatum. c. postremò. 36. & s̃. de offic. iudic. deleg. d. c. suspicionis. Iure autem ciuili recusatur tantùm iudex delegatus. C. de iudic. l. apertissimi. 16. ordinario autem suspecto adiungitur episcopus. No. 86. cap. 2.
¶ Nota tertiò causam suspicionis coram ipso iudice re- 5
cusato proponi, & coram arbitris probari. d. c. secundò requiris. §. tertiò postulas & c. cùm speciali, 61. in pr. & s̃. de offic. iudic. delega. d. c. suspicionis.

XXIX. *De clericis peregrinantibus.*

DE clericis peregrinantibus, id est, iter facientibus 1
vt sedem Apostolicam adeant, nota nihil interim esse innouandum. c. vn. si vel ante citationem iter arripuerint. s̃. tit. prox. c. meminimus. 9. vel post aliquod grauamen sibi illatum. d. c. vn. h. t. adhib. c. audientiam. 34. s̃. tit. prox. ¶ Nota differentiam inter hunc titu- 2
lum de clericis peregrinantibus, & tit. s̃. de clericis peregrinis: nam ibi peregrini vocantur exteri, qui extra suam prouinciam seu diœcesim habitant: hîc peregrinantes appellantur, qui iter faciunt: vt ad sedem Apostolicam accedant.

XXX. *De confirmatione vtili & inutili.*

SEntẽtia, quæ per appellationem̃ suspẽsa & infirma- 1
ta est, interdum per superiorem iudicem confirmatur, dum bene fuisse iudĩcatum, & malè appellatum, pronunciat. ¶ Nec tamen sententiæ dumtaxat con- 2
firmantur, sed etiam alij actus, vt prælatorum electiones. ĩ. lib. 6. de elect. c. 6. §. ceterum. ¶ Confirma- 3
tio autem, si valet, dicitur vtilis, si effectu caret, appellatur inutilis, vt quia per surreptionem. cap. 2. vel per obreptionem est impetrata. cap. 5. Explicit tractatus de iudiciis, vnà cum secundo libro Decretalium.

LIBER

BIU Cujas

LIBER III.

SEquitur expositio causarum, ex quibus 1
iudicia oriuntur. Sunt autem tria causarum genera, ex quibus tres sequentes libri prodeunt: hoc enim libro dicetur de causis ciuilibus clericorũ & regularium & monachorum: libro autem sequenti agetur de sponsalibus & matrimoniis laicorum: denique vltimo libro de delictis tam clericorum quàm laicorum disseretur.
¶ Huius tertij libri tres sunt partes: prima est propria 2
clericorum secularium, altera est propria regularium & monachorum, tertia & vltima est clericis & monachis communis. Primæ partis sectiones duæ sunt: prior de personis, posterior de rebus.

Tit. I. *De vita & honestate clericorum.*

QVod ad personas clericorum attinet, certum est eos honestè viuere debere. nam hoc iuris præceptum commune est. D. de iust. & iur. l. iustitia. 10. §. 1. & Inst. eod. §. iuris præcepta. Duplex autem est vitæ honestas: altera interna, altera externa. Interna honestas est animi probitas, qua prædíti cupiunt ex iuris & virtutum præscripto viuere. Externa in externis secundum virtutem actionibus consistit de qua hic subiicientur tria præcepta ad clericos pertinentia.

II. *De cohabitatione clericorum & mulierum.*

PRimum præceptum est, ne clerici simul habitent cum mulieribus, de quibus suspicio incontinentiæ esse possit. c. 1. cum sim.

III. *De clericis coniugatis.*

SEcundum præceptum est, ne vxores ducant, si aut in maioribus sint ordinibus, aut beneficium Ecclesiasticum retinere velint. c. 1.

IV. *De clericis non residentibus in Ecclesia, vel præbenda.*

TErtium præceptum est, ne absint ab Ecclesia, vel præbenda, quam obtinent sed in ea resideant, vt ei per se inseruire possint. c. 3. & ĩ. de præben. c. extirpandæ. 30. §. 1. alioquin, nisi iusto impedimento detenti sint, ea priuabuntur. c. 4. c. ex parte. 8. c. qualiter. 9. & c. vlt. Inter iusta impedimenta refertur si in alia maiori Ecclesia deseruire debeat: quo casu in parœciali Ecclesia non residebit, sed vicarium perpetuum constituet, vt notaui. s̃. de offic. vicar. §. 2. Hactenus de personis clericorum.

V. *De præbendis & dignitatibus.*

DEinceps dicamus de rebus, quatenus ad nostrum 1
institutum pertinent. Harum genera quatuor sunt. I. Præbendæ. II. Res Ecclesiæ, vt fundi & serui. III. Peculium clericorum. IV. Decimæ, primitiæ, &
oblationes. ¶ Præbenda est ius percipiendi reditus 2
Ecclesiasticos. Non addo, vt quidam addunt, *ex canonia proueniens*: quia prębenda potest esse sine canonia, vt è contrario canonia potest esse sine præbenda. glo. in c. cùm M. 9. in verbo receperunt. 3. de constit. Nec distinguo inter præbendam, titulum, & beneficium. Nam re ipsa idem sunt, licèt vsu loquendi possint differre, quia fortasse in alia Ecclesia vocatur præbenda, in alia beneficium seu titulus, vt suprà dixi de custode & sacrista, & mox dicam de dignitate & personatu. ¶ Præsens præbendarum expositio quinque- 3
partita est. Primo loco consideratur persona præbendata, cui duæ qualitates accidere possunt. Prima qualitas est dignitas, quæ est prærogatiua personæ Ecclesiasticæ, qua prædíti appellantur prælati, & iurisdictionem Ecclesiasticam habent, vt Archiepiscopatus, Episcopatus, abbatia. s̃. de offic. ordin. c. 3. & de iudic. c. 2. & ibi glo. vlt. & de appellat. c. reprehensibilis. 26.
¶ Dignitas & personatus pro eodem accipiuntur: s̃. de 4
constit. c. cùm accessissent. 8. sed forrasse alibi vocatur dignitas, alibi personatus, pro diuersa loquendi consuetudine. Panormit. in c. cùm de multa. nu. 21. vt suprà dixi de sacrista, thesaurario, & custode; nec non de beneficio, præbenda, & titulo.

VI. *De clerico ægrotante vel debilitato.*

ALtera qualitas est infirmitas corporis, propter quam quæri potest, an præbendam amittat & si quidem clericus in leuem nec diuturnum morbum incidit, vt in febrim tertianam, vel quartanam, nihil amittit. c. 1. si verò morbo graui & diuturno, vel perpetuo laboret, vt lepra, apoplexia, paralysi, tunc ab administratione remouetur, eique coadiutor adiungitur, qui curam habeat animarum. c. 3. pen. & vlt. & ĩ. lib. 6. c. vn. vtrique autem de facultatibus Ecclesiæ prospicitur. d. c. 3. & d. c. vn. §. præsenti. De præbendato & eius qualitatibus hactenus.

VII. *De institutionibus.*

SEcundo loco consideratur ipsa præbendę cõcessio, 1
quæ vocatur institutio. ĩ. l. 6. de reg. iur. reg. 1. Nam institutio (vt opinor) est dignitatis vel officij vel præbendæ concessio. Quæ quidem vocatur institutio corporalis. s̃. de offic. archidiac. c. 7. & inuestitura. s̃. de sentent. & re iudic. c. cùm olim. 12. & de præben. & dignit. c. pro illorum. 22. & ĩ. tit. prox. c. 4. & de his quæ fiunt à ma. par. cap. c. 3. ¶ Nota primò inter col- 2
lationem, institutionem, & inuestituram, mea sententia in hoc tractatu nihil interesse. ¶ Nota secundò in- 3
stitutioni opponi destitutionem. ĩ. de iis quæ fiunt à præla. ca. 4. in fi. & de hæret. ca. cùm ex iniuncto. 12. in fi.

VIII. *De concessione præbendæ & Ecclesiæ non vacantis.*

TErtiò loco consideratur id quod confertur. Hîc 1
datur regula, præbendam vel Ecclesiam non vacantem non esse concedendam, nec promittendam. c. 1. & 2. ¶ Porrò trifariam contingere potest, vt præ- 2
benda vel Ecclesia vacet. I. De iure & de facto: vt morte eius à quo obtinebatur. s̃. de postul. prælat. c. 3. & 4. aut renunciatione. s̃. de renunciat. c. 6. aut degradatione. ĩ. de verbor. signif. c. nouimus. 27. & li. 6. de pœn. c. 2. aut translatione. s̃. de postul. prælat. c. 2. in fi. & c. 4. in fi. tuncque potest liberè conferri. c. 2. vers. si verò cum sim. II. De iure tantùm, non de facto: vt cum quis habens præbendam, adeptus est maiorem dignitatem, eique concessum est præbendam retineat: tuncque debet is qui tenet, ad resignandum compelli, & post resignationem factam, quia de iure & de facto vacabit, rectè in personam idoneam conferetur. c. 6. & c. literas. 9. III. De facto non de iure, vt cùm quis spoliatus est quo casu non debet beneficium in alium conferri, sed spoliato restitui. s̃. de his quæ vi metúsue cau. fiunt. c. 2. & c. 4. cum sim.

BIU Cujas

IX. *Ne sede vacante aliquid innouetur.*

QVarto loco consideratur concedens præbendam. Hîc dantur tres regulæ. Prima regula est: Beneficia spectantia ad collationem prælati, non possunt conferri per capitulum sede vacante. c. 2. quia regulariter sede vacante nihil est innouandum. c. 1. vers. attendentes igitur. Præsentatos tamen à patronis potest vacante sede capitulum admittere, & instituere. ĩ. lib. 6. de instit. c. vn.

X. *De iis quæ fiunt à prælato sine consensu capituli.*

SEcunda regula est: Prælatus sine consensu capituli instituere, vel destituere, vel alia Ecclesiæ negotia tractare non debet. c. 4.

XI. *De iis quæ fiunt à maiori parte capituli.*

TErtia regula est: quod fit à maiori & saniori parte vniuersitatis ecclesiasticæ, valet, licèt aliqui contradicant. c. 1. lege, quæ notaui. s̃. de elect. §. 6.

XII. *Vt Ecclesiastica beneficia sine deminutione conferantur.*

QVinto loco consideratur quantitas concessionis seu rei cencessæ. Hîc datur regula: Ecclesiastica beneficia sine deminutione esse cõferenda. Hinc colliguntur duo corollaria. I. Collator nõ potest fructus beneficij retinere, nisi ante collationem vnà cum capitulo statuerit, vt fructus ad tempus retineãtur ob iustam & necessariam causam. c. vn. vers. vnde credimus & ĩ. de censib. c. 7. II. Beneficia diuidi non possunt. s̃. de præben. c. maioribus. 8. nisi adeo sint ampla, vt pluribus sufficere possint. s̃. eod. c. vacante. 26. Hactenus de præbendis.

XIII. *De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.*

1 2 COnsequenter agitur de rebus Ecclesiæ non spiritualibus sed temporalibus. ¶ Hæc pars quinque tractatus continet. I. De alienatione. II. De contractibus principalibus, vt commodato, depositio, emptione & venditione. III. De contractibus accessoriis, vt fideiussione, & pignore. IV. De solutione. V. De dona-
3 tione. Dicam° igitur primo loco de alienatione. ¶ Alienatio capitur tribus modis. I. Angustè pro venditione, ita accipitur in §. si rem suam Inst. de lega. & in l. 1. C. de iu. emphyteu. vt ipse Iustinianus interpretatur in §. adeo. Instit. de locat. & conduct. II. Latè pro quocũque actu dominium transferente. C. de fun. dota. l. 1. III. Latiùs vt complectatur etiam seruitutis amissionem. D. de verb. signif. l. alienationis. 28. mancipiorum manumissionem, vsusfructus dationem, hypothecæ, vel pignoris constitutionem, seruitutis impositionem, emphyteusim. C. de reb. alien. nõ alien. l. vlt. & rei alienæ venditionem. D. de alien. iudi. mut. cau. l. ex hoc edicto. 8. §. alienare. Hæc latissima significatio in præsentia sumi debet, licèt non omnes alienandi modi proponãtur in c. 5. §. 1. vbi dicitur alienationis verbum continere conditionem, donationem, venditionem, permutationem, & emphyteuticum perpetuum contractum. Quod dicitur de conditione, dubium, & obscurum est, quomodo enim conditio est alienatio? Host. legit *conductionem*, & intelligit conductionem perpetuam. Sed qui conducit, non alienat. quod si conductionem accipias pro locatione, tamen frustra eius mentio fieri videtur: quia non differt ab emphyteusi, quæ mox in contextu adiungitur. Innoc. intelligit conditionem contractui adiectam, id est, contractum conditionalem: vel conditionem rei mutatam, veluti si prædium fiat tributarium, aut annua pensione oneretur, aut seruitus ei imponatur. Prior interpretatio non placet: quia quod est in conditione, non est in dispositione. Posterior quoque interpretatio praua est: quia id supplere oportet, in quo solo alienatio consistit. Non enim conditio, id est rei qualitas, sed conditionis mutatio est alienatio. Quòd si accipere liceat conditionem pro mutatione conditionis: pari ratione licebit accipere colorem pro mutatione coloris, & statum pro mutatione status, id est pro capitis deminutione: & testamentum pro mutatione testamenti: & alia eiusmodi, quæ non puto dici posse. Quid ergo dicemus? Probabile est, hoc verbum *conditionem*, quod nullam commodam interpretationem recipere potest, in contextum irrepsisse, ita vt principium ex præcedente, finis ex sequenti verbo fluxerit, vt solent sæpe scriptores vocabula vel syllabas temerè iterare. Quapropter meo iudicio est delendum. ¶ Res Ecclesiæ 4
sub pœna excommunicationis alienari prohibentur. cap. 6. & 10. q. 2. cap. 1. Excipitur, nisi alienentur ob aliquam ex tribus sequentibus causis. I. Propter necessitatem æris alieni, quod non potest ex fructibus dissolui. d. q. 2. c. hoc ius. II. Pietatis causâ, vt ad redimendos captiuos, vel pro alendis pauperibus tempore caræ annonæ. d. q. 2. c. 1. in fi. & 12. q. 2. c. aurum. 69. & c. seq. III. Propter vtilitatem: vt quia venditur res, quæ seruando seruari non potest, aut quæ est magis oneri quàm emolumento. c. 7. & 12. q. 2. c. sine exceptione. 51. & c. seq. ¶ Nunc videamus, 5
quomodo res Ecclesiasticæ alienentur. I. Earum rerum alienatio, quæ seruari non possunt, nullam solemnitatem requirit. Hostiens. in §. & quib ex caus. vers. res autem. II. Eas, quæ seruari possunt, si exiguæ sint, & parum vtiles solus Episcopus distrahere potest 12. q. 2. c. terrulas. 52. III. Alias res quæ seruando seruari possunt, Episcopus sine cleri consensu distrahere nequit. ea. q. c. placuit. 50. & c. seq. Immo cùm sunt res magni momenti, & valde vtiles, sed quæ ob nimiam Ecclesiæ necessitatem distrahere oportet, Archiepiscopus cum aliis prouinciæ Episcopis, aut hi saltem consulendi sunt, 17. q. 4. c. nullus res. IV. Abbas res monasterij sine consensu Episcopi alienare non potest. 12. q. 2. c. abbatib. 40. & q. 4. c. in venditionibus. 38. Hactenus de prohibita vel concessa rerum Ecclesiasticarum alienatione.

XIV. *De precariis.*

INstitutus ordo requirit, vt nunc agatur de cõtracti- 1
bus principalibus: postea verò dicetur de accessoriis. ¶ Primus contractus sunt precariæ. Caue con- 2
fundas precarias cum precario: quia perspicuè distinguuntur. c. vlt. Caue etiam distinguas cum Hostiens. inter precarias & precariam: quia pro eodem accipiuntur. x. q. 2. c. precariæ. 4. & communis Doctorum schola pro eodem habet, teste Panor. in c. 1. num. 3. ¶ Precariæ sunt contractus, quo prædium perpetuò vel 3
ad longum tempus fruendum conceditur. x. q. 2. c. 4. ita vt annua pẽsio præstetur, vt colligitur ex No. Leon. 13. & de quinquennio in quinquennium contractus renouetur. c. 1. & d. q. 2. c. 5. Itaque hic contractus persimilis est emphyteusi: vel potius est eius species. Vnde à Leone Imp. vocatur emphyteusis d. No. 13. differt enim ab emphyteusi, vt species à genere: quoniam emphyteusis dicitur, etiamsi non debeat singulis lustris renouari: precariæ verò omnino renouari debent.

BIU Cujas

bent. ¶ Nota primò pro renouatione contractus so- 4
lere aliquid solui ab eo qui precariæ nomine prædium tenet. Doctores id vocant laudemium, Græci ἐπιλεξιτικὸν, cuius quantitas à Leone definitur d. No. 13. vt scilicèt sit duplum canonis emphyteutici. ibidem statuit, Vt in rem Ecclesiæ vertatur, non lucro prælati cedat. ¶ Nota secundò precariæ seu precariarum in iu- 5
re ciuili nullam mentionem fieri: in iure autem Canonico, legibus Francicis, & alibi, vbi agitur de precariis, hunc contractum spectari in solis rebus Ecclesiasticis, nihil tamẽ puto obstare, quominùs etiam de rebus priuatis ita contrahatur. Hæc dicta sint de precariis.
¶ De precario autem dictum est D. lib. 43. tit. 26. 6

XV. De *commodato*.

SEcundus contractus est commodatum, de quo dixi. D. h. t.

XVI. *De depositо*.

TErtius contractus est depositum, quem exposui D. h. t.

XVII. *De emptione & venditione*.

QVartus contractus est emptio & venditio, de qua prolixè tractatum fuit D. lib. 18. & 19.

XVIII. *De locato & conducto*.

QVintus contractus est locatio & conductio. vide tit. D. loca.

XIX. *De rerum permutatione*.

SExtus contractus est permutatio, de qua dixi. D. hoc t.

XX. *De feudis*.

SEptimus contractus est feudum, quod ab Oberto de 1
Orto sic describitur: Feudum est beneficium, quod ex benenolentia ita datur alicui, vt proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat; vsusfructus verò illius rei ita ad accipientem transeat, vt ad eum heredésque suos masculos siue feminas, si de his nominatim dictum sit, in perpetuum pertineat, ad hoc vt ille & sui heredes fideliter domino seruiant, siue seruitiũ illud nominatim quale esse debeat, sit expressum, siue indeterminatè sit permissum. 2. Feudor. 23. 2
in quibus caus. feud. amitt. §. huius autem. ¶ Qui feudum dat, appellatur. I. Dominus, quia dominium directum habet: dominium verò vtile, quod in dicta definitione appellatur impropriè vsusfructus, in accipientem tranfertur. II. Senior, non latino vocabulo à senectute deducto, sed barbaro, id est, vt exprimatur Langobardicum vocabulum *segnore*, quod Dominum significat. Itaque horum duorum vocabulorum, *Senior* 3
& *Dominus*, vna & eadem est significatio. ¶ Qui verò feudum accipit, is nominatur. I. Vasallus. II. Beneficiarius. III. Cliens, vel clientulus, vt 1. Feud. 10. de conten. int. dom. & tit. 13. de alien. feu. IV. Miles. V. Fidelis, à fide, quam Domino debet. Nam & feudum dicitur à fide. 2. Feud. 3. per quos fiat inuest. in fi. id est à Langobardico vocabulo *fede*, quod fidem si- 4
gnificat. ¶ Vasallorum ordines quatuor sunt. In primo ordine sunt capitanei regni, seu Capitanei regis, seu Capitanei maiores, vt Duces, Marchiones, Comites, qui feudum ab Imperatore, vel rege acceperunt, id est, inuestiti sunt de ducatu, vel marchia, vel comitatu. In secundo sunt Capitanei minores, seu regni aut regis valuasores, seu maiores, valunsores; qui à principe, vel à Duce, vel à Marchione, vel Comite, de plebe aliqua vel plebis parte per feudum sunt inuestiti. In tertiò sunt minores valuasores, qui à maioribus valuasoribus feudum tenent. In quartò valuasores minimi seu valuasini, qui à minoribus valuasoribus feudum acceperunt. 1. Feud. 1. in pr. & §. vlt. & lib. 2. tit. 10. quis dicatur Dux Marchio. ¶ Qui 5
verò sunt in eodem ordine, & conuasalli hi appellantur. I. Pares. 2. Feudor. tit. 16. de controu. seu apud pa. term. & lit. 19. an remou. deb. testes. II. Pares curiæ seu curtis. 1. Feudor. tit. 2. de feu. guar. §. 1. & tit. 3. qui succeff. feu. da. ten. & tit. 4. si de inuest. feu. controue. fuer. §. item si vasallus & li. 2. tit. 2. quid sit inuest. in pr. III. Pares domus. 2. Feud. 16. de controu. seu ap. pa. term. vel par. de domo. 1. Feud. 26. si de inuestit. inter dom. & vasall. lis oria. §. si quis. Nota non dici pares, quia sint pares Domino, sed quia sunt pares inter se. Duar. de feud. c. 7. num. 3. ¶ Porrò vt depositum, 6
commodatum, pignus; ita etiam feudum multis modis accipitur: huiúsque homonymiæ distinctio multas difficultates tollere, & multa loca illustrare potest. Feudum enim accipitur. I. Pro re feudi nomine concessa. II. Pro contractu, quo ea res in feudum conceditur. III. Pro iure, quod vasallus in ea re habet, seu quod inter Dominum & vasallum spectatur. ¶ Feudum con- 7
stituitur inuestiturâ. 1. Feud 25. quib. mod. feu. const. potest. quæ etiam inuestitio appellatur. 1. Feud. tit. 26. si de inuest. inter Domin. & vasal. lis oria. & tit. 28. de vsu Mediolanens. Inuestitura propriè dicitur, cùm quis in possessione rei constituitur: impropriè, cùm in argumentum translatæ possessionis alia res traditur, vt hasta, vel alia res corporea. 2. Feud. 2. quid sit inuest. Nam inuestitura ab inuestiendo dicitur: quia qui feudi possessionem accipit, eo quasi veste quadam induitur, quemadmodum cùm eo priuatur, exuitur, ac deuestiri dicitur. I. Feud. 7. de natu. feud. ¶ Feudorum diuisiones multæ 8
sunt. I. Aut est feudum proprium, quod naturam feudi in omnibus retinet: aut improprium seu degenerans, quod ex parte à vero feudo degenerat: quia natura feudi aliqua ex parte mutata est. 2. Feud. tit. 2. quid sit inuestitura. §. vlt. & tit. 48. de feudo. non hab. propr. feu. natu. Ad naturam autem feudi multa pertinent: veluti vt in re immobili consistat, aut in re quę pro immobili habeatur. 2. Feudor. 1. de feu cogn. §. vlt. vt dominium directum maneat penes seniorem, vtile transierit ad vasallum: vt perpetuum sit. 2. Feud. 23. in quibus cau. feu. amitt. § huius autem. & alia multa, quæ in feudis regulariter obtinent, nisi pacto aliud cautum sit. II. Aliud est Ecclesiasticum, quod sit de re Ecclesiastica: aliud seculare, quod sit de re non Ecclesiastica nec habenda est ratio personæ dantis, vel accipiẽtis feudum: quia nihil interest, vtrum sit clericus, an laicus, vt contra vulgus interpretum tradit vulteius. lib. 1. de feudis. c. 8. num. 19. III. Aut est vetus seu paternum, quod aliquis ex parentibus vasalli acquisiuit: aut nouum, quod quis de nouo acquisiuit. 1. Feud. 4. si de inuest. seu. controu. fuer. §. cùm autem. & lib. 2. tit. 3. per quos fiat inuest. in pr. & tit. 11. de succeff. fratr. & tit. 12. de fratr. de nou. benef. inuest. & tit. 14. de vasallo decret. æt. & tit. 15. de inuest. in mar. fac. & tit. 32. qui testes sunt necessa. vers. nouam. & tit. 91. de inuestit. vet. & nou. benefic. Nulla est igitur inter feudum paternum, & antiquum differentia: quia paternum vocatur in infinitum. 2. Feud. 50. de natu. succeff. feu. quamuis olim paternum diceretur vsque ad quartum, vel septimum gradum. 1. Feudor. tit. 8. de succeff. feu. §. 1. nimirum quia succeffio feudalis olim vsque ad quartum gradum, postea vsque ad septimum, nouissimè in infinitum extenditur. 1. Feud. 1. de his qui feuda. poff. §. hoc quoque. IV. Aliud est masculinum,

quod

BIU Cujas

quod masculus primum acquisiuit: aliud femineum, quod fœmina primùm acquisiuit. 2. Feudo. 30. de feu. fem. Qui masculinum appellant, quod ad masculos, nõ ad feminas transmittitur; femineum, in quo feminæ non extantibus masculis succedunt: contra verba contextuum feudalium loquuntur. 2. Feud. tit. 11. de succes. fratr. vers. proles. & tit. 50. de nat. succes. feu. in pr. V. Aliud est nobile, quod infeudati nobilitatem arguit, quia nobilitatem sic adnexam habet, vt si in ignobilem conferatur, etiam nobilem reddat: aliud est ignobile, seu plebeium, seu burgense, quod nullam arguit nobilitatem, quia etiam à plebeis teneri potest. Hanc diuisionem Doctores colligunt ex 2. Feud. 10. quis dic. dux. marchio. vers. ceteri. VI. Aliud est regale, quod à solo rege id est à summo principe non recognoscente superiorem tribuitur & regalem dignitatem adnexam habet, vt ducatus marchia comitatus. 1. Feud. 14. de feud. march. in pr. & libr. 2. titul. 34. de leg. Corradi. in pr. aliud non regale, quod talem dignitatem adnexam non habet, siue à rege siue ab alio sit concessum, vt cùm aliquis de aliqua plebe inuestitus est. 2. Feud. 10. quis dicat. dux. Marchio. VII. Aliud est feudum Ligium siue homologum; de quo inuestitus, ita Domino ligatur, id est, obstringitur, vt ei fidelitatem præstare debeat contra omnes, nullo antepositio, id est, nemine excepto. 2. Feud. 93. factum fratris fratri non noc. & tit. 99. de feud. lig. aliud non ligium, in quo fidelitas non præstatur aduersus omnes. vnde feudum ligium non potest ab alio conferri quam ab imperatore, vel à rege, seu principe non recognoscente superiorem; cùm aliàs in promittenda fidelitate semper excipiatur supremus princeps. 2. Feud. 7. de no. for. fidel. in pr. & tit 55. de prohib. feu. ali. per Frideric. in fi. VIII. Vel est feudum in curte seu cutia Domini, vel extra curtem siue extra curiam (nam his duobus vocabulis, *curia*, & *curtis*, idem significatur) 1. Feud. 5. quibus modis feud. amitt. §. item si quis feudum. & lib. 2. tit. 51. de capitan. qui cur. vend. in pr. In curte est feudum soldatæ, quod plerúmque in solidorum donatione consistit, interdum in vino, vel annona. 2. Feud. 10. quis dica. dux. §. soldata. Cùm consistit in vino, dicitur de caneua, cùm in annona, de camera: nam camera est horreum, caneua est cella vinaria. horum feudorum, de camera, & de caneua, mentio fit 2. Feud. 1. de feu. cognit. §. vlt. & tit. 2. quid sit inuestit. §. si verò vassallus, & tit. 58. de not. feu. in pr. quibus in locis alij codices habent *caneua*, alij *cauena*: ego priorem lectionem probo. Item in curte Domini est feudum habitationis, cuius mentio fit 2. Feud. 75. de cond. feu. non imple. & tit. 105. de feu. habit. Item in curte Domini sunt feuda guardiæ, & gastaldiæ, id est, quæ dantur pro guardia, vel gastaldia. guardia est custodia. gastaldia est cura & administratio. horum feudorum mentio fit. 1. Feud. 2. de feu. guar. & gastal. & tit. 11. de pigno. da. feu. Hæc omnia feuda, quæ dixi esse in curte Domini, sunt feuda impropria. Extra curtem est feudum, cùm vassallus à Domino accipit prędium. nam feudum in re immobili consistit, vel in ea quæ habetur pro immobili. 2. feud. 1. de feu. cog. §. vlt. IX. Aliud est feudum hereditarium, quod aliquis sibi & heredibus vel successoribus acquisiuit: aliud familiare, seu de familia, siue ex pacto & prouidentia, quod aliquis acquisiuit sibi & filiis vel liberis, nulla facta heredum mentione: aliud mixtum, quod vasallus acquisiuit sibi, & filiis seu liberis, heredibus seu successoribus. Hæc diuisio communi Doctorum auctoritate comprobatur. X. Aliud est feudum francum quod est à seruitiis præstandis immune: aliud non francum, quod seruitiorum præstationem requirit. Hæc quoque diuisio vulgò à Doctoribus traditur. XI. Aliud est conditionatum, quod certa lege datum esse vasallo, puta vt certa seruitia Domino præstet: aliud simplex seu rectum, in quo seruitia non sunt determinata. 2. Feud. 27. in quibus caus. Feud. amitt. in fi. & tit. 51. de capitan. qui cur. vend. §. vltim. XII. Aliud est emptitium, quod data pecunia vel alia re est acquisitum: aliud gratuitum, quod gratis collatum est in vasallum: hoc esse feudum proprium, illud impropriũ, ex definitione feudi suprà tradita satis constat. XIII. Aliud est perpetuum, quod ad heredes vasalli perpetuò transit, vt omnia vera & propria feuda. 2. Feud. 23. in quib. caus. feu. amitt. in fi. aliud temporale, vt feudum guardiæ, vel gastaldiæ, quod anno terminatur. 1. Feud. 2. de feud. guar. & feudum soldatæ, quod finitur morte dantis, vel accipientis. 2. Feud. 10. quis dica. dux. vers. soldata autem. & feudum habitationis, quod morte accipientis finiri dicitur. 2. Feud. 105. de feud. habit. XIV. Aliud est diuiduum, aliud indiuiduum. Sunt autem omnia diuidua, præter feuda regalia, vt ducatum, marchiam, comitatum. 2. Feud. 55. de prohib. feu. alien. per Frideric. §. præterea ducatus. De contractibus principalib. hactenus.

XXI. *De pignoribus, & aliis cautionibus.*

DEinceps dicendum de cõtractibus accessoriis, qui per se nõ cõsistunt, sed aliis cõtractibus accedunt. 1
¶ Primus accessorius contractus est pignus: de quo latè dictum fuit in quarta Digestorum parte. 2
¶ Est autem pignus cautionis species, vt docui ad tit. Instit. de satisdat. §. 3. vbi alia quoque cautionum genera exposui. 3

XX. *De fideiussoribus.*

SEcundus est fideiussio, de qua [illegible] t. Dictum est de cõtractibus tam accessoriis, quàm principalibus.

XXIII. *De solutione.*

COnsequenter secundum ordinem, quem tit. 13. proposui, agitur de solutione: de qua dixi. D. hoc tit.

XXIV. *De donationibus.*

TAndem agitur de donatione: de qua dixi D. h. tit. De rebus Ecclesiæ hactenus.

XXV. *De peculio clericorum.*

SEquitur vt videamus de rebus clericorũ propriis, seu de proprio eorum patrimonio, quod non quatenus sunt clerici, habent. 1
¶ Dicitur peculium clericorum, non solùm si sint filiifamiliarũ, sed etiam si sint patres familiarum: quia peculium dicitur quasi pusilla pecunia, seu pusillum patrimonium. D. de pecul. l. 5. §. pen. Idcirco quidam solent extenuendarum suarum facultatum gratiâ suum patrimonium appellare peculium. D. ad Trebell. l. cogi. 16. in pr. 2
¶ Nota primò res acquisitas à clerico ex bonis Ecclesiæ, esse ipsius Ecclesiæ, licèt alio nomine emptæ sint. c. 2. & 4. 3
¶ Nota secundò, si clericus tempore promotionis nihil in habuerit, & post promotionem prædia emerit, hæc quoque esse Ecclesiæ; quia præsumuntur acquisita ex rebus Ecclesiæ. c. 1. 4

XXVI. *De testamentis & aliis vltimis voluntatibus.*

Nota

1 NOta tertiò clericum posse testari de rebus patri-
monialibus, non de rebus Ecclesiæ, siue acquisi-
2 tis intuitu Ecclesiæ. c. 1. ¶ Quid sit testamentum, & quid vltima voluntas; & quot sint testamentorum, & vltimarum voluntatum genera, docui ad tit. D. qui testa. face. poss.

XXVII. *De successionibus ab intestato.*

NOta quartò, si clericus sine testamento decesserit, eius bona patrimonialia deferri cognatis secundum ordinem legitimæ successionis. Si verò cognatos non habuerit, eius bona Ecclesiæ vindicari. c. 1. & 12. q. 3. c. 2. & q. vlt. c. vlt.

XXVIII. *De sepulturis.*

NOta quintò, sicut bonorum defuncti siue ex testamento siue ab intestato, ratio habetur, ita etiam corporis eius rationem haberi: quod humandum est in maiorum suorum sepulchro, nisi ipse aliam sepulturam elegerit. c. 1. & ff. lib. 6. c. 2. §. 1. aut nisi sit talis, vt Ecclesiasticæ sepulturæ tradi non debeat, vt paganus, Iudæus, hæreticus. ff. lib. 6. de hæret. c. 2. in pr. vsuarius. ff. lib. 6. de vsur. c. 2. & omnis excommunicatus. c. sacris. 12. sed vltimo supplicio damnatis, puram confessionem agentibus, ac digne pœnitentibus, neque communio neque Ecclesiastica sepultura est deneganda. 13. q. 2. c. quæsitum. 29. cui tamen iure ciuili non traduntur sine permissu principis. D. de cadaver. punit. l. 1.

XXIX. *De parœciis, & alienis parœcianis.*

1 NOta sextò, cùm defunctus in aliena parœcia sepulturam elegit, tunc ex his, quæ pro anima sua reliquit Ecclesiæ, in qua sepeliri voluit, canonicam portionem deberi suæ Ecclesiæ parœciali, quæ quidem portio est quarta pars. c. cùm super. 8. nisi loci consuetudo al. am [illegible], vt tertiam, vel dimidiam definiat.
2 c. certificari. 9. ¶ Parœcia est locus vnam Ecclesiam baptismalem, & populum ei deputatum continens. 16. q. 1. c. plures. 55. Parœcia dicitur ἀπὸ τοῦ παροικεῖν: quia parœciani πρὸς τὴν ἐκκλησίαν εἰσιοῦσι, iuxta Ecclesiam habitant. Alij parochiam vocant ἀπὸ τοῦ παρέχειν, quod est præbere, id est, à sacramentorum distributione; quia cuilibet sacramenta præbentur in sua pa-
3 rœcia. ¶ Qui igitur eidem Ecclesiæ sunt deputati, eiusdem sunt parœciæ cæteri sunt alieni parœciani.
4 ¶ Hæc parœciarum distinctio Dionysium auctorem habet. §. de his quæ fiunt à præla. si conf. capit. c. pen. & 13. q. 1. c. Ecclesias. Hucusque de peculio clericorum.

XXX. *De decimis primitiis & oblationibus.*

1 SVpereſt dicendum de decimis, primitiis, & oblatio-
nibus hoc enim est vltimum ex his, quæ tit. 5. ex-
2 plicanda proposuimus. ¶ Decima est quota fructuum vel lucri portio, Deo debita. c. parœcianos. 14. & c. tua nobis. 26. vers. cùm Deo debita. Ideóque Laico deberi non potest. c. ad hæc. 15. c. quamuis. 17. in fi. c.
3 prohibemus. 19. ¶ Decimarum igitur genera duo sunt: nam aliæ sunt personales quæ ex lucro, quod quis sua industria seu negotiatione fecit, deducuntur: aliæ reales seu prædiales, quæ de fructibus, vt frumento, vuis, pomis sumuntur: quia Deus in signum vniuersalis dominij has sibi reddi præcepit. d. c. tua nobis. vers.
4 minùs profecto. ¶ Inter prædiales & personales decimas differentiæ plures sunt. l. Iudæi. c. de terris. 16. & ff. de vsur. c. pen. in fi. nec non clerici regulares, atque monachi non debent vsuras personales. 16. q. 1. c. decimas. 48. sed prædiales, nisi speciali priuilegio sint excepti. c. ex parte tua ad nos. 10. & ff. lib. 6. c. 2. §. pen. & ff. de verbor. signif. c. quid per nouale. 21. quod priuilegium non potest ab Imperatore. c. tua & infra. 25. sed tantùm à Papa concedi. d. c. ex parte tua ad nos. & triginta annorum præscriptione amittitur. ff. de priuileg. c. 6. 11. Personales ei parœciæ debentur, in qua quis Sacramenta percipit, quamuis alibi lucrum factum sit. c. ad Apostolicæ. 20. vers. noueris. prædiales verò ei debentur Ecclesiæ, in cuius territorio ipsa prædia sita sunt, nisi aliud consuetudine sit introductum. c. cùm sint homines. 18. d. c. ad Apostolicæ in fi. & ff. tit. prox. c. vlt. 111. Personales debentur deductis impensis: prædiales autem præstantur sine deductione impensarum. c. pastoralis. 28. vt & sine deductione censuum, ac tributorum. c. cùm non sit. 33. Hæc dicta sint de decimis. ¶ Primitiæ sunt primæ fructuum ob- 5
uentiones Domino offerendæ, vt cautum est Exo. 22. quæ debentur Ecclesiæ parœciali, vt & decimæ, & oblationes. 16. q. 1. c. doctos. 21. & c. moderamine. 23.
¶ Primitiarum autem nomine ad summum datur pars 6
quadragesima, ad minimum sexagesima: inter has duas portiones plus aut minus datur, quantum requirit consuetudo, vel quantum libet ei qui soluit. c. 1. ¶ Obla- 7
tio, de qua est tertia pars huius tituli, est voluntaria & spontanea præstatio, quam Christiani sacerdotibus pro peccatis suis offerunt. 10. q. 1. c. quia sacerdotes. 13. Hucusque de clericis secularibus: deinceps dicendum de regularibus.

XXXI. *De regularibus, & transeuntibus ad religionem.*

REgulares dicuntur, qui certæ regulæ, vt religiosè, 1
& sub prælati imperio viuunt, siue in clericatu, siue in laicatu sunt adstricti. hi si canonici sunt, canonici regulares vocantur. sin minùs, monachi appellantur. De illis agendum proponitur in priori rubricæ parte, quæ est *de regularibus*: de his in posteriori parte, quæ est de *transeuntibus ad religionem*. Dicuntur enim ad religionem transire, qui monachi fiunt: quandoquidem necesse est, vt qui monachus fit, vnam ex probatis religionibus assumat. ff. de religio. domib. c. fi. & libro 6. de voto. c. vn. vers. præsentis. Præcipuæ autem religiones à sede Apostolica probatæ sunt quatuor, Basilij, Benedicti, Augustini, & Francisci, sub quibus militant omnes propriè religiosi, exceptis Cartusiensibus, qui suis statutis vtuntur. Angel. de Clauas. in verb. religiosus in pr. ¶ In hoc tractatu de 2
regularibus & monachis dissoluuntur tres quæstiones. Prima quæstio est, quibus modis fiant regulares vel monachi. Fiunt autem vel paterna deuotione, vel propria professione. 20. q. 1. c. monachum. 3. A patre religioni oblati impuberes, anno decimoquinto monentur à prælato, inquirente, vtrùm in religione permanere, an abire velint: tunc enim possunt licitè à religione recedere ac si se permansuros profiteantur, postea pœnitere non possunt. d. q. c. illud. 10. Propria autem professio ligat monachum, siue expresè facta sit, siue tacitè ita vt ex sufficientibus coniecturis colligatur, putà ex delatione habitus monachalis post annum probationis. c. ex parte. 22. & c. seq. & ff. lib. 6. c. 1. §. 1. & c. 2. & de vo. & voti redempti. c. vn. vers. aut per professionem.

XXXII. *De conuersione coniugatorum.*

BIU Cujas

RElegionis professio de qua proximo titulo dictum fuit, etiam à persona coniugata fieri potest. Sed hîc notetur distinctio: aut enim hoc contingit ante matrimonium consumatum & carnis commixtionẽ: aut pòst. Priori casu etiam altero inuito, alter monasterium eligere potest: remanens autem in seculo, non prohibetur ad secunda vota transire. c. 2. Posteriori casu opus est, vt vel vterque coniugum monasterio se dedicet; vel vno monasterium eligente, alter nulla malæ conuersationis suspicione vel infamiâ notatus continentiam vltrò promittat. c. 5. & c. vxoratus. 8. vtroque casu dicuntur coniugati conuerti; quoniam à vita seculari ad religiosam conuertuntur.

XXXIII. *De conuersione infidelium.*

ALia est conuersio infidelium, qui ab infidelitate ad fidem Christianam conuertuntur.

XXXIV. *De voto, & voti redemptione.*

1 SEcunda quæstio est, quomodo obligetur quis ad religionis habitum assumendum. Obligatur voti
2 emissione. ¶ Votum est alicuius rei faciendæ vel non
3 faciendæ Deo facta pollicitatio. ¶ Diuiditur autem in necessarium, & voluntarium. Necessarium votum dicitur, quod fit in baptismo, dum is, qui baptizatur, Satanæ & eius operibus renunciat, ac se fidelem fore, & diuina præcepta seruaturum promittit. ff. q. 1. c. Spiritus sanctus. 59. §. ecce & de consecrat. dist. 4. c. prima. 72. Voluntarium votum est, quod quis sponte sua & libera voluntate facit, se ad id adstringens, ad quod ante votum non tenebatur: vt ad continendum, vel abstinendum, vel peregrinandum. 17. q. 1. c. 1. &
4 2. & 32. q. 8. c. non solùm. ¶ Hoc subdiuiditur in simplex, quod solemnitate vacat, & solemne, quod per susceptionem sacri ordinis, vel per expressam aut tacitam probatæ religionis professionem est solemnizatum. ff. qui cler. vel vouen. c. 3. & lib. 6. h. tit. c. vn.
5 ¶ Hæc vota voluntaria dicuntur ratione initij habita, quia nemo vouere cogitur: sed semel facta obligant iure diuino. Num. c. 30. & Deut. c. 13. & Psal. 75. & iure canonico. c. 7. vers. sanè. & iure ciuili. D. de pollic.
6 l. 2. ¶ Ergo necesse est hæc vota implere, exceptis certis casibus. I. Si vouens non habeat liberam voluntatem vouendi, vt si impubes voueat sine consensu parentis, vel tutoris. 20. q. 2. c. 1. & 2. II. Si sit votum turpe, ac rei illicitæ. 16. q. 4. c. in malis. 5. III. Si quis simpliciter dixerit se velle fieri monachum, nec ad aliquem vlteriorem actum processit. c. 3. & 17. q. 1. in fi. & q. 2. c. 1. IV. Si conditio, sub qua quis vouit, non sit impleta. 32. q. 8. c. non solùm in fi. V. Si ex iusta causa, & superioris auctoritate interueniente votum sit redemptum, vel mutatum. c. 1. 2. 7. c. ex multa. 9. vel dilatum. c. 5. c. quod super. 8. Absolutæ sunt quæstiones duæ de regularibus & monachis, videlicèt quibus modis fiant, & quibus modis obligentur ad regulam suscipiendam.

XXXV. *De statu monachorum, & regularium.*

1 TErtia quæstio est, quis sit status eorum, qui iam
2 monachi vel regulares facti sunt. ¶ Sciendum est, ea, quæ ad statum pertinent, duplicem distinctionem recipere. I. Quædam sunt necessariò obseruanda, ita vt ne quidem Papa aduersus ea dispensare possit: atquæ hæc sunt tria, quæ vocantur substantialia, nempe propriæ voluntatis renuntiatio, proprietatis abdicatio, & castitatis obseruatio: alia sunt, in quibus dispensatio admittitur, vt propriæ regulæ obseruatio in vestimentis, cibo sumendo, & cæteris ad regulam pertinentibus. c. 6. II. Alia sunt communia canonicis regularibus & monachis, vt ea, quæ substantialia vocari dixi: alia sunt monachorum propria, quia regulares canonici seruiunt regulæ laxiori, ideóque facilius ad regimen Ecclesiæ assumuntur. c. 5. ¶ Vt autem sta- 3
tus conseruetur, id est, vt regula obseruetur, iure cautum est, vt in singulis regnis siue prouinciis conuocetur commune capitulum, in quo eligantur visitatores, qui singulas abbatias eius regni siue prouinciæ, non solùm monachorum, sed etiam monialium visitent, & ea, quæ reformatione seu correctione indigent, reformẽt & corrigant. c. 7. & 8.

XXXVI. *De religiosis domibus, vt Episcopo sint subiectæ.*

INter cætera ad statum monachi pertinet, vt in monasterio seu claustro degat. 16. q. 1. c. placuit communi. 8. c. iuxta. 11. quod est species religiosæ domus: religiosæ enim domus vocantur, quæcumque religionis vel pietatis intuitu sunt exstructæ, vt monasteria, orphanotrophia, Xenodochia, &c. quæ omnes subiectæ sunt Episcopo, sicut hoc titulo declaratur.

XXXVII. *De capellis monachorum, & aliorum religiosorum.*

ERgo Episcopo subiectæ sunt etiam capellæ mona- 1
chorum, & aliorum religiosorum: nam hæc quoque sunt loca religiosa. ¶ Nota, in Ecclesiis, vbi mo- 2
nachi habitant, populum non regi à monacho, sed à Capellano, quem Episcopus cum consilio monachorum eligit. cap. 1. De regularibus & monachis hactenus.

XXXVIII. *De iure patronatus.*

QVæ deinceps explicabuntur, tam clericis secula- 1
ribus quàm regularibus; quæ[illegible]am monachis communia sunt. Hæc autem in summa sunt tria. I. Ius patronatus. II. Ecclesiæ. III. Abstentio à negotiis secularibus. ¶ Ius patronatus in præsentia vocatur, 2
quod aliquis siue clericus siue laicus habet in Ecclesia, quam ædificauit, vel dotauit, vel fundauit. c. nobis fuit. 25. & 16. q. 7. c. piæ mentis. 26. & ibi glo. & c. filiis. 31. & 18. q. 2. c. 4. ¶ Huius iuris quinque sunt 3
partes. Primò patronus habet ius præsentandi instituendum ad beneficium vacans. Nota primò patronum laicum posse præsentare intra quatuor menses, Ecclesiasticum intra sex menses, licet à laico acquisierit ius patronatus. ff. lib. 6. c. vn. §. verùm. Nota secundò Patronum Ecclesiasticum, qui semel aliquem præsentauit, non posse variare: laicum verò posse. c. pastoralis. 29. Nota tertiò Patronũ non posse se ipsum præsentare, licèt sit clericus. c. per nostras. 26. Nota quartò, si plures sint patroni, & alij alium præsentent, eum præferri, qui maioribus iuuatur meritis, & pluriũ approbatur assensu. c. 3. nisi ita præsententur, vt Episcopus vnum ex eis eligat. Clem. 2. Si autem hoc sine scandalo fieri nequeat, Episcopus ordinabit Ecclesiam d. c. 3. quemadmodum ordinare debet, patrono intra tempus statutum neminem præsentante. c. si verò. 12. aut si quæstio de iure patronatus intra alios orta intra prædict. tẽpus nõ defi. d. c. 3. in fi. & c. cùm propter 27. Nota quintò ius patronatus transire ad heredes. d. c. 3. & si plures sint heredes vnius patroni, eos in præsentatione haberi pro vno. d. Clem. 2. Nota sextò Patronum non posse alienare ius patronatus sine consensu Episcopi. c. præterea. 23. nisi id conferat in Ecclesiam,

aut

4 aut alium locum religiosum d. c. vn. in pr. ¶ Secundò Patronus potest ac debet Ecclesiæ solicitudinem gerere: et, si rector aliquid ex Ecclesiæ collatis defraudet, eum honesta conuentione compescere, aut Episcopo vel iudici competenti denunciare. xvj, q. 7. c. filiis. 31. & c. seq. ¶ Tertiò honor processionis, id est, 5 primus locus Patrono tribuitur. c. nobis fuit. 25. in fi. ¶ Quartò, si Patronus vel eius liberi ad inopiam redigantur, competens vitę subsidium ab Ecclesia accipiat. d. c. nobis fuit. in fi. & d. q. 7. c. quicúque fidelium. 30.

XXXIX. *De censibus, exactionibus, & procurationibus.*

1 QVintò fundationis tempore potest Patronus censum aliquem cum Episcopi consensu sibi reseruare, non aliud extra ordinem exigere. s. tit. prox. c. 2 præterea quoniam. 23. & xvj. q. 7. c. filiis. 31. ¶ Tria hæc affinia & cognata sunt: census, exactio, procuratio. Census est annua pensio. j. q. 3. c. 4. in fi. quæ in argumentum subiectionis præstatur. c. 2. Eius species est cathedraticum seu synodaticum, de quo dixi suprà. Exactio hoc loco vocatur grauamen, quod extra ordinem imponitur: de quo in c. innouamus. 10. & c. ea quæ. 12. Procuratio est exhibitio, quæ fit vel ratione visitationis, id est visitatoribus Ecclesiarum. c. 6. c. ea quæ. 12. vel ratione cõuentione c. quãto 16. vel ratione consuetudinis. c. sopitæ. 14. & xviij q. 2. c. vlt. Nota hæc grauamina debere esse moderata pro facultatib⁹ Eccle. oneratarũ. d. c. ea quæ. & d. c. sopitæ. Dictũ est de iure Patronat⁹, & de his quæ cũ eo cõnexionẽ quãdã habẽt.

XL. *De consecratione Ecclesiæ.*

1 COnsequenter dicendum de Ecclesiis, quarum tria attributa declarabuntur, videlicèt consecratio, 2 constructio, & immunitas. ¶ Ecclesia hoc loco non significat cœtum fidelium, sed sacras ædes, seu domum Deo dicatam ad Sacraméta & diuina officia celebranda. quæ etiam templum appellatur. de consecrat. dist. 1. in pr. Nam post cõsecrationem, quæ etiam dedicatio dicitur, Ecclesia appellatur: ante consecrationem verò non Ecclesia, sed basilica nominatur. s. de relig. dom. 3 c. 1. & ibi glos. & de consecrat. dist. 1. c. 1. ¶ De Ecclesia tria deinceps tractabuntur. I. Consecratio. II. 4 Ædificatio, vel instauratio. III. Immunitas. ¶ Consecratio est actus solemnis, quo aliquid Deo dicatur. 5 ¶ Consecrantur autem vel personæ, vt episcopi, & alij diuinis ministeriis mancipati. s. de Sac. Vnct. c. vn. in pr. & dist. 75. & Sacræ Virgines xxvij. q. 1. c. si quis sacro. 17. vel res, vt Ecclesiæ, altaria, & vasa. de consecr. dist. 1. per totam. Ergo hîc agitur de consecratio- 6 ne Ecclesiæ, & altaris in Ecclesia positi. ¶ Nota primò Ecclesiam non esse consecrandam, nisi de dote ei pro- 7 spectum sit. c. cùm sicut. 8. ¶ Nota secundò non cõsecrari altaria, nisi lapidea. de consecrat. dist. 1. c. alta- 8 ria si non fuerint. 29. ¶ Nota tertiò consecrationem fieri per Episcopum. c. 2. & 3. & dist. 25. c. 1. vers. ad Episcopum. & de consecrat. dist. 1. c. nemo Ecclesiam. 7. c. nullus presbyter missas. 13. non per inferiorem. dist. 68. c. quamuis. 4. & de consecrat. d. dist. 1. c. nullus presbyter in Ecclesia 23. nequidem delegante Episcopo; quoniam ea, quę sunt ordinis, vt consecratio, alteri mandari non possunt. c. pen. & vij. q. 1. c. pon- 9 tifices. 4. ¶ Nota quartò consecrationem nec sine sanctorum reliquiis fieri. de consecrat. dist. 1. c. placuit vt altaria. 24. & canon. non oportet. 27. nec sine missa. d. dist. 1. c. 1. Vtrumque requiritur etiam in consecratione iteranda. c. de fabrica. 22. videlicèt cum iteranda est: nam regulariter iterari debet: sed interdũ iteratur, vt cum Ecclesia destructa instauratur, vt in d. c. de fabrica, & cùm polluta fuit, putà homicidio, vel adulterio in ea perpetrato. ea. dist. c. si motum. 17. & 10 c. seq. ¶ Nota quintò hanc consecrationem non solùm Dominicis, sed etiam priuatis diebus fieri posse. c. 2. Quo autem tempore clerici consecrentur, dictum fuit. s. de tempor. ordini. Nam in præsentia tantùm agendum fuit de consecratione Ecclesiæ, & altaris. 11 ¶ Nota sextò altaria non solùm Vnctione chrismatis, sed etiam sacerdotis benedictione consecrari. de consecr. dist. 1. c. altaria placuit. 30.

XLI. *De celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & diuinis officiis.*

NOta septimò multos esse dictæ consecrationis ef- 1 fectus. Primus effectus est, quòd in Ecclesia consecrata, & super altari consecrato celebrantur missæ. de consecrat. dist. 1. Idcirco missa dicitur sacrificium Ecclesiæ, & sacrificium altaris. s. de sum. trin. c. 1. §. in qua. ¶ Missa autem dicitur, vel à mittendo; quia 2 Deus ad nos mittit hostiam huius sacrificij, quam nos ad ipsum iterum per sacerdotem in sacrificio remittimus: seu quia finito missæ sacrificio populus mittitur siue dimittitur, ita vt subaudiatur cõgregatio aut concio missa siue dimissa: vel à Græco verbo ἰώησις: vel ab Hebraico vocabulo משא *missat*. Ioh. Durare l. 2. de ritib. Ecclesiast. c. 1. Franc. Suarez to. 3. disputat. 74. sect. 3. ¶ Et est mysterium seu sacrificium, quod 3 fit in consecratione, oblatione, & communione corporis & sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini, ac repræsentatione passionis eiusdem, ad salutem fideliũ & remissionem peccatorum. Ioh. Viguerius de Sacramen. Eucharistiæ, ver. 11. ¶ Nota primò Missam non 4 posse celebrari, nisi à sacerdote ritè ordinato. s. de sum. Trin. c. 1. §. in qua. & de consecrat. dist. 1. c. sicut. 9. & ieiuno. vij. q. 1. c. nihil. 16. vers. nullus. ¶ Nota 5 secundò non posse celebrari, nisi in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit. d. dist. 1. c. missarum. 10. vbi verò non est Ecclesia, in capellis cum tabula cõsecrata missas celebrare cõceditur & iter faciẽtibus si Ecclesia desit, sub dio, vel in tentoriis, si tabula altaris consecrata ceteráque sacra ministeria ad id officium pertinentia ibi adfuerint, missarum celebratio permittitur. d. dist. c. concedimus. 28. Nota tertiò huic Sacramento accedere multas solemnitates, quarum nonnullæ consecrationem & oblationem præcedunt, aliquę sequuntur; quæ tamen omnes appellatione missæ comprehendi possunt. Viguer. dicto loco. Nota tertiò hoc esse sacrificium incruentum. Hæc de missa pro ratione nostri instituti annotasse sufficiat. ¶ Se- 6 cundus effectus dictæ consecrationis est, quòd in Ecclesia consecrata præbetur fidelibus similiter ieiunis de consecr. dist. 2. c. liquidò. 54. Sacramentum Eucharistiæ, de quo dixi. s. ad tit. de sacram. non iteran. §. 3. vers. Eucharistia. ¶ Tertius effectus est celebratio di- 7 uinorum officiorum: de quibus pauca notanda. Nota primò omnes clericos debere diuina officia celebrare horis canonicis, quæ sunt septem nam matutini, primæ, Secundæ, Sextæ, Nonæ, Vesperi, Completorij tempore religiosi cultus officia perioluuntur dist. 91. c. presbyter. Si quis autem diuinis officiis non interfuerit, ab Episcopo obiurgabitur. d. dist. 91. c. 1. & eius arbitrio Ecclesiasticam sentiet disciplinam. ea. dist. c. vlt. & si diebus solemnibus abfuerit, à communione suspendetur. 7. q. 1. c. si quis in clero. 30. ¶ Nota se- 8 cundò festiuitates celebrari à Vespera ad Vesperam. s. de fer. c. 1. & 2. ¶ Nota tertiò non tantùm voce canen- 9 dum esse, sed etiã corde: quia melior est quinque Psal-

BIU Cujas

morum decantatio cum cordis puritate ac serenitate ac spirituali hilaritate, quàm totius Psalterij modulatio cum anxietate cordis atque tristitia. de consecrat. dist. 5. c. non mediocriter. 24.

XLII. *De baptismo & eius effectu.*

QVartus effectus est celebratio baptismi, de quo dixi. 3. ad tit. de Sacram. non iteran. §. 3. versic. baptismus. Huius Sacramenti duo effectus notentur. Primus est, quòd baptizato, licèt infans sit, remittitur peccatum originale. c. 3.

XLIII. *De presbytero non baptizato.*

ALter est, vt baptizatus possit ordinari: quia non baptizatus nõ est sacrorũ ordinũ capax. c. 1. & 3.

XLIV. *De custodia Eucharistiæ, chrismatis, & aliorum, Sacramentorum.*

QVintus consecratæ Ecclesiæ effectus est, vt in ea Sacramenta, veluti Eucharistia & chrisma custodiuntur, vt cùm opus fuerit, in promptu sint.

XLV. *De reliquiis & veneratione sanctorum.*

1 SExtus effectus est, vt in Ecclesia reponãtur reliquiæ sine quibus altaria non consecrantur. de consecrat. dist. 1. c. placuit. 24. Atque his veneratio exhibetur, ita demum si aut sint antiquæ, aut Romani pontificis
2 auctoritate approbatæ. c. 2. ¶ Septimus effectus est veneratio, quæ in Ecclesia sanctis exhibetur. Nota primò idem de his statui, quod de reliquiis, vt nemo sine auctoritate Romani Pontificis quasi sanctus colatur & veneretur. c. 1. Qui verò à Papa in numerum sanctorum referantur, canonizari dicuntur. Nam canonizare sanctos, est canonicè & regulariter statuere, vt aliquis sanctus honoretur pro sancto, putà solemne officium pro eo fiat, sicut fit pro aliis sanctis qui sunt eiusdem conditionis, vt, si canonizetur confessor, fiat pro eo officium confessorum: si martyr, fiat pro eo officium martyrum. & sic de aliis. Innoc. in c. 1. num. 1.
3 ¶ Nota secundò hanc canonizationem fieri ob vitæ sanctitatem, & miracula edita, secundum Innoc. ibidẽ. Sed Hostiens. nu. 3. non tantum de vita & moribus & miraculis à canonizando factis inquiri vult, sed etiam an persecutionem religionis ergo sit passus.

XLVI. *De obseruatione ieiuniorum.*

1 NOta tertiò duplicem sanctorum venerationem. Nam eorum festiuitates celebrantur, & in earum
2 festiuitatum vigiliis ieiunatur. ¶ Ieiuniũ est parsimonia victus, & abstinentia ciborum, vt Innoc. definit in
3 c. 1. n. 1. ¶ Est autem multiplex ieiunium. Primum est ieiunium secundum generalem ordinationem Ecclesiæ vbique & ab omnibus obseruandum, iis personis exceptis, cum quibus ex iusta causa dispensatur, putà ob impuberem vel senilem ætatem, aut morbum: vt ieiunium quatuor temporum, dist. 76. c. 2. & de consecrat. dist. 5. c. quadragesima. 16. & c. seq. Secundum est ieiunium, quod non generaliter indicitur, sed certis locis, & in certis Ecclesiis, ita vt quilibet consuetudinem suæ Ecclesiæ seruare debeat: vt in vigilia D. Bartholomei Apostoli. c. 2. §. de festiuitate. Tertium est ieiunium votiuum, cùm quis ieiunare tenetur, non propter Ecclesiæ præceptum, sed ob suum votum. c. vlt. quia vota sunt Deo reddenda, xvij. q. 1. c. 1. Quartum est ieiunium pœnitentiũ, quod confessis imponitur à canone, vel à sacerdote. dist. 82. c. vlt. Quintum est ieiunium voluntarium, cùm quis sponte sua ieiunat, quò aptiorem se ad opera spiritualia reddat. d. c. vlt. ¶ Rursus ieiunamus multis modis. Primus mo- 4
dus est, cùm semel tantùm in die cibus sumitur. tempus autem, quo sumi debet, non est iure præscriptum, nisi in quadragesima, & quatuor temporibus: tunc enim omisso prandio, tantùm cenare Vesperi licèt. de consec. dist. 1. c. solent. 48. Secundus modus est, cùm à cibis lautioribus abstinetur. de consecr. dist. 5. c. neophyti. 12. vel à cibis multum nutrimenti afferentibus, vt ab esu carnium. dist. 4. c. vlt. Tertius modus impropriè dictus est, cùm sobriè viuitur, quod ieiunium semper est obseruandum. de consecr. dist. 5. c. non dico. 18. cũ duob. sequentib. Quartus modus maximè impropriè dictus est, cum ab iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus abstinetur. d. dist. 5. c. ieiunium. 25.

XLVII. *De purificatione post partum.*

OCtauus effectus olim erat, vt mulieres post partum ante purificationis tempus in Ecclesiam secundum legem Mosaicam non admitterentur: sed hodie statim post partum admittuntur. c. vn. De primo Ecclesiarum attributo, id est de consecratione, & de eius effectibus hactenus.

XLVIII. *De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.*

SEcundum Ecclesiarum attributum est constructio quæ quidem duplex est. aut enim nouæ Ecclesiæ ædificantur, aut veteres collapsæ, vel colapsuræ instaurantur seu reparantur. Nouæ eccclesiæ ædificantur ex iusta aliqua causa, vt quia Ecclesia nimis est remota. c. 3. Reparantur, cùm vetustate, vel alia de causa collabuntur, seu ruinam minantur. c. 1.

XLIX. *De immunitate Ecclesiarum, cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium.*

TErtium Ecclesiarum attributum est immunitas, 1
quæ producitur etiam ad Cœmeteria, & ad res Ecclesiæ. ¶ Immunitas est priuilegium, quo quis à 2
necessitate munera præstandi & onera subeundi eximitur: vt à tributis, aliisque exactionibus præstandis. ¶ Tot igitur sunt immunitatum genera, quot sunt one- 3
ra siue munera, à quibus obeundis liberatio præstatur. ¶ Rursus alia est immunitas personalis, quæ tribuitur 4
personæ, vt clericis: alia realis, quæ tribuitur rei, vt Ecclesiæ, cœmeterio, & rebus Ecclesiæ: de qua immunitate hîc agitur. Realis appellatione etiam eam complector, quam alij localem vocant, veluti ne reus ex Ecclesia extrahatur. xvij. q. 4. c. reum ad Ecclesiam. Satis dictum est de Ecclesiis.

L. *Ne clerici vel monachi secularibus negotiis se immisceant.*

EX tribus, quæ initio tituli 38. proposuimus, duo sunt absoluta, quæ tam ad clericos quàm ad monachos referuntur: sufficienter enim pro ratione nostri instituti egimus de iure Patronatus, & de Ecclesiis. tertium est, vt tam clerici quàm monachi à secularibus negotiis abstineant. siue hæc laicis sint permissa, vt mercatura, conductio, procuratio, venatio: siue prohibita, vt alea, & falsorum ponderum, vel falsarum mensurarum vsus, c. 1.

BIU Cujas

LIBER IV.

Tit. I. *De sponsalibus & matrimoniis.*

1 PRoximus liber clericis & monachis dicatus fuit: hoc autem libro agitur de
2 sponsalibus, & matrimoniis, quæ sunt laicorum propria. ¶ Sponsalia sunt futurarum nuptiarum promissio. 30. q. 5. c. nostrates. 3. & D. de sponsal. l. 1. Quæ definitio si vera est, omnia sponsalia in futurum tempus conferuntur. Quod autem vulgò dicitur, alia esse sponsalia per verba de præsenti, alia per verba de futuro, sic accipi debet, vt ea, quæ per verba in præsens collata fiunt, matrimonium constituant, & impropriè ac barbarè sponsalia vocentur sicut notaui ad rubricam D. de sponsalib.
3 ¶ Matrimonium, quod & nuptiarum vocabulo significatur, est viri & mulieris coniunctio, individuam vitæ consuetudinem continens. 37. q. 2. in pr. & D. de
4 ri. nupt. l. 1. ¶ Vtrumque vocabulum à muliere deducitur, non à viro. Nuptiæ namque dicuntur: quia puellæ caput suum obnubebant, id est, tegebant pudoris causâ. 30. q. 5. c. nec illud. 8. Rursus dicitur matrimonium, non patrimonium: propterea quòd in liberorum procreatione atque educatione plus videtur mater præstare, quam pater: cùm filius matri sit ante partum onerosus, in partu doloroſus, post partum laborioſus. §. de conuers. infidel. cap. 2. vers. ad quod illa.
5 ¶ Matrimonij diuisiones tres notentur. I. Vel est initiatum, vel perfectum, quod & ratum dicitur. Initiatur consensu: perficitur copula carnali. d. q. 2. c. statutum. 34. §. apparet. & cann. seqq. II. Aliud est legitimum, non ratum; quod inter infideles contrahitur, moribus aut legibus comprobatum: aliud ratum, non legitimum, quod inter fideles solo affectu sine legitimis solemnitatibus contrahitur: aliud legitimum & ratum, quod fideles seruatis seruandis contrahunt. 28. q. 1. c. vlt. §. item illud. III. Aut sunt primæ, aut secundæ nuptiæ. §. de secund. nupt. Secundarum appellatione intellige etiam tertias, & quartas, & vlteriores,
6 vt docui ad tit. C. de secund. nupt. ¶ Matrimonium à Deo institutum est procreandorum liberorum, & propagandi humani generis causâ. 31. q. 1. c. pen. &
7 32. q. 2. in pr. ¶ De sponsalib. & matrimoniis duæ quæstiones practicæ in Decretalib. dissoluuntur. I. An
8 valeant. II. Si valeant qui sint eorũ effectus. ¶ Quod ad priorem quæstionem attinet, vt matrimonium valeat, abesse oportet omnia matrimoniorum vitia, de quib. in titulis sequentibus disseretur.

II. *De desponsatione impuberum.*

1 PRimum vitium spectatur in ætate contrahentium. nam impuberes non possunt contrahere matrimonium. c. attestationes. 10. Possunt tamen sponsalia contrahere post annum ætatis septimum. cap. 4. Idcirco desponsatio per verba de præsenti inter impuberes facta, non facit matrimonium, sed sponsalia c. vlt.
2 ¶ Puberes iudicantur iure canonico ex habitu corporis, id est, ex aptitudine ad liberos procreandos. c. 3. iure autem ciuili ex ætate, id est, masculi maiores quatuordecim, fœminæ maiores duodecim annis. C. quan. tut. vel. curat. esse desi. l. vlt. & iustit. quib. mod. tut.
3 finit. in pr. ¶ Desponsatio in hac & seq. rubr. & aliis locis est verbum cõmune sponsalibus & nuptiis si quidem desponsatio per verba de futuro facit sponsalia, veluti, *Ego te in vxorem accipiam*: desponsatio autem per verba de præsenti facit matrimonium, veluti, *Ego te in vxorem accipio.*

III. *De clandestina desponsatione.*

SEcundum vitium est, si desponsatio clam, id est, non in Ecclesiæ conspectu fiat. c. 2. & 3. in pr. Sed quia hoc vitium substantiam matrimonij non attingit, desponsatio clandestina valet, si aut probetur c. 1. aut per eos qui clam contraxerunt, publicetur. c. 2.

IV. *De sponsa duorum.*

TErtium vitium est, si vna duobus, aut duæ vni desponsentur. Prior autem desponsatio posteriori præualet: nisi prior facta sit per verba de futuro, nec sit per carnalem copulam confirmata: Posterior autem facta sit per verba de præsenti. c. 1. 2. 3. & vlt. & §. de sponsal. & matrim. c. veniens. 15. c. sicut. 22. & c. pen.

V. *De conditionibus appositis in desponsatione, vel in aliis contractibus.*

QVartum vitium est, si conditio desponsationi ad- 1
iecta defecerit: tunc enim desponsatio non tenet. c. 3. & 5. nisi aut sit talis conditio, quæ pro non adiecta habeatur; ideóque non vitiet contractum, sed vitietur. c. 1. & vlt. aut sequenti consensu de præsenti, carnis de commixtione intelligantur contrahentes à conditione recessisse. d. c. 3. & c. pen. ¶ Nota primò eãdem esse ra- 2
tionem aliorum contractuũ. c. 2. & 4. ¶ Nota secundò 3
conditiones, quæ contra substantiam matrimonij apponuntur, non haberi pro non adiectis, sed vitiare contractum, veluti, *Contraho tecum, si generationem prolis euites*: vel, *si pro quæstu te tradas adulterandam.* c. vlt.

VI. *Qui clerici vel vouentes matrimonium contrahere non possunt.*

QVintum vitium est, si clericus, aut alius qui castitatem vouit, matrimonium contrahet. In vtroque tamen adhibetur distinctio. Nam clericis, qui sunt in maioribus, id est, in sacris ordinibus constituti, omnino continentia imperatur, & matrimonium interdicitur: qui verò sunt in minoribus ordinibus positi, rectè matrimonium contrahunt. dist. 27. & 32. sic tamen, vt non solùm ad sacros ordines adspirare nequeant, sed etiam si quæ beneficia obtineant, iis priuentur. §. de cleric. coniug. c. 1. 3. & pen. Item voti solemnis emissio impedit matrimonium contrahendum, ac dirimit contractum: votum autem simplex impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum: huic tamen qui matrimonium contrahendo, fecit votum simplex irritum, pœnitentia imponitur. c. 3. & sequentibus.

VII. *De eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.*

SExtum vitium est, si quis eam vxorem ducat, cum qua adulterium commiserat. Hoc casu matrimonium iure ciuili indistinctè non valet. D. de reb. dubi. l. Claudius. 13. & No. 134. ca. 12. sed iure Pontificio matrimonium inter has personas tenet, si modò neutra contra vitam primæ vxoris machinata sit, nec prima vxore superstite fidem de matrimonio contrahendo sibi inuicem dederint. quòd si horum alterutrũ interuenerit, matrimonium non valet. c. 3. & 6. Quid si quis viuente legitima vxore aliam duxerit, vel cum ea sponsalia contraxerit? Aut hæc sciebat illum habere vxorem, aut ignorabat: & viua prima vxore aut ab eius

BIU Cujas

viro cum quo contraxit, carnaliter cognita est, aut non. Si aut fuit ab eo cognita, aut sciebat eum habere vxorem, matrimonium omnino rescinditur, & ne mortua quidem prima vxore toleratur. c. 4. 5. & vlt. Si verò ignorabat eum habere vxorem, & cum eo carnaliter se non miscuit, matrimonium post primæ vxoris obitum contrahi potest, & antea contractum non dirimitur. d. c. vlt. nec fit tori separatio ad petitionem viri, nisi mulier diuortium petat. c. 1.

VIII. *De coniugio leprosorum.*

SEptimum vitium est, si leprosi contrahant. Hîc distinctionis gratiâ notentur sequentes regulæ. I. Leprosi possunt contrahere sponsalia, & matrimonium. c. 2. II. Sponsalia de futuro, ob superuenientem in alterutro lepram dirimi possunt, nisi carnalis copula secuta sit. c. vlt. III. Sponsalia de præsenti, ob superuenientem lepram non possunt dirimi, licèt copula non sit secuta. Hostiens. hîc, & glos. in cap. quemadmodm. 25. in ver. teneretur. §. de iureiur. IV. Tantum abest, vt matrimonium lepra superueniente dissoluatur, vt coniux sanus leprosæ, vel leprosa sano matrimoniale debitum reddere teneatur. c. 2. ad quod si induci non possit, vtrique iniungitur, vt altero viuente continentiam seruet. c. 1.

IX. *De coniugio seruorum.*

OCtauum vitium est conditio seruilis. Iure ciuili serui non contrahunt matrimonium, sed contubernium. C. de incest. nupt. l. 3. & ad leg. Iul. de adulter. l. serui. 23. vnde contubernales vocantur. D. de leg. 3. l. vxorem. 41. §. codicillis & §. concubinæ. Iure autem Canonio etiam inuitis dominis serui matrimonium contrahere possunt. c. 1. Verum si quis ancillam, quam liberam putat, vxorem ducat: aut si quæ nubat seruo, quem pro libero habet: matrimonium ob errorem in conditione personæ non tenet. c. 2. & 4, & 29. q. 2. Non est tamen error in conditione personæ, nec est matrimonium inutile, si vir dicatur natus ex matre ancilla & patre libero, dummodò secundum leges aut consuetudinem loci partus sequatur patrem. c. 3.

X. *De natis ex libero ventre.*

NAm etsi regulariter partus sequitur ventrem. C. de rei vindic. l. partum adeo vt is demum liber dicendus sit, qui ex ventre libero nascitur. D. de sta. homin. l. 5. §. ingenuum. tamen hæc regula perpetuò non obtinet; sed ab ea excipitur dictus casus, id est, cùm iure prouinciæ specialiter cautum est, vt liberi conditionem patris sequantur. D. eod. leg. lex naturæ. 24.

XI. *De cognatione spirituali.*

1 NOnum vitium est, si inter cognatos nuptiæ con-
2 trahantur in gradu prohibito. ¶ Est autem co-
3 gnatio triplex: spiritualis, legalis, & carnalis. ¶ Spiritualis cognatio est personarum propinquitas, seu coniunctio ex cathechismo. ℣. lib. 6. c. 2. vel ex Baptismo, vel ex Confirmatione prouenies. ℣. eod. c. 1.
4 ¶ Quæ quidem diuiditur in compaternitatem, paternitatem, & fraternitatem. Compaternitas est inter patrem spiritualem & patrem carnalem: vt inter Baptizantem vel suscipientem, & patrem Baptizati seu susceptum. Pater autem spiritualis appellatur patrinus: quod nomen non solùm suscipienti, sed etiam Baptizanti conuenit. 30. q. 1. c. omnes. 8. Hostiens. hîc num. 2. Paternitas contrahitur inter Baptizantem & Baptizatum, necnon inter suscipientem & susceptum. Fraternitas contrahitur inter filios Baptizantis vel suscipientis & filios Baptizati seu susceptum. Per catechismum oritur tantùm paternitas, non compaternitas, nec fraternitas. Atque hæc coniunctio impedit matrimonium contrahendum non dirimit contractum: reliquæ etiam contractum dissoluunt: per alia Sacramenta nulla inducitur spiritualis cognatio, quæ matrimonium vel impediat, vel dirimat. ℣. lib. 6. c. 1. & sequentib. & 30. q. 1. & q. 3. & 33. q. 2. c. si quis cum matre. 17. ¶ Nota primò, vnum virum, vel vnam mu- 5
lierem debere suscipere infantem de Baptismo si tamen plures suscipiant, vt in quibusdam regionibus fieri solet, inter omnes contrahitur compaternitas, matrimonium impediens. Eadémque ratio est confirmationis. ℣. lib. 6. c. 1. & de consecrat. dist. 4. c. non plures. 100. ¶ Nota secundò non posse sumi eundem 6
patrinum in Cathechismo, Baptismo, & confirmatione, nisi necessitas cogat. d. dist. 4. c. in cathechismo. 99.

XII. *De cognatione legali.*

CVm dictum sit de cognatione spirituali, consequenter agitur de legali, quæ per adoptionem contrahitur. Hæc quoque impedit matrimonium contrahendum, & dissoluit contractum, si vel adhuc duret, vt inter transuersales. c. vn. & 30. q. 3. c. per adoptionem. 6. & D. de ritu nupt. l. per adoptionem. 17. l. quinetiam. 55. §. 1. & Inst. de nupt. §. inter eas. vel inter adscendentes & descendentes spectetur: vt puta si quis filiam adoptauerit, & emancipauerit, eam vxorẽ ducere non potest. d. l. quinetiam in princ. & Inst. de nupt. §. 1. Nota de hac cognatione nihil iure Canonico caueri diuersum à iure ciuili.

XIII. *De eo, qui cognouit consanguineam vxoris suæ, vel sponsæ.*

SVpereſt vt dicamus de cognatione carnali, quæ in 1
consanguinitatem & affinitatem diuiditur. ¶ Con- 2
sanguinitatis causa est generatio: affinitatis, nuptiæ, vel concubitus. Nam consanguine[illegible] iure Canonico, quorum alter ab altero vel ambo ab eodem procreati sunt, vt pater & filius, patruus & filius fratris. in alia significatione ius ciuile consanguineos accipit pro fratribus ex eodem patre genitis. Instit. de legit. adgn. succeſſ. §. 1. ¶ Affinitas iure ciuili est in- 3
ter virum & vxoris cognatos necnon inter vxorem & viri cognatos. D. de gradibus lib. 4. §. sed quoniam. Ergo iure ciuili affinitas tantùm ex nuptiis contrahitur, & dissolutis nuptiis tollitur, licèt matrimonij prohibitio maneat. Instit. de nupt. §. affinitatis, & §. seq. Iure autem pontificio etiam ex illicito coitu oritur, vt ex toto hoc titulo constat. Nulla verò affinitas est inter consanguineos viri & consanguineos mulieris proinde Pater & Filius rectè contrahunt cum matre & filia, nec non duo fratres cum duab. sororibus c. 5.
¶ Hoc igitur iure affinitas contrahitur vel ante nu- 4
ptias, siue sponsalia, vel post: Proinde in hoc tractatu commodè diuiditur in affinitatem antecedentem, & superuenientem. quamuis cognatio tantùm præcedens spectari possit. ¶ Affinitas superueniens non dis- 5
soluit matrimonium, nec sponsalia de præsenti, sed dissoluit sponsalia de futuro, & priuat incestuosum facultate petendi debitum matrimoniale à coniuge, quamuis ei petenti debitum reddere teneatur. item priuat incestuosum potestate contrahendi quocumque tempore nouum matrimonium: quamquàm, si contraxerit, matrimonium tenebit, ita vt similiter debitum matrimoniale reddere cogatur, petere non possit, ac pœnitentiam agere debeat. cap. 1. 2. & to. titulo.

XIV. *De*

BIU Cujas

XIV. *De consanguinitate, & affinitate.*

Dictum est de affinitate superueniente, id est, post sponsalia vel matrimonium contracta: iam dicamus de consanguinitate, quæ est ante illa. Et primum, quid sit consanguinitas, deinde, quotuplex sit, postremò, quæ personæ inter se consanguinitate coniungantur. Consanguinitas est personarum ab eodem stipite descendentium, vel ascendentium, vel transuersalium, inuicem habitudo. Stipes est primus ille, à quo alij descendunt, vel ascendunt, vel transuersales. Descendentes sunt, qui à stipite descendunt, vt filius, nepos, pronepos, abnepos, atnepos, trinepos. Ascendentes sunt, qui ascendunt, vt pater, auus, proauus, abauus, atauus, tritauus. Transuersales sunt, qui neque descendunt, neque ascendunt, sed à stipite per transuersum progrediuntur, vt frater, patruus, amita, auunculus, matertera, fratris filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis, abnepos, abneptis, atnepos, atneptis, trinepos, trineptis. Quotuplex sit consanguinitas, ex tribus his personarum generibus, descendentium, ascendentium, & transuersalium, facile cognoscitur. Quæ personæ inter se consanguinitate coniungantur, ex tabula, quæ hic apponitur, cognoscitur. Ad quam explicandam oportet primum, quo ordine cognatorum personæ collocentur: deinde, quomodo gradus numerentur: postremò, quæ personæ inter se referantur: nam cognatio est in categoria relationis, & omnis cognatus ad cognatum refertur, vt pater ad filium, filius ad patrem, frater ad fratrem. ¶ Quod ad primum attinet, in prima colúna, quæ est descendentiú, semper descendendo à patribus ad filios progredimur. nam qui sunt in secunda cellula, sunt filij eorum qui sunt in prima: & qui sunt in tertia, sunt filij eorum qui sunt in secunda: & ita deinceps. E contrario in secunda colúna, quæ adscendentium est, descendendo adscendimus, id est, à liberis ad parentes ordine seruato progredimur: adeo vt qui sunt in prima cellula secundæ columnæ, sint filij eorũ qui sunt in secunda cellula eiusdẽ columnæ: & qui sunt in secunda, sint filij eorũ qui sunt in tertia: & ita deinceps. In reliquis columnis, quæ sunt transuersaliũ, nec adscendendum, nec descendendũ est, sed per transuersum progredi oportet: semper enim in proximè sequẽti cellula ponuntur filij eorum qui sunt in cellula præcedenti. spectandæ sunt igitur colũnæ, nõ vt antea erectæ, sed transuersæ: & secundũ hanc inspectionem, qui sunt in tertia cellula, sunt filij eorũ qui sunt in secunda: tera inter adscendentes & descendentes: altera inter transuersales: vtraque autem semper est inter personas eiusdem gradus, siue ius ciuile, siue pontificiũ spectes: nec aliter fit inter cognatos relatio. Itaque vt sint in eodẽ gradu canonico, sũt in eodem gnomone: & vt sint in eodẽ gradu ciuili, habẽt eandẽ notã Arithmeticã (vulgò cifram appellãt) subiectam. Proinde qui sunt in gnomonum angulis in sua cellula relatum habẽt, quia non est alia cellula in eodẽ gnomone continens eandẽ cifrã. Sic frater & soror inter se referuntur, & cõsobrini inter se, & sobrini inter se. & ita de cęteris angularibus inter se, & sobrini inter se. & ita de cęteris angularibus dicendum. Extra angulos in quolibet gnomone sunt duæ cellulæ eãdem notâ insignitæ: vt in secundo gnomone nepos refertur ad auum, quia vterque est in secundo gradu ciuili: patruus refertur ad filium fratris, quia vterq; est in tertio gradu ciuili. in tertio gnomone inter se referuntur pronepos & proauus, quia ambo sunt in tertio gradu ciuili: item patruus magnus, & fratris nepos inter se referuntur, quia ambo sunt in quarto ciuili

Hæc Tabula apponatur lib. 4. Decret. tit. 14.

✝	DESCENDENTES.	ADSCENDENTES.	TRANSVERSALES.					
			2	3	4	5	6	
1	Filius. Filia. 1	Pater. Mater. 1	Frater. Soror. 2	Fratris vel sororis filius, filia. 3	Fratris vel sororis nepos, neptis. 4	Fratris vel soris pronepos, proneptis. 5	Fratris vel sororis abnepos, abneptis. 6	Fratris vel sororis atnepos, atneptis. 7
2	Nepos. Neptis. 2	Auus. Auia. 2	Patruus, amita, auunculus, matertera. 3	Patruelis, amitinus, amitina, cõsobrinus, consobrina. 4	Patruelis, amitini, amitinæ, cõsobrini, cõsobrinæ filius, filia. 5	Patruelis, amitini, amitinæ, consobrini, cõsobrinæ, nepos, neptis. 6	Patruelis, amitini, amitinæ cõsobrini, consobrinæ, pronepos, proneptis. 7	Patruelis, amitini, amitinæ, consobrini, cõsobrinæ, abnepos, abneptis. 8
3	Pronepos. Proneptis. 3	Proauus. Proauia. 3	Patruus, amita, auunculus, matertera magni. 4	Propius sobrino, vel sobrinâ. 5	Sobrinus. Sobrina. 6	Sobrini vel sobrinæ filius, filia. 7	Sobrini, vel sobrinæ nepos, neptis. 8	Sobrini vel sobrinæ pronepos, proneptis. 9
4	Abnepos. Abneptis. 4	Abauus. Abauia. 4	Propatruus, proamita, proauunculus, promatertera. 5	Propatrui, proamitæ, proauunculi, promaterteræ filius, filia. 6	Propatrui, proamitę, proauunculi, promaterteræ nepos, neptis. 7	Propatrui, proamitę, proauunculi, promaterteræ, pronepos, proneptis. 8	Propatrui, proamitæ, proauũculi, promaterteræ abnepos, abneptis. 9	Propatrui, proamitæ, proauũculi, promaterteræ atnepos, atneptis. 10
5	Atnepos. Atneptis. 5	Atauus. Atauia. 5	Abpatruus, abamita, abauunculus, abmatertera. 6	Abpatrui, abamitę, abauunculi, abmaterteræ filius, filia. 7	Abpatrui, abamitę, abauunculi, abmaterteræ nepos, neptis. 8	Abpatrui, abamitę, abauunculi, abmaterteræ pronepos, proneptis. 9	Abpatrui, abamitæ, abauũculi, abmaterteræ abnepos, abneptis. 10	Abpatrui, abamitæ, abauunculi, abmaterterę atnepos, atneptis. 11
6	Trinepos. Trineptis. 6	Tritauus. Tritauia. 6	Atpatruus, atamita, atauunculus, atmatertera. 7	Atpatrui, atamitæ, atauunculi, atmaterteræ filius, filia. 8	Atpatrui, atamitæ, atauunculi, atmaterteræ nepos, neptis. 9	Atpatrui, atamitæ, atauunculi, atmaterteræ pnepos, pneptis. 10	Atpatrui, atamitæ, atauunculi, atmaterteræ abnepos, abneptis. 11	Atpatrui, atamitæ, atauunculi, atmaterterę atnepos, atneptis. 12

BIU Cujas

viro cum quo contraxit, carnaliter cognita est, aut non. Si aut fuit ab eo cognita, aut sciebat eum habere vxorem, matrimonium omnino rescinditur, & ne mortua quidem prima vxore toleratur. c. 4. 5. & vlt. Si [illegible] habere vxorem, & cum eo carna-

ternitas contrahitur inter filios Baptizantis vel suscipientis & filios Baptizati seu susceptí. Per catechismum oritur tantùm paternitas, non compaternitas, nec fraternitas. Atque hæc coniunctio impedit matrimonium contrahendum non dirimit contractum: re-

[illegible]

[illegible] ræ. 24.

XI. *De cognatione spirituali.*

1 NOnum vitium est, si inter cognatos nuptiæ con-
2 trahantur in gradu prohibito. ¶ Est autem co-
3 gnatio triplex: spiritualis, legalis, & carnalis. ¶ Spiritualis cognatio est personarum propinquitas, seu coniunctio ex cathechismo. ff. lib. 6. c. 2. vel ex Baptismo, vel ex Confirmatione proueniens. ff. eod. c. 1.
4 ¶ Quæ quidem diuiditur in compaternitatem, paternitatem, & fraternitatem. Compaternitas est inter patrem spiritualem & patrem carnalem: vt inter Baptizantem vel suscipientem, & patrem Baptizati seu susceptí. Pater autem spiritualis appellatur patrinus: quod nomen non solùm suscipienti, sed etiam Baptizanti conuenit. 30. q. 1. c. omnes. 8. Hostiens. hîc num. 2. Paternitas contrahitur inter Baptizantem & Baptizatum, necnon inter suscipientem & susceptum. Fra-

[illegible] vt ex toto hoc titulo constat. Nulla vero affinitas est inter consanguineos viri & consanguineos mulieris proinde Pater & Filius rectè contrahunt cum matre & filia, nec non duo fratres cum duab. sororibus c. 5.
¶ Hoc igitur iure affinitas contrahitur vel ante nuptias, siue sponsalia, vel post: Proinde in hoc tractatu commodè diuiditur in affinitatem antecedentem, & superuenientem. quamuis cognatio tantùm præcedens spectari possit. ¶ Affinitas superueniens non dis- 5
soluit matrimonium, nec sponsalia de præsenti, sed dissoluit sponsalia de futuro, & priuat incestuosum facultate petendi debitum matrimoniale à coniuge, quamuis ei petenti debitum reddere teneatur. item priuat incestuosum potestate contrahendi quocumque tempore nouum matrimonium: quamquàm, si contraxerit, matrimonium tenebit, ita vt similiter debitum matrimoniale reddere cogatur, petere non possit, ac pœnitentiam agere debeat. cap. 1. 2. & to. titulo.

XIV. *De*

BIU Cujas

XIV. *De consanguinitate, & affinitate.*

Dictum est de affinitate superueniente, id est, post sponsalia vel matrimonium contracta: iam dicamus de antecedente consanguinitate, & antecedente affinitate. de quibus cùm tria sint exponenda, videlicèt definitio, diuisio, & nuptiarum prohibitio; quoniam definitio ex suprà dictis patet, reliqua duo nunc persequemur. ¶ Consanguinitatis diuisio est multiplex. I. Vel est per masculos, vel per fœminas: vtraque autem cognatos facit, sed qui per masculos iunguntur, sunt etiam adgnati, nisi per capitis deminutionem agnatio sublata sit. II. Aut spectatur inter adscendentes & descendentes, id est, parentes & liberos: aut inter transuersales seu collaterales, vt fratres, vel consobrinos. III. Vel est primi, vel secundi, vel vlterioris gradus. Regulæ autem, quibus gradus cognationum dignoscuntur, aliter concipiuntur in iure ciuili, aliter in iure canonico. nam ius ciuile respicit ad generationes, ius autem canonicum ad personas generatas, & ad loca, quibus hæ personæ in graduum descriptione collocantur. Exempli gratia, fratres iure ciuili sunt in secundo gradu, quia inter duos fratres duæ generationes sunt interiectæ; quando quidem ideo sunt inter se coniuncti; quia sunt ambo ab eodem patre vel eadem matre geniti: iure autē canonico sunt in primo gradu: quia in graduum typo, quem arborem appellant, æquè propinquus est frater fratri, ac pater filio: quamuis pater suprà filium, frater verò ad latus collocetur. quapropter vt pater est in primo adscendentium gradu, ita frater est in primo transuersalium gradu, itaque de gradibus vna est regula ciuilis: Tot gradibus duæ personæ inter se distant, quot sunt inter eas generationes interiectæ. Regulæ verò Canonicæ sunt tres. I. Inter adscendentes & descendentes quot sunt personæ, vnâ demptâ, tot sunt gradus. II. In transuersalibus in linea æquali (id est, qui æquè distant à communi parente) quoto gradu alteruter distat à communi parēte, eodem distat inter se. III. In transuersalibus in linea inæquali (id est quorum alter propinquior est communi parenti, alter remotior) quoto gradu remotior distat à communi parente, eodem distat ab altero transuersali. ¶ Hæ iuris Canonici regulæ ad vulgatam graduum descriptionem, & ad diagramma, quod in Epitome Iuris posui sunt accommodatæ. Sed nescio, an commodior, dilucidior, & vberior sit sequens tabula quadrangularis.

Hic ponatur descriptio graduum cognationis.

3 ¶ Vt perfectè hanc tabellam intelligas, tria notare oportet: primùm, quo ordine cognatorū personæ collocentur: deinde, quomodo gradus numerentur: postremò, quæ personæ inter se referantur; nam cognatio est in categoria relationis, & omnis cognatus ad cognatum refertur, vt pater ad filium, filius ad patrem, frater ad fratrem. 4 ¶ Quod ad primum attinet, in prima colūna, quæ est descendentiū, semper descendendo à patribus ad filios progrediмur. nam qui sunt in secunda cellula, sunt filij eorum qui sunt in prima: & qui sunt in tertia, sunt filij eorum qui sunt in secunda: & ita deinceps. E contrario in secunda colūna, quæ adscendentium est, descendendo adscendimus, id est, à liberis ad parentes ordine seruato progredimur: adeo vt qui sunt in prima cellula secundæ columnæ, sint filij eorū qui sunt in secunda cellula eiusdē columnæ: & qui sunt in secunda, sint filij eorū qui sunt in tertia: & ita deinceps. In reliquis columnis, quæ sunt transuersaliū, nec adscendendum, nec descendendū est, sed per transuersum progredi oportet: semper enim in proximè sequēti cellula ponuntur filij eorum qui sunt in cellula præcedenti. spectandæ sunt igitur colūnæ, nō vt antea erectæ, sed transuersæ: & secundū hanc inspectionem, qui sunt in tertia cellula, sunt filij eorū qui sunt in secunda: & qui sunt in quarta, sunt filij eorū qui sunt in tertia: & ita deinceps in tota colūna. eadē ratio est aliarū transuersarum columnarum. ¶ Iam dicendum de gradibus 5 Quamuis præcipuus scopus sit repræsentare in hac tabula gradus secundum ius canonicum: tamen libuit etiā ius ciuile adiungere, quò facilius hæc iura inter se conferri possint. Quod ad ius canonicum spectat, vides in hac tabella esse sex gnomones crassioribus lineis terminatos, quibus sex cognatorū gradus continentur. nam primus gnomon eos cōplectitur, qui sunt in primo gradu: secundus eos, qui sunt in secūdo: tertius eos, qui sunt in tertio: & ita deinceps. Primus autem gradus notatur in angulo externo primi gnomonis: secūdus & cæteri bis notantur, id est, in vtraque gnomonū parte Extrema, videlicèt in superiori, & in sinistra tabellæ parte. Ciuiles autē gradᵒ personis cognatorū in singulis cellulis subiiciuntur. Exēpli causâ, nepos est in secūdo gradu computatione canonica, quia est in secundo gnomone; & cōputatione ciuili, quia ei subiicitur nota gradus 2. Sobrinus iure canonico est in tertio gradu, quia est in tertio gnomone: iure ciuili in sexto, vt indicat hæc nota, b, subscripta in eadē cellula. Quòd si vis rationē graduū intelligere, ac per te distinguere, etiamsi in tabulla notati non essent: iure canonico facilis est supputatio, quia numerandi sunt gnomones vt ex dictis patet. iure autem ciuili semper generata persona gradum adiicit, vt scribit imperator in §. hacten. Instit. de gradib. cognat. Ergo in prima descendentium & in secunda adscendentium columna si descēdendo personas numeres, gradum habebis: nā qui sunt in suprema cellula, sunt in primo gradu: qui in secunda, in secūdo: & ita deinceps in cellulis inferioribus numerus graduū augetur. Sic filius, & pater sunt in primo gradu: quia sunt in primis cellulis: nepos, & auus sunt in secundo gradu, quia sunt in secundis cellulis, idem de cęteris liberis, & parentibus intelligendū. Quod verò ad transuersales pertinet, progrediendum, vt antea monui, per transuersum: & ita sunt computandæ cellulæ, facto initio à cellula adscendentium. Verbi gratiâ, in prima transuersa columna, quia pater est in primo gradu, frater, qui est in sequenti cellula, est in secundo gradu: sequens cellula continet patruum in tertio: deinceps ponitur patruelis in quarto, filij patruelis in quintò, &c. Eadem est omnium aliorum transuersaliū ratio. ¶ Su- 6 pereſt, vt de relatione dicam. Duplex est hîc relatio: altera inter adscendentes & descendentes: altera inter transuersales: vtraque autem semper est inter personas eiusdem gradus, siue ius ciuile, siue pontificiū spectes: nec aliter fit inter cognatos relatio. Itaque vt sint in eodē gradu canonico, sūt in eodem gnomone: & vt sint in eodē gradu ciuili, habēt eandē notā Arithmeticā (vulgò cifram appellāt) subiectam. Proinde qui sunt in gnomonum angulis in sua cellula relatum habēt, quia non est alia cellula in eodē gnomone continens eandē cifrā. Sic frater & soror inter se referuntur, & cōsobrini inter se, & sobrini inter se. & ita de cęteris angularibus dicendum. Extra angulos in quolibet gnomone sunt duæ cellulæ eādem notâ insignitæ: vt in secundo gnomone nepos refertur ad auum, quia vterque est in secundo gradu ciuili: patruus refertur ad filium fratris, quia vterq; est in tertio gradu ciuili. in tertio gnomone inter se referuntur pronepos & proauus, quia ambo sunt in tertio gradu ciuili: item patruus maguus, & fratris nepos inter se referuntur, quia ambo sunt in quarto ciuili

to ciuili gradu: & similiter propiùs sobrino refertur ad filium patruelis, quia vtrique sunt in quinto gradu ciuili. Idem in cæteris omnibus obtinet. Generaliter de relatione nota sexus rationem in personis inter se relatis non haberi: in personis autem, per quas relatæ personæ coniunguntur, interdum haberi. Exempli causâ, pater æquè refertur ad filiũ, & ad filiam & filius æquè ad patrem & ad matrem: & patruus æquè ad fratris filium, & filiam: non tamen refertur patruus ad sororis filium, vel filiam; sed hoc respectũ vocatur auunculus: quia Latina lingua inter patruũ & auunculum distinctionem ponit. etsi vtrumque Græci promiscuè θεῖον appellant. Instit. de gradib. cognat. §. secundo gradu.

7 ¶ Affinitatis diuisiones tres notentur. I. Alij affines locum parentum obtinẽt, vt vitricus, nouerca, socer, socrus: alij liberorũ, vt priuignus, priuigna, gener, nurus: alij transuersalium, vt fratria, sororius, leuir, glos, id est, fratris vxor, sororis maritus, viri vel vxoris frater, viri vel vxoris soror. D. eod. l. 4. §. & quidem. & §. seq. & Instit. de nupt. §. affinitatis. & §. seq. II. Etsi affinitatis gradus iure ciuili nulli sunt. d. l. 4. §. gradus: (quia cùm graduum causa sit generatio, quæ inter affines considerari non potest, certè in affinibus gradus constitui non possunt) tamen iure pontificio rectè gradus ponuntur etiã inter affines noua & Theologica ratione: quia cùm coniuges sint vna caro, quoto consanguinitatis gradu est mihi Titius vel Titia, rectè eodem gradu affinitatis censentur mihi esse vxor Titij, vel maritus Titiæ. III. Affinitatis tria sunt genera: & quam rationem habet primum genus affinitatis ad consanguinitatem, eandem habet secundum affinitatis genus ad primum, & tertium ad secundum. Nam personæ per nuptias siue coitum adiectio necessitudinem mutat. Primum igitur genus affinitatis contrahitur per vnam personam, secundum per duas, tertium per tres. exemplis res fiet perspicua. Frater meus est mihi consanguineus: hic si Mæuiam vxorem ducat, Mæuia est mihi affinis in primo genere affinitatis. finge, mortuo fratre meo, Mæuiam nubere Titio: Titius est mihi affinis in secundo affinitatis genere pone, Mæuiâ defuncta, Titium copulari cum Caia: hæc mihi affinis in tertio genere dicetur. Duæ autem duorum consanguineorum vxores, vel duo duarum consanguinearum mariti, vel consanguinei vxor & consanguineæ maritus, sunt inter se affines in secundo genere. Denique coniux nostri consanguinei vel consanguineæ, est nobis affinis in primo genere: coniux autem personæ affinis in primo genere est affinis in secundo genere, & coniux personæ affinis in secundo genere, est affinis in

8 tertio genere. 14. ¶ His expositis iam de nuptiarum prohibitione, quæ ex consanguinitate vel affinitate sumitur, regulas quasdam subiiciamus. I. Inter parentes & liberos, & inter affines qui parentum & liberorũ loco inter se sunt, nuptiæ indistinctè prohibẽtur vtroque iure, tam ciuili, quàm canonico. Instit. de nupt. §. ergo non omnes, & §. affinitatis. & §. seq. & D. de gradib. l. 4. §. hos itaque etiam in secundo genere affinitatis, vt est iure ciuili expressum in l. vxorem. 15. D. de ritu nupt. nec reperitur iure Pontificio correctum: quia perspicuum est, c. pen. huius tituli, quod nuptiarum prohibitionem tollit in secundo ac tertio affinitatis genere, tantùm loqui de transuersalibus. Quocirca puto manere ius antiquum in adscendentibus & descendentibus: consequenter inter has personas prohiberi nuptias etiam in tertio genere affinitatis, vt mihi videtur publicæ honestati consentaneum. II. Inter consanguineos transuersales nuptiarum prohibitio iure Canonico quatuor gradibus terminatur. d. c. pen. proinde consobrinus & consobrina, qui hoc iure sunt in secundo gradu, non possunt inter se copulari. xxxv. quæst. 3. c. quædam. 20. licèt iure ciuili, quo iure sunt in quarto gradu, coniungi possint. C. de nupt. leg. celebrandis. 19. & Instit. eodem §. duorum. Ius enim ciuile, quod ad transuersales attinet, nuptias in secundo & in tertio gradibus ciuiliter computatis indistinctè prohibet. vt inter fratrem & sororem, inter patruum & fratris filiam: in quarto autem gradu distinguit, ita vt si sint in linea inæquali, vt patruus magnus & fratris neptis, nuptiæ prohibeantur, quia parentum & liberorum loco sunt. Si verò sint in linea æquali, vt consobrini, nuptiæ permittantur. Instit. eodem. §. inter eas. cum tribus §§§. seqqq. III. Inter affines, qui transuersalium loco sunt, iure Canonico nuptiæ prohibentur in primo affinitatis genere, hisdem gradibus, quibus inter consanguineos vetitæ sunt: in secundo autem & tertio genere permittuntur. c. pen. Iure ciuili idem dicendum puto: vt scilicèt quibus gradibus inter cognatos nuptiæ prohibitæ sunt, hisdem gradibus sint illicitæ etiam inter affines, vt cum fratris vidua, quem solum casum in iure ciuili expressum reperio. C. de nupt. leg. pen. & vlt.

XV. *De frigidis & maleficiatis, & impotentia coëundi.*

DEcimum nuptiarum vitium est frigiditas vel maleficiatus, & omnino impotentia coëundi, hæc enim impotentia est multiplex. I. Aut est naturalis, aut accidentaria. II. Vel est propter defectum manifestum, vel propter occultum. Manifestus defectus est, cùm aliquod membrum ad generationem necessarium deest. Occultum est, vt naturalis frigiditas, & accidentarius maleficiatus. III. Vel vitium est matrimonio vetustius, vel post matrimonium contractum non consummatum, vel post matrimonium consummatum. IV. Aut est vitium quod ope medicorum sanari facilè potest, aut sine vitæ periculo sanari nequit, aut est omnino insanabile. ¶ His diuisionibus 2 positis, notentur sequentes regulæ. I. Vitium superueniens non dirimit matrimonium antea consumatũ. c. pen. & 33 q. 1 c. requisisti. II. Vitium antecedẽs impedit matrimoniũ contrahendũ, nisi quis sciens, prudens cum impotente contrahat. c. 4. III. Si de impotentia coëundi constet, matrimonium nondum consummatum statim separatur. c. 5. nisi ope medicorum sanari facilè possit. c. 5. IV. Si post contractum matrimonium dubitetur de impotentia coëundi, coniuges per triennium cohabitare, & operam carnali copulæ dare iubentur: quo tempore peracto, si de impotentia coëundi per ipsorum coniugum & septem propinquorum iuramentum constet, matrimonium solvitur. c. 5. & c. vlt.

XVI. *De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.*

VNdecimum vitium est, si cõtra Ecclesiæ seu iudicis Ecclesiastici interdictum nuptiæ celebratæ sint. Hoc casu matrimonium, quamuis rectè contractũ non sit, tamen, nisi iusta diremptionis causa subsit, non dirimitur, sed inobedientibus pœnitentia imponitur. Finge, cùm quidam dicerentur esse cognati in gradu prohibito, iudicem vetuisse ne nuptiis iungerẽtur donec de cognationis impedimento cognitum & pronũciatum esset: hos tamẽ contra dictam prohibitionem

nuptias

nuptias celebrasse: certè siue sint, siue non sint in gradu prohibito cognati, pœnitentiam subibunt: matrimonium verò ita demum dissoluetur, si cognati in gradu prohibito deprehendantur. c. 1. & 2. Perpurgata est prima de matrimonio quæstio an valeat.

XVII. *Qui filij sint legitimi.*

1 SEquitur secunda quæstio, qui sint matrimonij ef-
2 fectus. ¶ Primus effectus est, quòd filij sunt legitimi. ¶ Nota primò filios nasci vel ante matrimonium, vel stante matrimonio, vel post illud dissolutum. Primò casu non nascuntur legitimi, sed legitimantur per subsequens matrimonium, dummodò eo tempore, quo procreati sunt, nuptiæ inter eorum parentes celebrari potuissent. c. 1. & 6. & C. de natural. lib. l. cùm quis. 10. & l. seq. & Inst. eo. §. vlt. Secundo casu legitimi sunt, etiamsi matrimonium sit clandestinum, dummodò postea sit ab Ecclesia approbatum. c. quod nobis. 9. Idem dicendum, si matrimonium iure non valeat, dummodò alterutro coniuge impedimentum ignorante contractum sit in facie Ecclesiæ. c. peruenit. 11. & c. pen. Idem dicendum, si liberi susceptisint ex parentibus infidelibus, qui contraxerunt in gradu suis legibus permisso, lege autem Canonica prohibito. c. vlt. Tertio casu ita demum sunt legitimi, si concepti sint
4 tempore matrimonij. c. 2. ¶ Nota secundò tria esse legitimationum genera, videlicèt per subsequens matrimonium, per oblationem curiæ, & per rescriptum principis: quæ exposui in Analysi Instit. ad §. vlt. de nuptiis.

XVIII. *Qui matrimonium accusare possint, vel contra illud testificari.*

Secundus effectus est, quòd coniuges simul habitare, & alter alteri matrimoniale debitum reddere tenetur. Hic effectus tollitur vel ante, vel post consummatum matrimonium: & vel sublato, vel manente matrimonio. Ecce enim, si matrimonio nondum consummato, vel ambo coniuges, vel alteruter, etiam altero inscio vel inuito, ad religionem transire velit, omnino matrimonium tollitur. s. de conuers. coniug. c. 2. & c. ex parte tua. 14. vers. nos tamen. Si verò inter infideles matrimonium contractum sit, licèt copula secuta fuerit; tamen si alter ad fidem transierit, alter autem, qui in infidelitate mansit, vel nullo modo, vel non sine blasphemia diuini nominis, vel vt fidelem ad peccatum mortale pertrahat, cum eo morari velit: fidelis diuortium facere, & ad alias nuptias transire potest. c. quanto. 7. Ob spiritualem autem, vel carnalem fornicationem, fit tantùm thori separatio, ita vt coniugium nihilominùs maneat. c. 2. & xxvij. q. 2. c. quod autem. 29. §. ecce. & xxxij. q. 7. c. 1. & 2. Hæc autem thori separatio non admittitur, nisi præcedente Ecclesiæ iudicio. j. tit. prox. c. 3. Opus igitur est, vt in primis matrimonium accusetur, & causa diuortij legitimè probetur, vt sententia rectè ferri possit. Quocirca qui matrimonium accusare, vel contra illud testificari possint, hic titulus explanat: quia sunt hîc quædam specialia, vt quia ab accusando repellitur mulier, quæ per vim desponsata, postea non inuita cognita fuit. c. 4. & is qui denunciati matrimonij tempore tacuit. c. 6. Item consanguinei & parentes in causa matrimoniali testificari possunt. c. 3.

XIX. *De diuortiis.*

PRobato matrimonij impedimento seu vitio, diuortium conceditur: quo aut matrimonium, aut vsus matrimonij tollitur, vt superiori tit. docui. lege etiam, quæ notaui ad hunc titulum in Digestis.

XX. *De donationibus inter virum & vxorem, & de dote post diuortium restituenda.*

TErtius effectus est, vt simplex donatio inter virum 1
& vxorem regulariter non valeat: donatio verò propter nuptias à viro in mulierem collata valeat, sed soluto matrimonio ad virum redeat. c. pen. ¶ Quar- 2
tus effectus est, vt dos valeat. D. de iur. dot. l. 3. sed similiter reddi post solutum matrimonium mulieri debet. d. c. pen. quamquam interdum etiam stante matrimonio redditur, vt quia vir ad inopiam vergit C. de iu. dot. l. vbi. 29. interdum mulier dotem perdit, vt propter commissum adulterium c. 4.

XXI. *De secundis nuptiis.*

EXpositi sunt effectus omnibus nuptiis communes. præter quos sunt alij quidam effectus secundarum nuptiarum proprij: veluti ne eis benedicatur. c. 1. & 3. & ne is, qui secundas nuptias contraxit, ad dignitates Ecclesiasticas aspirare amplius possit. s. de bigam. c. 3. & vt nubens intra annum luctus, iure ciuili notetur infamia. C. de nupt. l. 1. sed hæc infamia per c. pen. & c. vlt. aboletur.

LIBER V.

Tit. I. *De accusationibus, inquisitionibus, & denunciationibus.*

POstquàm libro tertio clericorum & mo- 1
nachorum, ac libro quarto laicorũ propria enarrata sunt, superest, vt de clericorum & laicorum delictis & iudiciis criminalibus agatur. ¶ Hic tractatus est 2
tripertitus. in prima parte agitur de delictis in iudiciũ deducendis. in secunda de variis delictorum generibus: in tertia de effectibus delictorum. ¶ Quod ad primam 3
partem attinet, tribus modis delicta in iudicium deducuntur, vt delinquentes puniantur, nimirum accusatione, inquisitione, & denunciatione. c. qualiter. 24. vers. contra quos. ¶ Accusare est delinquentem ad iudicem 4
deferre, & criminis probãdi onus in se recipere, vt crimine probato reus puniatur, non probato accusator eandem pœnam subeat, quam reus conuictus subiisset. ¶ Ac debet accusatio in scriptis proponi ita vt libello 5
accusator subscribat, subiiciens se pœnæ talionis, nisi crimen probauerit. ij. q. 3. c. 2. & 3. & q. 8. ¶ Inqui- 6
sitio est, cùm iudex ex officio, nemine accusante, disquirit, an aliquis deliquerit, vel quis delictum admiserit. ¶ Est autem triplex inquisitio. I. Omnino gene- 7
ralis, vt cùm præses inquirit, an in sua prouincia sint homines facinorosi. D. de offic. præsid. l. congruit. 13. in pr. II. Omnino specialis, qua contra certam personam de certo crimine inquiritur. d. c. qualiter. & C. de accusat. l. 7. III. Partim generalis, partim specialis vt

BIU Cujas

cùm Titio occiso, iudex inquirit quis eum occiderit.
8 ¶ Denunciatio est criminis ac delinquentis delatio ad iudicem sine inscriptione, & sine onere criminis probandi, proinde sine metu pœnæ talionis c. super his. 16. tantùm enim denuncians debet iurare de calumnia, & nominare testes criminis conscios, vt notaui in Epit.
9 iuris. disput. 30. ¶ vbi etiam exposui differentiam inter ius ciuile & ius canonicum, quòd illo certæ tantùm personæ publicæ, hoc autem iure omnes denunciare
10 possunt. ¶ Hæc intellige de denunciatione iudiciali, de qua agitur etiam in l. 6. §. pen. D. ad Turpit. & l. 7. C. de accusat. Alia est denunciatio Christiana siue Euangelica, quæ fit ad emendationem & bonum animæ, vt cùm mulier occultum mariti adulterium sacerdoti denunciat. ij. q. 1. c. si peccauerit. 18. & xxxij. q. 5. c. vlt. Alia est denunciatio canonica, ad impediendu, ne quid illicitum fiat; veluti si quis denunciet eos, qui matrimonium contrahere volunt, esse in gradu prohibito, ſ. de sponsal. c. cùm in tua. 27. & de despons. impub. c. ad dissoluendum. 13. & de clandest. despons. c.
11 vlt. ¶ Nota, quòd accusationem legitima debet præcedere inscriptio, qua accusator se subiicit pœnæ talionis nisi crimen peregerit: denunciationem charitatiua monitio, vt denunciandus se corrigere possit, antequã denuncietur: inquisitionem clamosa insinuatio, ne temere in aliquem innocentem inquiratur, qui de crimine non sit diffamatus. d. c. qualiter. 24. in fi. Hæc dicta sunt de accusatione, inquisitione, & denunciatione.

II. *De calumniatoribus.*

1 SEquitur, vt varia criminum seu delictorum genera explicemus. Est autem crimen vel proprium accusatoris seu deferentis crimen, vel proprium accusati siue denunciati, vel vtrique commune. Accusatoris & denunciantis proprium delictum est calumnia.
2 ¶ Calumniator accipitur tribus modis, quos exposui. D. h. t. sed hîc calumniator accipitur, vt in tit. D. ad senatusconsul. Turpill. pro eo, qui falsa crimina sciens intendit. Hic infamia notatur. ij q. 3. c. 1. & regulariter pœna talionis afficitur, id est, ea quæ reo inflicta fuisset, si crimen probatum fuisset. ead. q. c. 2. & 3. & q. 8. c. 3. & 4. vt etiam iure ciuili cauetur, sicuti docui
3 ad tit. D. ad Senatusconsul. Turpill. Subdiaconus autem calumniosè accusans diaconum, officio subdiaconatus priuatur; & verberibus publicè castigatus in exilium mittitur. c. 1. Denunciator verò in probatione criminis deficiens, ab officio & beneficio suspenditur, donec ostenderit se non calumniandi animo ad denunciationem processisse. c. 2.

III. *De simonia & ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur.*

1 SEquuntur crimina, quæ accusato siue denunciato obiiciuntur. Hæc vel sunt contra primam, vel contra secundam tabulam decalogi. ¶ Contra primam
2 tabulam sunt septem crimina; quorum primum est simonia, cuius definitio in posteriori huius rubricæ parte indicatur. Simonia namque est crimen, quod tunc admittitur, cùm aliquid pro spiritualibus exigitur, vel promittitur. Sed spiritualium appellatione intellige, non solùm res propriè spirituales, vt consecrationes, benedictiones, Sacramentorum distributiones. c. non satis. 8. c. cùm in Ecclesiæ. 9. c. nemo. 14. c. ea quæ. 16. cum sim. sed etiam res spiritualibus adnexas, vt præbendas. j. q. 3. c. si quis obiecerit. ¶ Dicitur autem
3 simonia à Simone mago, qui primus in nouo testamento hoc scelus admisit. j. q. 1. c. qui studet. 11. 4
¶ Ac diuiditur. I. In conuentionalem, & mentalem. Conuentionalis est, cùm aliquid datum est, aut de dando conuenit. ſ. de confess. c. 2. itaque hæc simonia duobus modis committitur, qui in hac rubrica exprimuntur. nam qui aliquid Ecclesiasticum confert, interdum pro eo pecuniam præsentem exigit, interdũ promissione contentus est. Mentalis simonia est, cùm nullum factũ intercessit, sed sola praua dantis aut recipientis mens & intentio. c. tua nos. 24. & c. vlt. II. In tria genera: quia triplex est genus muneris, quod est simoniæ causa. aliud enim est munus ab obsequio, id est, seruitus indebitè præstita: aliud munus à manu, hoc est, pecunia: aliud munus à lingua, nempe laus & fauor. j. q. 1. c. sunt nonnulli. 115. Pecuniæ appellatione intelligo quicquid homines possident. j. q. 3. c. 6. siue sit res corporalis mobilis, vel immobilis, siue incorporalis. D. de verb. signif. l. pecuniæ nomine. 222. ¶ Nota pri- 5
mo aliquem dici simoniace electum, etiam si quid eo ignorante datum vel promissum fuerit. c. nobis fuit. 27.
¶ Nota secundò simoniam eum non committere, qui 6
aliquid sponte offert, non vt hac ratione aliquid spirituale aut spirituali adnexum acquirit. d. c. tua nos.
¶ Nota tertiò, alios simoniace ordinari à simoniacis, 7
alios simoniace à non simoniacis, alios non simoniace à simoniacis. j. q. 1. c. statuimus vt sicut. 107. §. vlt. & cann. seqq. ¶ Hoc crimen multis modis coërcetur. 8
I. Simoniacè ordinantes vel ordinati deponuntur. c. consulere. 38. & j. q. 1. c. quos constituit. 6. & c. statuimus decretum. 108. II. A simoniacis licet non simoniacè ordinati, tamen deponuntur, nisi probent se, cùm ordinarentur, nescisse eos esse simoniacos, eosque pro Catholicis fuisse habitos. Ecclesia, & de simoniacè. 22. & j. q. 1. d. c. statuimus decretum. 108. & eam. seqq. III. Qui pecunia aliquid Ecclesiasticum redemit, & qui ab eo accepit, & qui pro eo intercessit, infamia notantur. j. q. 3. c. vlt. IV. Qui in hoc crimine perseuerant, perpetuo anathema sunt. d. quæst. 3. c. si quis dator. 2. V. Pecunia accepta restituitur. d. c. si quis dator. id est, confiscatur. glos. ibid.

IV. *Ne prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.*

SImoniæ species est, cùm prælatus iurisdictionem 1
suam. c. 11. & 12. vel Ecclesiæ regimen sub annuo censu concedit. c. 3. quamquam fructus Ecclesiarum licitè sub annuo censu concedantur. c. 4. ¶ Quod ad 2
pœnam attinet, I. Is qui vices prælati vel Ecclesiæ administrationem suscepit, officio suscepto priuatur. d. c. 10. & à clero remouetur. d. c. 2. II. Episcopus, qui officium simoniace contulit, conferendi illud officium potestate priuatur. d. c. 11. III. Episcopus, quo sciente & dissimulante, id à subditis perpetratum est, canonicæ pœnæ subiicitur. d. c. 2. id est, duobus mensibus excommunicationi subiacet. j. q. 1. c. quicquid. 102. IV. Episcopo subditus, qui eo ignorante deliquit, si sit presbyter, quatuor mensium excommunicatione plectitur, si diaconus, trium mensium excommunicationem sustinet, si subdiaconus vel alius clericus, arbitraria pœna & excommunicatione plectitur. d. c. quicquid.

V. *De magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.*

SImoniæ speciem præ se fert Abb. in c. 1. licet pro- 1
priè non sit simonia, Innoc. in c. 2. cùm docendi

licen

2 licentia pro pretio conceditur. ¶ Is, qui docendi munere fungitur, magister vocatur, eò quòd magis quam alij monet ac monstrat, vt Paulo Iurisconsulto placet 3 in l. cui præcipua. 57. D. de verb. signif. ¶. Huic debet Ecclesia cathedralis de beneficio prospicere, vt cleri- 4 cos & pauperes gratis doceat. ¶ Qui verò aut docendi licentiam vendit, aut idoneæ personæ licentiam docendi petenti interdicit ne doceat, beneficio Ecclesiastico priuatur. c. 1. & to. tit. Hucusque de simonia.

VI. *De Iudæis, Saracenis & eorum seruis.*

1 SEcundum crimen cõtra primam decalogi tabulam est Iudaismus: tertium est Saracenismus: de quibus coniunctim hoc titulo pertractatur. Vtrumque est gẽtis vel religionis nomen. sed posterior significatio hîc 2 accipi debet. ¶ Iudæi dicti sunt à tribu Iuda, in qua Deus regnum Israëliticum vsque ad Christi tempora constituit, & quæ ferè sola permansit aliis in captiui- 3 tatem abductis. ¶ Iudæos hîc vocamus eos, qui veteri testamento ad literam superstitiosè intellecto fi- 4 dem habent, nouum autem reiiciunt. ¶ Saraceni dicuntur, non à Sara Abrahæ vxore, vt ipsos asserere ait Hostiens. de Saracen. num. 2. nec à Samaria, vt vult Specula. h. tit. in fi. sed à Saraca regione Arabiæ, Ste- 5 phano teste. ¶ Saracenos accipiunt Doctores nostri pro paganis, & sanè pagani ac saraceni promiscuè in hoc tit. accipi videntur. quamquam propriè loquendo, pagani, seu gentiles, vel Græci dicuntur, qui neque vetus neque nouum testamentum adgnoscunt: idola autem colunt, eisque sacrificant, vt exposui Methodicor. lib. 1. tit. 1. §. 35. ac plura de eis notaui eodem. lib. sub titulo de paganis. Saraceni autem vtrumque testamentum saltem ex parte admittunt, sed multifariam peccant, præcipuè quòd Christum Dei filium & humani generis vnicum redemptorem non fatentur, &, ne Christianam veritatem admittere cogantur, loca erroribus suis contraria, à nobis corrupta fuisse asse- 6 runt, vt Mahometistæ. ¶ Iudaismi pœnæ hæ sunt. I. Iudæi non possunt nouas synagogas extruere. c. 3. & 7. & C. eod. l. vlt. §. 1. II. Legatum vniuersitati Iudæorum relictum, pro non scripto habetur. C. eod. l. 1. III. Iudæi ad honores non admittuntur. C. eod. l. vlt. in pr. & §. vlt. & de hæretic. l. Manichæi vndique. 12. & D. de decur. l. 3. §. vlt. IV. Non possunt liberos suos Christianos exheredare: sed ab eis offensi, tamen legitimam; non offensi autem integram quæ ab intestato debetur portionem eis relinquere tenentur. C. de hæretic. l. hæretici patres. 12. V. Non possunt habere mancipium Christianum. ca. 1. & 2. & C. ne Christ. mancip. hæret. vel Iud. vel paga. hab. l. 1. & 2. VI. In diebus dominicæ Passionis prodire in publicum vetantur. c. in nonnullis. 15. §. in diebus. VII. In die parasceues coguntur habere ostia & fenestras clausas. c. 4. VIII. Non habent cum Christianis ius connubij. 28. q. 1. c. caue. 15. & seqq. & C. h. t. l. 6. immo eorum conuiuia & consortium Christiani vitare debent. ea. q. c. sæpe. 12. & cann. seqq. IX. Si quem Christianum circumcidant, vel ad suam religionem traducere conentur, capitali pœna afficiuntur. C. h. tit. l. 16. & l. 18. nec dubito, quin vltimo supplicio afficiendus sit, qui Christiana religione deserta, ad 7 Iudaismum transit. ¶ Ex his pœnis quædam ad saracenos seu paganos producuntur, veluti ne Christianum mancipium habeant. c. 5. & C. ne hæret. vel Iud. vel pag. Christ. mancip. hab. l. 2.

VII. *De hæreticis.*

QVartum crimen est hæresis, de qua dixi ad tit. C. de hæreticis.

VIII. *De schismaticis, & ordinatis ab eis.*

QVintum crimen est schisma, quod scissuram si- 1 gnificat à Græco verbo σχίζειν, quod scindere ac diuidere significat, quia schismatici diuidunt vnitatem Ecclesiæ. 24. q. 1. c. schisma. 33. à cuius vinculo se separant. 7. q. 1. c. Nouatianus. 6. ¶ Itaque schisma 2 & hæresis definitione differunt: sed subiecto ferè non differunt: quoniam hæretici sibi falsa dogmata confingunt, schismatici se ab Ecclesia separant: ceterùm schismatici aliquam hæresim confingere solent, vt rectè ab Ecclesia recessisse videantur. 24. q. 3. c. inter hæresim. 26. ¶ Pœnæ schismaticorum hæ sunt. I. Iactura 3 salutis æternæ: quia tales nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possunt regni cœlestis ingredi. 24. q. 1. c. quicumque. 26. & neque Baptismus, neque eleemosyna, neque martyrium eis prodesse potest, quominùs æternum ignem cum diabolo & Angelis eius patiantur. s. de hæret. c. 3. II. Depositio, excommunicatio, & bonorum confiscatio. j. lib. 6. c. vn. & dist. 23. c. in nomine Domini. III. Qui sponte iuramentum de tenendo schismate præstiterunt, à sacris ordinibus & dignitatibus suspenduntur. c. 1. in fi. IV. Ordinationes, & beneficiorum collationes, & rerum Ecclesiasticarũ alienationes per schismaticos factæ, irritæ sunt. c. 1. ideóque ordinati à schismaticis repelluntur ab officio, nisi cum eis dispensauerit, qui dispensandi potestatem habet. c. 2. Ad hanc quartam pœnam respicit posterior rubricæ pars, quæ est de ordinatis à schismaticis.

IX. *De apostatis & reiterantibus baptisma.*

SExtum crimen est apostasia, de qua dixi ad tit. C. de 1 apostatis. ¶ Sextum crimen est anabaptismus, id 2 est, sacri Baptismi iteratio, de qua dixi ad tit. C. ne sanctum Baptisma iteretur. Hactenus de criminibus contra priorem Decalogi tabulam admissis.

X. *De his qui filios occiderunt.*

SEquuntur crimina contra posteriorem Decalogi 1 tabulam. Hîc omittitur primum huius tabulæ præceptum, Honora patrem tuum & matrem tuam. ¶ Cõ- 2 tra secundum præceptum est homicidium. ¶ Cuius 3 duo sunt genera: nimirum parricidium, & simplex homicidium. ¶ Parricidij species est si quis filiũ suum 4 occidat: de quo crimine dictum est. C. de his qui parent. aut liber. occid.

XI. *De infantibus & languidis expositis.*

FIlium necare videtur etiam is, qui infantem aut languidum exponit, vel ab alio exponi patitur, siue expositionem ab alio factam ratam habet: ideoque ius patriæ potestatis amittit. c. vn. & D. de adgnosc. & alen. lib. l. 4.

XII. *De homicidio voluntario, vel casuali.*

SImplex homicidium partim est voluntarium, quod 1 aliquis sponte committit; partim fortuitum seu casuale, quod aliquis, præter suam voluntatem, casu aliquo perpetrauit. ¶ Homicidium voluntarium, si 2 dolo commissum sit, lege Cornelia de sicariis punitur. si culpâ quamuis lata, tamen mitius coërcetur, nec

BIU Cujas

ad legem Corneliam pertinet. D. ad legem Cornel. de
3 sicar. l. 4. §. 1. & l. 7. ¶ Homicidium casuale imputatur ei, qui culpam admisit, eò quòd operam dabat rei illicitæ, vel cùm, operam daret rei licitæ, non omnem,
4 quam potuit, diligentiam adhibuit. c. 7. & 8. ¶ Impunè autem aliquis occiditur ex iusta causa, veluti si quis latronem insidiantem interfecerit, cùm aliter se tueri non posset. c. 2.

XIII. *De torneamentis.*

NOn solùm homicidium iure prohibetur, sed etiam ea, per quæ ad homicidia peruenire solet. Hæc verò plura sunt. Primum sunt torneamenta, id est, nundinæ vel feriæ, in quibus milites ex condicto conuenire solent, & ad ostentationem virium suarum & audaciæ temere congredi. c. 1. vnde non solùm occidens punitur, sed etiam occisus, licèt enim vulnerato concedatur pœnitentia, tamen, si moriatur Ecclesiastica sepultura carebit, nisi casu sit occisus, cùm non ludendi causâ ad torneamentum venerit.

XIV. *De clericis pugnantibus in duello.*

SEcundum crimen est duellum, id est, singulare certamen, quod Græco vocabulo monomachia vocatur. 2. q. 4. c. monomachiã. 23. Iure quidem Lãgobardico ad veritatem occultam eruendam conceditur, sed hanc legem esse iniquam, à se tamen propter langobardorum consuetudinem non posse prohiberi, conqueritur Rex lutprandus langobard. recolimus. 23. de homicid. liber. homi. iure igitur Canonico rectè duellum prohibetur. d. c. monomachiam & ĩ. de purgat. vulga. c. 1. & 2. quia (vt ait dicto loco lutprandus) multi per pugnam sine iusta causa suam causam perdiderũt vnde clericus, qui duellum obtulit, vel oblatum suscepit, irregularitatem incurrit, ac deponi debet: nisi morte vel membri mutilatione non secuta, cum eo misericorditer dispensetur. c. 1. & 2.

XV. *De sagittariis.*

TErtium crimen est ars sagittariorum, & balistariorum: qua aduersus Christianos, & Catholicos vti non licet. c. vn.

XVI. *De adulteriis & stupro.*

DIctum est de crimine contra secundum præceptum secundæ tabulæ. Tertium verò præceptum est *Non mœchaberis*: contra quod adulteria & stupra committuntur, de quibus dixi ad tit. D. ad leg. Iul. de adult.

XVII. *De raptoribus, incendiariis, & violatoribus Ecclesiarum.*

1 QVartum præceptum est, *Non furaberis*. Cui repugnat furtum improbius, quod Doctores qualificatum appellant, & furtum simplex propriè dictum, &
2 vsura. ¶ Furtum qualificatum est multiplex. ¶ Prima
3 species furti qualificati est rapina. rapina est rerum raptus personarum, vt virginum ab vtroque crimine raptores denominantur. Rapina quoque aut simplex est, aut qualificata siue improbior, vt cùm ex incendio rapitur, vel Ecclesia violatur. Ac de his omnibus sub hoc titulo agitur. Nos de raptu egimus ad titulum. C. de raptu virg. de simplici rapina ad tit. D. vi bon. rapt. de rapina ex incendio ad tit. D. de incend. rui. naufr. violatio autem Ecclesiæ est sacrilegium, de quo dixi ad tit. D. ad leg. Iul. pecul.

XVIII. *De furtis.*

FVrto qualificato subiicitur furtum simplex, de quo dixi ad hunc titulum in Digestis.

XIX. *De vsuris.*

CVm rapina & furto tantam affinitatem habet 1
vsura, vt qui vsuram accipit, rapinam facere dicatur. 14. q. 4. c. si quis vsuram. 10. ¶ Vsuræ voca- 2
bulum multis modis accipi, hîc autem sumi pro delicto, id est, pro vsura illicita & improbata, notaui. D. h. tit. vbi etiam egi de vsuris, pro vt vsura est sortis accessio: nunc de ea dicendum, quatenus inter delicta numeratur. ¶ Nota primò duplicem differentiam in- 3
ter ius ciuile, & ius canonicum. I. Ius ciuile vsuram latè accipit pro accessione sortis siue licita siue illicita: ius autem canonicum angustè accipit pro vsura illicita, quemadmodum & vulgus loquitur. vt enim ius canonicum iure ciuili est recentius, ita etiam recentiori sermone, non puro puta Latino vtitur: nec solum vtitur vocabulis Barbaris, vt *guerra*, *treuga*, & similibus, sed etiam abutitur Latinis, vt sponsalib. sicut exposui. s̃. ad tit. de sponsal. & nupt. & vsura, vt hîc. II. Interesse non solùm iure ciuili peti potest, sed etiam iure canonico. s̃. de fideiuss. c. 2. proinde vsuræ compensatoriæ hoc iure permittuntur. Abb. & alij in c. conquestus. h. t. glo. & Doctores in l. 2. C. eo. eatenus igitur permittuntur, quatenus interest. sed quia eius quod interest, difficilis est probatio, ius ciuile huius difficultatis tollendæ, & litium minuendarum gratiâ permisit certas vsuras loco eius quod interest: quarum vsurarum obligatione constituta, non habetur ampliùs ratio eius quod interest, sed quæritur duntaxat, quantum promissum sit, dummodò non sit promissum vltra quantitatem iure definitam. Ius verò canonicum ad conscientiam respiciens, & vt turpe lucrum prohibeat, non admittit certam quantitatem vsurarum: sed eas eatenus sustinet, quatenus creditoris interest non carere sua pecunia. Itaque neutrum ius ratione caret. Qui verò vsuras iure ciuili permissas exigit, contra ius canonicum non peccat, neque vsurarius hoc iure dicitur, nisi plus exigat quàm sua interfit. ¶ Nota se- 4
cundò vsuram hîc accipi pro quocumque lucro sorti accedente: adeo vt si quis (exempli causâ) merces suas cariùs vendat, aut fructus rei pignoratæ sibi lucretur, vsuram committere dicatur. c. 1. & c. consuluit. 10. ¶ Porrò vsura diuiditur in conuentionalem, de qua 5
expressè conuênit, & mentalem, cùm aliquis ea mente contrahit, vt aliquid vltra sortem recipiat, omni conuentione cessante. d. c. consuluit. ¶ Vsurarij variis 6
pœnis afficiuntur, quas Hostiens. num. 10. ad tria genera refert. partim enim imponuntur à canone, partim à iudice, partim ab aduersario. ¶ Pœna à canone vsu- 7
rariis manifestis multiplex infligitur. I. Nisi vsuras acceptas restituant, vel de eis restituendis caueant, ad communionem altaris non admittuntur. II. Si in hoc peccato decesserint, Christiana sepultura priuantur. III. Eorum oblationes ab Ecclesia non accipiuntur. IV. Testamenta eorum non valent. c. 3. & ĩ. li. 6. c. 2. ¶ Iudex quoque vsurarios punit. nam laicos vsque ad 8
dignam satisfactionem vinculo excommunicationis adstringit. c. præterea. 7. clericos ab officio suspendit, & in delicto perseuerãtes deponit, atque à clero deiicit. dist. 47. c. 1. & 2. & 14. q. 4. c. canonum. 3. c. si quis oblitus. 4. & c. quoniam. 8. Insuper vsurarium cogit rationes suas aduersario edere. Clem. vn. §. ceterum. Præterea nemo pati debet, vt vsurarij alienigenæ in suis terris habitẽt, sed eos expellere debet. ĩ. l. 6. c. 1. ¶ No- 9
cet etiam vsurario exceptio ab aduersario opposita vt puta

puta si quis impetrauerit literas de vsuris sibi restituendis, vel de fructibus à creditore in sortem imputandis, harum literarum beneficio non fruetur, nisi priùs restituerit vsuras, quas aliquando extorsit. c. quia frustra.
10 14. ¶ Non solùm autem vsurarij puniuntur, sed etiam eorum fautores. Et I. Qui ab vsurario impœnitente oblationem acceperit, aut eum ad confessionem admiserit, aut absoluerit. II. Qui cum Ecclesiasticæ sepulturæ tradiderit. c. 3. & ff. lib. 6 c. 2. III. Qui eius testamento interfuerit. d. c. 2. IV. Qui pro fœneratoribus statutum ordinarit, fecerit, scripserit, dictarit, vel secundum id iudicauerit. Clem. vn. in pr. V. Qui asserit fœnerari non esse peccatum. d. Clem. vn. §. sanè. Hactenus de delictis contra quartum præceptum secundæ tabulæ Decalogi.

XX. *De crimine falsi.*

1 COntra quintum præceptum est crimen falsi, de quo dixi D. de le. Cornel. de fals.

XXI. *De sortilegiis.*

1 ETiam in sortilegio falsitas inest. ¶ Sortilegi pro-
2 priè sunt, qui sub nomine fictæ religionis per quasdam, quas sanctorum seu Apostolorum sortes vocant diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt.
3 26. q. 1. c. vn. ¶ Pœna varia est pro ratione delicti, &
4 ferè arbitraria. c. 2. ¶ Exposita sunt crimina quæ accusato obiiciuntur contra præcepta Decalogi admissa.

XXII. *De collusione detegenda.*

1 COllusio verò commune accusatori & accusato crimẽ est: si quidem collusio nihil aliud est, quàm occulta conuentio eorum, qui inter se iudicio contendere simulant. ¶ Extat idem titulus *de collusione detegenda*, lib. 7. Codicis: sed ibi agitur de sola collusione pertinente ad statum liberti: hîc verò de omni collusione, præsertim de ea, quæ ad causas criminales pertinet.
3 ¶ Pœnas collusionis duas reperio. I. Absolutio per collusionem facta non obest quominùs eodem crimine reus accusari, vel in eum inquiri possit. c. vlt. II. Qui in causa beneficiali collusit, beneficio priuatur. c. 3.

XXIII. *De delictis puerorum.*

HVcusque tractatum est de quarumcumque personarum criminibus: deinceps considerantur certarum personarum delicta, vt puerorum, & clericorum; in quibus sunt quædam specialia. In pueris speciale est, vt si pubescere cœperint, puniantur quidem, sed mitiùs quàm alij ætate prouecti. c. 1. & 2.

XXIV. *De clerico venatore.*

1 IN clericis autem speciale est, vt sint clericorum quædam propria delicta. quorum primum est venatio, id est, ferarum bestiarum, aut volucrum canibus & auibus persecutio. c. 1. & 2. & ff. ne cler. vel monach. c. 1.
2 & dist. 34. c. 2. 3. 4. ¶ Quod ad pœnam attinet, Episcopus tribus mensibus, presbyter duobus mensibus à communione, diaconus ab omni officio suspenditur.
3 c. 1. ¶ Nota piscationem clericis concedi. ff. de fer. c. 3. quia multi fuerunt sancti piscatores, nullos autem sanctos legimus fuisse venatores. dist. 86. c. Esau. 12.

XXV. *De clerico percussore.*

1 SEcundum clericorum delictum est percussio. Cuius pœna est suspensio ab officio, & nisi monitus se
2 corrigat, degradatio. c. 1. ¶ Percussionem intellige corporalem & propriè dictam. Alia est percussio spiritualis, cùm doctor sermone inutili conscientiam infirmorum percutit. dist. 45. c. vlt.

XXVI. *De clerico maledico.*

SIc inscribitur hic titulus in quibusdam libris, & in 1
antiquis codicibus, rectiùs quàm in vulgatis, *de maledicis*: quia nunc ex professo agitur specialiter de clericis, etsi quædam obiter adsperguntur de laicis. c. 2.
¶ Tertium igitur delictum clericorũ est maledictum, 2
id est, cùm quis asserit alteri malum inesse, quod non inest; vel negat inesse bonum, quod inest. ¶ Quocirca 3
duæ sunt species maledicti: altera affirmatiua, veluti, *Tu es spurius, tu es latro*: altera negatiua, veluti, *Tu non credis in Deum, tu non fungeris officio tuo.* ¶ Cùm autem 4
maledictum in Deum, vel in beatam Virginem, vel in sanctos confertur, propriè vocatur blasphemia. c. 2. & 11. q. 3. c. non sunt. 54. vbi certa pœnitentia vnà cum pœna numaria blasphemis imponitur, cùm ex Pij Papæ decreto blasphemus, si clericus esset, deponeretur si laicus, anathemate feriretur. 22. q. 1. c. si quis per capillum. 10. Aliæ pœnæ statuuntur Lateranensi concilio sub Leone. x. anno 1514. Iure autem ciuili blasphemus vltimo supplicio afficitur. No. 77. Ob hanc iurium & ob circumstantiarum varietatem communis Doctorum opinio est, blasphemiæ pœnam esse extraordinariam. Maledictum in homines punitur pro qualitate delicti. c. 1. vt expositum est sub tit. D. de iniur. nam maledictum est iniuriæ species.

XXVII. *De clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.*

QVartum delictum est, si clericus ministret, qui 1
ministrare ob aliquam ex sequentibus causis non debet. ¶ Prima causa est, si sit excõmunicatus, vel de- 2
positus, vel interdictus. ¶ Si excõmunicatus ministret 3
deponitur. c. 3. 5. 6. & retrò depositus ministrans excommunicatur. c. 1. & 2. Item interdictus ministrans deponitur. d. c. 3. ¶ Nota interdum augeri pœnam, vt 4
in eum qui monitus non desistit: hic enim in exilium mittitur. d. c. 2. interdum minui, vt propter multitudinem deliquentium. c. 4.

XXVIII. *De clerico non ordinato ministrante.*

SEcunda causa est, si clericus non sit ordinatus. Hic ab Ecclesia abiicitur, nec ampliùs ordinatur. c. 1. verùm diaconus, qui missam celebrauit, ad sacerdotium non promouetur, & à diaconatu ad tempus suspenditur: sed in beneficio poterit ad tempus dispensari. c. 2.

XXIX. *De clerico per saltum promoto.*

TErtia causa est si clericus non gradatim, sed per saltum, id est, à minori ad maiorem omisso medio sit promotus. Cùm enim hæc ordinatio non valeat, hic puniendus est, vt clericus qui non ordinatus ministrauit. Si tamen per ignorantiam se promoueri curauerit, peracta ob negligentiam pœnitentia potest medium ordinem accipere, & cum eo misericorditer dispensatur, vt in maiori ordine ministrare possit. c. vn.

XXX. *De eo qui ordinem furtiuè accepit.*

QVarta causa est, si clericus clam & furtiuè ordinem acceperit. Hic nec in suscepto ordine ministrare, nec ad superiores ascendere potest, nisi cum eo dispensetur. Dispensare autem potest solus Papa, si contra hoc facientes lata erat excõmunicatio: alioquin etiam Episcopus, & Abbas poterunt dispensare. c. 1.

BIU Cujas

XXXI. *De excessibus prælatorum, & subditorum.*

1 CVnctor decretalium vtitur recto ordine ab vniuersalibus ad particularia. Quocirca primùm egit de delictis quarumcumque personarum: postea de delictis clericorum. Quoniam igitur clericorum alij sunt prælati, alij subditi: nunc specialiter de horum delictis pertractat, quatenus non funguntur officio, quod sibi inuicem præstare debent. Peccat enim prælatus cùm excedit officium suum erga subditos: & peccant subditi, cùm excedunt officium suum erga prælatos.
2 ¶ Officium subditi erga prælatum est, vt ei honorem & obedientiam exibeat. ſ. de temp. ordin. c. ad aures.
3 5. & dist. 93. per totam. ¶ Officium autem prælati erga subditos est, vt eos tamquam clericos honoret ac diligat, nec solùm eis præsit, sed etiam prosit. Lancel.
4 lib. 1. Instit. tit. 24. in pr. ¶ Qui contra officium peccarunt, variis modis pro admissi qualitate coërcentur.

XXXII. *De operis noui nunciatione.*

EXcessus species est, cùm in detrimentum alterius ædificatur. Quod damnum ne quis patiatur, nouum opus nunciare debet ædificanti de qua nunciatione dixi. D. h. t.

XXXIII. *De priuilegiis, & excessibus priuilegiatorum.*

1 ALia excessus species est, cùm priuilegiati priuile-
2 giis sibi indultis abutuntur. ¶ Priuilegium est priuata lex, id est, priuilegiati propria. ideóque opponitur legi communi. dist. 4. c. priuilegia. 4. & 25. q. 1. c.
3 vlt. vers. priuilegia namque. ¶ Conceditur autem priuilegium vel personæ. c. sanè. 9. vel vniuersitati, putà monachorum. c. 3. c. quoniam. 21. cum sim. vel rei, vt
4 Ecclesiæ, vel capellæ. c. cùm capella. 16. ¶ Priuilegio suo abutens, eo priuatur. dist. 74. c. vbi ista. 7. & xj. q. 4. c. priuilegium. 60. Hucusque de variis delictorum generibus.

XXXIV. *De purgatione canonica.*

1 SVpereſt, vt de effectibus delictorum & criminum
2 dicamus. ¶ Primus effectus est purgatio: quæ ei imponitur, qui neque legitima probatione, neque sua confessione conuictus est. c. 3. & 6. neque crimen notorium admisit. c. penul. de eo tamen apud bonos & graues viros ex verisimilibus suspicionibus est diffa-
3 matus. c. 4. d. c. 6. & c. cùm in iuuentute. 12. ¶ Purgationum duo sunt genera. Prima est purgatio canonica, quæ sacris canonibus est comprobata: vt cum aliquis suo de veritate, & compurgantium iuramento de credulitate innocentiam suam ostendit. c. 3. & c. de
4 testibus. 13. ¶ Purgatus, crimine liberatur. Qui verò in purgatione deficit, legitimis pœnis afficitur. c. inter solicitudines. 10.

XXXV. *De purgatione vulgari.*

ALtera est vulgaris purgatio, vulgò recepta, canonibus autem improbata: vt ferri igniti, aquæ feruentis, aut frigidæ. ij. q. 4. c. Mennam. 8. aut monomachiæ, de qua dixi. ſ. ad tit. de cleric. in duel. pugnant.

XXXVI. *De iniuriis, & damno dato.*

SEcundus effectus est, quòd is, contra quem delictũ est admissum, iniuriam in honore aut salute, aut damnum in bonis ob id patitur.

XXXVII. *De pœnis.*

TErtius effectus est pœna, qua criminosus plectitur. Pœna enim est læsio, quæ punit, vindicans quod quisque commisit. de pœnit. dist. 3. c. pœnitentia est quædam. 4. De pœnis dixi. D. h. t.

XXXVIII. *De pœnitentiis & remissionibus.*

SVnt quædam pœnæ in iure canonico, iuri ciuili in- 1
cognitę, vt pœnitentia, & excommunicatio, de quibus specialiter est dicendum. ¶ Pœnitentia est quæ- 2
dam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse. Vnde pœnitere secũdum Augustinum dicitur, quasi pœnam tenere: quia pœnitens punit in se vlciscendo, quod commisit peccando. d. c. pœnitentia est quædam. ¶ Quia verò pœnitentia etiam inter Sacra- 3
menta refertur, ideo eius species, & partes exposui. ſ. ad tit. de Sacram. non iteran. ¶ Effectus pœnitentiæ 4
est remissio peccati. de pœnit. dist. 1. c. quis aliquando. 86. Idcirco in hoc titulo coniunctim agitur de pœnitentiis, & remissionibus, tanquam de causa, & effectu.

XXXIX. *De sententia excommunicationis.*

EXcommunicatio quoque est pœna canonica, non 1
ciuilis. ¶ Excommunicatio est censura Ecclesia- 2
stica, qua quis à communione excluditur. ¶ Quæ 3
bifariam diuiditur. I. Aut est minor, quæ tantùm à Sacramentorum participatione remouet; ac propriè vocatur excommunicatio: aut est maior, quæ non solùm à Sacramentorum perceptione, sed etiam ab Ecclesia & omni fidelium Communione segregat. c. penult. & iij. q. 4. c. vlt. & xj. q. 3. c. ad mensam. 24. II. Alia est excommunicatio canonis seu latæ sententiæ, (vtroque enim vocabulo nuncupatur) ipso iure sine iudicis ministerio aliquem innodans: à qua nemo, præterquam à sede Apostolica vel eius legato absolui potest, nisi in articulo mortis sit constitutus, aut legitimo impedimento detineatur, quominùs Romanum Pontificem adire possit, aut priuilegium iure sibi concessum habeat, ne cogatur Apostolicum adire. c. quamuis. 58. Alia est iudicis seu iudicialis excommunicatio, quæ per iudicem Ecclesiasticum irrogatur. j̃. lib. 6. c. 1. Nec refert, vtrum sit iudex ordinarius, an delegatus. j̃. lib. 6. c. 5. & ſ. de offic. ordinar. c. pastoralis. 11. §. præterea. ¶ Hæc in dubio, id est, sub generalibus ver- 4
bis probata, veluti, *Illum excommunico*, censetur esse maior excommunicatio. c. pen. Ab hac absoluit, qui excommunicauit: nec petenda est absolutio à superiori, omisso medio. j̃. lib 6. d. c. 5. 17. ¶ Ad hæc; de ex- 5
communicatione quædã notanda occurrunt. I. Omnes debent excommunicatos vitare. c. nulli. 8. antequàm ab excommunicatione absoluti sint. c. cùm desideres. 15. c. à. nobis. 28. c. sicut. 39. c. si concubinæ. 55. Nec valet contrarium priuilegium. d. c. nulli. quominùs communicans excommunicato, in excommunicationem ipso iure incidat. c. nuper. 29. c. sacris. 38. II. Iudices seculares à iudicibus Ecclesiasticis per censuram Ecclesiasticam compelluntur excommunicatos ab agendo, patrocinãdo, & testificando, in suis curiis & iudiciis repellere. j̃. lib. 6. c. decernimus. 8. III. Generalis excommunicatio non ligat nisi subditos excõmunicantis. c. à. nobis. 21. IV. Pluribus excommunicationibus, licèt ex eodem facto obnoxius, non absoluitur, si de vna tantùm causa velit satisfacere. c. cùm pro causa. 27. V. Excommunicatus regulariter non absoluitur, nisi præstito iuramento, quòd mandato absoluen

BIU Cujas

soluentis vel summi Pontificis parebit. quamquam interdum manualis tãtùm promissio recipitur. c. exteriore. 10. c. de cetero. 11. & c. cùm pro causa. 51. VI. Absolutio per obreptionem impetrata non prodest. c. officij. 42. in fi. Hæc de excommunicatione dicta sint.

6 ¶ Quia verò non solùm excommunicatio, sed etiam suspensio & interdictum Ecclesiasticum sunt species censuræ Ecclesiasticæ. ℣ tit. prox. c. quærenti. 20. ac de his omnibus sub eodẽ titulo tractatur tam in Sexto Decretalium, quàm in Clementinis, & in extrauagantibus Iohannis vigesimi secundi: idcirco de his quoque pauca delibabimus. ¶ Suspensio est censura Ec-

7 clesiastica, qua exercitium officij vel ordinis Ecclesia-

8 stici impeditur. ¶ Itaque in clericos tantùm competit, non in laicos, qui non possunt ab administratione vel executione officij siue ordinis, cuius omnino sunt expertes, suspendi. ¶ Clericus autem, si durante suspen-

9 sione, officia diuina exequatur, irregularitatem incurrit, à qua non potest nisi per summum Pontificem liberari. ℣. lib. 6. c. 1. in fi. & c. is qui. 18. §. 1. Irregularitas verò est canonicum impedimentum ex facto seu defectu prouenies; quo affectus, inhabilis redditur ad

10 susciptendum ordines Ecclesiasticos & ad ministrandum in susceptis. ¶ Suspensio duplex est. I. Canonis, cùm quis obnotorium crimen, ipso iure à sui ordinis vel officij executione arcetur. Quamuis enim quilibet in peccato mortali constitutus, quod ad seipsum suspẽsus sit, tamen quod ad alios, non est suspensus, nisi huiusmodi peccatum per sententiam iudicis aut cõfessionem in iure factam, aut rei euidentiam notatum sit. ℣.

11 de cohabit. cleric. c. vlt. ¶ Suspensio iudicis est, cùm quis per sententiam iudicis a dicta executione ex cau-

12 sa remouetur. ¶ Interdictum Ecclesiasticum est censura Ecclesiastica, per quam diuinorum celebratio, & Sacramentorum perceptio prohibetur; siue singularis persona; siue vniuersitas, vt clerus, ciuitas; siue locus interdicatur. ℣. lib. 6. c. si sententia. 16. & c. seq. & c. alma. 24. & ℣. tit. prox. c. quod in te. 11. ¶ Interdi- 13
ctum, similiter ac suspensio & excommunicatio, vel est canonis, vel iudicis: quia vel ipso iure siue ipso facto inducitur. ℣. lib. 6. de election. c. 3. § præterea. vers. ciuitas. & de vsur. c. 1. vers. qui verò. & de pœn. c. 5. vel per sententiam iudicis: tuncque vel est generale, cùm regnum, aut prouincia, aut oppidum, aut pagus interdicitur: vel speciale, cùm ex pluribus Ecclesiis vna vel paucæ interdicuntur. ℣. lib. 6. c. si ciuitas. 17. ¶ De 14
interdicto hæc specialiter notẽtur. 1. Si populus interdicatur, non est propterea clerus interdictus. contrà quoque clero interdicto, non est interdictus populus. d. c. si sententia. in pr. II. Interdicta vniuersitate singuli, qui ex ea vniuersitate sunt, interdicti censentur. d. c. si sententia. §. cùm verò. III. Tempore interdicti potest quis baptizari, chrismari, chrisma confici, diuinum verbum audiri. c. responso. 43. & ℣. lib. 6. c. quoniam. 19. Absolutus est tractatus de criminibus, & eorum pœnis.

XL. *De verborum significatione.*

IVstiniani exemplo summus Pontifex opus suum duobus epilogis concludit. Primus ad verba pertinet: quorum aut simplicium aut coniunctorum significatio traditur, vt & D. h. t.

XLI. *De regulis iuris.*

ALter ad res ipsas, id est ad iuris sentẽtias siue axiomata spectat, quæ vocantur regulæ, vt & D. hoc eod. tit. ¶ Ago tibi gratias Omnipotens & Æterne DEVS, qui mihi permisisti, vt hos Isagogicos libros in vtrumque ius in peruetusta & perillustri Monspelliensium Academia perficerem. Tibi laus, Tibi gloria, Tibi gratiæ per IESVM CHRISTVM Dominum & σωτῆρα nostrum. Amen.

FINIS.

PRIVILEGE DV ROY.

HENRY par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, au Preuost de Paris, Seneschal de Lyon, Poitou, Anjou, & le Mayne, Baillif de Berry & Champagne, Seneschal de Beaucaire & Nismes, ou leurs Lieutenants, &, à tous nos autres Iusticiers & Officiers, chascun endroict soy ainsi qu'à eux appartiendra, Salut. Nostre cher & bien amé Iulius Pacius, Docteur & Professeur en Droict, Nous a fait remonstrer qu'il a composé certains liures, sçauoir, *Methodicorum in Codicem libri tres. Eiusdem tractatus libri sex. Primus de contractibus in genere. Secundus de mutuo. Tertius de Commodato. Quartus de deposito. Quintus de pignore. Sextus de emptione & venditione. Isagogicorum in Institutiones libri quatuor. In Digesta seu Pandectas libri quinquaginta. In Codicem libri duodecim: In Decretales libri quinque.* Lesquels liures il desire faire imprimer & mettre en lumiere: mais il doubte qu'apres la premiere impression d'iceux, d'autres que celuy, ou ceux ausquels il aura donné charge de ce faire, se vueillent ingerer de les imprimer, ou les faire imprimer hors son sçeu, & contre sa volonté, le frustrant par ce moyen du labeur qu'il a mis à la recerche & composition d'iceux; s'il ne luy estoit sur ce pourueu de nos lettres necessaires. Et desirants que ledict Pacius puisse rapporter quelque fruict de ses peines, & soit aucunement recompensé de son trauail, le tout redondant à l'vtilité de nos subiects: A CES CAVSES de l'aduis de nostre Conseil, Nous auons audict Pacius permis & octroyé, permettons & octroyons par ces presentes, de faire imprimer lesdicts liures, sçauoir, *Methodicorum in Codicem libri tres. Eiusdem tractatus libri sex. Primus de contractibus in genere. Secundus de mutuo. Tertius de commodato. Quartus de deposito. Quintus de pignore. Sextus de emptione & venditione. Isagogicorum in Institutiones libri quatuor. In Digesta seu Pandectas libri quinquaginta. In Codicem libri duodecim. In Decretales libri quinque*, Par tel, ou tels Imprimeurs, au lieu, ou aux lieux, & autant de fois que bon luy semblera: vendre & distribuer les exemplaires d'iceux par tous les lieux & endroicts de nostre Royaume, pais, terres & Seigneuries de nostre obeyssance: sans qu'autre que luy, ou ceux ausquels il aura permis de ce faire, ou ayans droict & pouuoir de luy, les puissent imprimer ou faire imprimer en tout ny en partie, vendre ou distribuer, & ce pendant & durant le temps de dix ans prochains & consecutifs, à compter du iour & datte de l'impression desdicts liures. Et pour cest effect nous auons defendu, & defendons tresexpressement à tous Imprimeurs, Libraires, & autres nos subiects de quelle qualité & condition qu'ils soyent, d'imprimer, faire imprimer, achepter, changer, ou se seruir d'aucune indeuë impression desdicts liures, en quelle sorte & maniere que ce soit, sur peine de confiscation d'iceux, & d'amende arbitraire. Si vous mandons, & à chascun de vous enioignons tres-expressement, chascun endroict soy, si comme à luy appartiendra, que de cestuy nostre present priuilege, & du contenu en iceluy vous faictes souffrir & laissez iouïr, & vser plainement & paisiblement ledict exposant, sans luy faire mettre ou donner, ne souffrir luy estre faict, mis ou donné aucun trouble ny empeschement: & où aucun faict ou donné luy seroit, iceluy vous ostiez & le mettiez au premier estat & deub, en contraignant & faisant contraindre tous ceux qui pour ce seront à contraindre, par toutes voyes & manieres deuës & raisonnables. Nonobstant quelconques Edicts, Ordonnances, mandements, defences, & lettres à ce contraires. Car tel est nostre plaisir. Donné à Limoges le 17. iour d'Octobre, l'an de grace mille six cents & cinq. Et de nostre Regne le dixseptiesme. Signé, HENRY, Et plus bas, par le Roy, FORGET. Seellé du grand Seau.

PAr consentement dudict Sieur Pacius, & de son bon gré semblable droict que dessus est accordé à Barthelemy Vincent marchand Libraire à Lyon, & luy a esté ceddé, quitté, & transporté, comme appert par contract receu & signé par Antoine Comte Notaire Royal à Montpellier, le 28. de Decembre, M. DC. V.

Ach eué d'imprimer pour la premiere impression, à Lyon en Mars, 1606.

BIU Cujas

lonarcis vel finium Pontificis pæcbit. quamquam interdum manualis ratio promittere cogitur. c. exterior. 10. c. de decret. 11. 6. c. cum pro causa 55. VI. Absolutio per obsequium impetrata non nocet. c. offici. 42. in 8 Hæc excommunicatio dicta illa. 9 Quia vero non solum excommunicatio, sed omnem in pœnis & iuribus Ecclesiasticum sine pœnis cessare Ecclesiastice. 7 tit. prox. c. quæsitum. 10. de omnibus his eodem titulo tractatur sane. 3 Declarationem quam in elementis, ex his quibus obtinere regni Leonardi. 1 de his quæ de his. 9 Superiori est simile. ecclesiæ, quæ exercitium officij victualis Ecclesiæ. 5 liter impedeatur. 9 Itaque declaro eos tantum pœnis quam latos, qui non pudant ad audiendum vel exercitium officij sine ordinis, sunto mando ibi vel pœnitentiæ. 9 Clericus autem, si durante tempore officium divinum exequatur, irreg. diffamatus si, qua non portat officium sumum. Pontificem tibe- rat. 7. lib. 6. d. 1 in fi. sec. 2. qui. 2. 6. 5. 1. Irregulari- tas vero est canonicum impedimentum ex facto ter defectu proveniens, quo adhuc inhabilis redditur ad liberum ordinis Ecclesiastici & administrationem vel 10 dum in iuscepit. 9 Supervenit duplex est. I. Canonis, quo quis obtorquum crimen, ipso iure & in ordinis vel officij executione accessit. Quamvis enim quilibet in peccato mortali constitutus, quod ad Deum impe- dit tamen quod ad alios non est inhabilis, nisi ma- 15 iudicio peccatum per sententiam iudicis ad cognitio- nem iuris fori, aut rei confidentiam notatum sit. 5. 11 de cohabit. clericc. c. vit. 9 Su pœnitentialis est, cum quis per sententiam iudicis a dicta excommunicatione ex ca- 15 sa remouetur. 9 Incerta etiam Ecclesiastica sit con- fora Ecclesiastica, per quam diuinorum celebratio & Sacramentorum perceptio prohibetur; sine li- beris, sine vinitoribus, vt clericis, cruces; sine locus interdicatur. 7. lib. 6. c. si tententia. 16. & leg. &c.

PRIVILEGE DV ROY.

BIU Cujas